This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

A 3 9015 00391 290 7
University of Michigan – BUHR

10
G
17

Genovesi, Antonio

ANTONII GENUENSIS

In Regia Neapolitana Academia primum Ethices, postea Œconomices Professoris

DISCIPLINARUM METAPHYSICARUM ELEMENTA,

MATHEMATICUM IN MOREM ADORNATA.

Editio Noviſſima,

Ab ipſo Auctore, rejectis omnibus anterioribus Editionibus, & tanquam non ſuis reputatis, omnino reformata, perpetuis additionibus locupletata,

ET NUNC PRIMUM IN QUINQUE TOMOS DIVISA.

TOMUS SECUNDUS.

BASSANI, MDCCLXXIX.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Hist. of Sci.
Gebel
9-25-30
22346

LECTORI PHILOSOPHO.

LONGA ego te heic præfatione morari, haud æquum eſſe cenſeo: nam ſi ex iis es, qui proœmia librorum deguſtant, ego te palpare nolo: ſi rebus ipſis intendis animum, tute igitur quid rei iſtuc ſit, pervide. Quæ ego proloquar, quæque ut te moneam neceſſe eſt, in pauca conferam. Principio id reſcias velim, me hæc, quantulacumque ſunt, non de iſtis proletariis libellis, ut moris eſt, derivaſſe, ſed e fontibus hauſiſſe, natura videlicet *των απαντων*, vetuſtiſque libris, eorum autem qui propius aderant, ſi quæ facta attinebant. Id eo pertinet, ut ne tu de iſtis cœnoſis rivulis rem meam judices. Scin tu, quæ ſit veri in philoſophia regula, cuique nos conſentaneos eſſe oporteat, ſi veri & ipſi eſſe velimus? Nam hoc quidquid eſt, quod verum dicitur, id a regula dicitur aliqua atque ab amuſſi. Itaque ego tibi dicam: nempe *natura* eſt rerum, quas dignoſcere cupimus, ut res rationem perficiant, non hæc illas ſuis phantaſiis labefactet. Ne autem frendas, accipe quam ego *regulam* dicam, quamque *naturam*. Ac *naturam* quidem *το παν*, *univerſum* intelligo. Regulam porro non ego *canonem* heic accipi velim, ſed *πρωτοτυπον*, ac quod Platonici *ιδεαν* appellant: cui nempe quum judicia noſtra congruunt, tum eſſe ea vera, neceſſe ſit. Hæc regula non *φαντασιαι*, ut dixi, ſed *των απαντων* eſt *ουσια*, *eſſentia*, *ſubſtantia*, cui congruere, conſentire, convenire debet intellectus, ſi veritatem attingere cupit. A qua regula ſi aberraverimus, aut latum unguem deflexerimus, tum decipimur profecto. Ne autem aberremus, in eam nos perpetim intueri oportet: id quod fieri nequit, niſi prius totam, quæ dudum prodiere, capite cenſorum libellorum ſegetem longa falce demeſſuerimus: nam cum rebus ipſis verſari ſapientem oportet, non cum hujuſmodi umbraticis, quibuſcum qui familiariter agunt, quod a rerum natura didicerunt, id continuo dediſcunt; quod, ut ait ille, *haud æquum eſt*. Sed hæc tute ipſe penſitabis.

Alterum ego nunc proloquar hujus prologi caput. Hæc,

ut in primæ partis præfatione dixi, quæ heic ſecunda pars eſt Metaphyſicarum diſciplinarum, tertio loco pridem nata erat. Ea, quod parenti ſuo ſecundum primam antiquior vultu videbatur, eique amicior, ejus imperio huc conceſſit. Ætas ſcilicet cogit nos eſſe prudentiores. Præclare apud Euripidem ſenex juvenem Eteoclem monet, in *Phœn.*

Ω τεκνον, ουκ ἁπαντα τῳ γηρα κακα,
Ετεοκλεες . . . . . .

Non omnia, fili Eteocles, quæ ſenectuti accidunt, ſunt mala . . . . non omnia ſerior ætas,
Quæ fugiamus habet: ſeris venit uſus ab annis. (a)

Sed deſunt in hac editione crepundia ea, monedulæ, anates, aut coturnices, quæ patriciis pueris dantur, quicum luſitent, quæ in prima inerant, eamque comitabantur: diſſertatiunculas illas intellige, quibus ea referta erat. Eam ob rem ne tu queraris dolo nos malo agere, ſcito quintum ex iis nos volumen confecturos. Quatuor igitur quum habueris olim munuſcula, nunc quinto mactaberis, nec ſine alio auctario. Και ταυτα μεν δε ταυτα.

Nunc tertium caput ediſſeram. Habes in hoc volumine evolutiorem Moſaicæ *miſſionis*, ut ajunt, defenſionem. Illam me in prima editione vix inceptatam quaſi abortionem feſtinanter edere coegerat typographus. Nunc integram ac perpolitam tibi do. Ecquid autem cauſæ fuerit, quamobrem ego defenſioni Legis Evangelicæ eam non præpoſuerim, binis verbis dicam. Quum ego primum legem Evangelicam tuendam aggrederer, ſic mecum rationes excomputavi, ut in ejus rei corollariis veritatem legis Moſaicæ habere voluerim: quod nequit doctrina Evangelica eſſe vera, ac divina, niſi una & Moſaica ſit, quacum eſt illa tam arcte juncta: Ita me brevi longa ex re atque implexa expediturum animo verſans meo. Accedebat, quod eamdem viam & rationem viros ſummos iniiſſe ſcirem, Huetium in primis, cujus quanta his in rebus ſit auctoritas, niſi penitus hoſpes ſis, non ignoras. Quid, quod, ut ait Origenes, plena divinitatis veteris Teſtamenti demonſtratio, niſi ex novo, eſſe nequit? Quam ille rem agat, tu videris: ſed ipſum diſſerentem audi. λεκτεον δε, ὁτι το των προφητικων λογων ενθεον, και το πνευματικον του Mo-

(a) *Ovidius*.

Μωσεως νομυ, ελαμψεν επιδημησαντος Ιησυ. εναργυ γαρ παρα δειγματα περι τυ θεοπνευςυς ειναι τας παλαιας γραφας προ της επιδημιας τυ Κριςυ παραςησαι υ πανυ δυνατον ην (1). Neque interea illos ego, quaſi minus recte faciant, accuſaverim. qui hæc alia ratione pertractant: ſuus cuique genius dominetur.

Poſtremo eadem heic mihi peragenda eſt tragicomœdia, quæ ſæpe & ad ravim uſque eſt acta. Nam ſcio eſſe plures, qui ad hujuſmodi ſcriptionum vel nomen, aut cachinnos tollunt, aut dentes reſtringunt. Hi duum ſunt generum: alii, qui jam mihi bellum paratum habent: alii qui χρυβαντιωντες cum Deo ipſo belligerare in animum induxerunt. Illis jamdudum mihi occalluere aures. Sciant: mutus ſum. Me ineptire, ac deſipere dicent. Sinant ergo ipſi aquilæ qui ſunt, auraſque divinas carpunt, me velut paluſtrem aviculam humi repere; meam mihi nolo invideant beatitatem. Scin' quid dico? Memorant fuiſſe olim in Abydo virum emotæ mentis, qui quum in vacuo theatro per plures dies aſſideret, quaſi fabulæ intereſſet, ſubinde Actoribus clara voce plaudebat. Hic idem quum ad animum rediiſſet ſuum, nunquam ſe ſuavius vixiſſe, nec beatius prædicabat, quam per eos dies, quibus inſanire eum ſui dictitabant (a). Sibi quiſque habeat quod juſtum eſt: me mea delectat.

His, qui expoſtulant, *an tam eſſe verbiloquum liceat in re tam nihili*, illud ego repoſuerim, omnibus nobis, quum caligare oculi occepere, mundum hunc exiliorem & anguſtiorem, quaſi nivis pilam, continenter fieri. Novi ego ſenem Geometram, qui quum veluti per ſomnium res geometricas reminiſceretur, mirabatur, tam ingentia ea de re volumina perſcripta intuens: nam quæ memoria exciderunt, pro nihilo ſunt. *Homunculi quanti ſunt quum recogito!* Id huc pertinet, ut intelligamus, mirum non eſſe, ſi noſtri ævi gigantibus tam verbiloqui videantur Theologi: rei ſcilicet incurioſi, atque inſcii, quidquid dixeris, ſcripſeriſve, id præquam oportet, & nihili eſſe, occinunt.

Eos vero noſtri mores moleſtiores fecere, qui flagitant (b) qui

(a) *Ariſt.* περι θαυμασιων ακυσματων.

(b) *Voltaire, Rouſſeau, l'Ametrie, Helvetius &c.*

(1) In IV. περι αρχων. Eum locum κατα λεξιν Latine ſic efferas: *Sed & dicendum eſt, prophoticorum ſermonum divinitatem, & ſpiritum Moſaicæ legis, illuxiſſe adveniente Chriſto: Nam evidentia argumenta, quod nempe inſpiratæ eſſent veteres Scripturæ, ante adventum Chriſti haud facile conſtare poterant.*

qui tam perfricta fronte ea docere queamus, quæ mox natura, ut ii quidem ajunt, dediſcere imperet? Nam nec ea Theologorum cura meliores jam homines evaſere: & certum eſt, coercitam naturam maligniorem fieri,

Omniaque illius vitio corrumpier intus (a).

Quæ iſti jam non amplius, ut olim, ad aures obganniunt ſed magna laterum contentione per compita, aperto incedente capite, vociferantur. Ac, quod mireris in mortalibus ſuo abdomini natis,

Omnes compacto rem agunt, velut in velabro olearii.

Iis ita reſponſum volo. Magnam hominum partem, *genus indocile & ſparſum montibus altis*, ſilvas olim & antra belluarum in morem incoluiſſe, ſatis conſtat: *Sæcla ferarum*, ut Lucretius ait, victitaſſe: fœdam mutua internecione, tum ſtupris, ac latrociniis vitam agitaſſe: nihil ferme habuiſſe eorum, quibus miſeria ac ægritudo depellitur: metu, pavore, frigore, inedia, feris, beſtiolis, aeris, aut ſolis intemperie impune percuſſos, membratimque dilaniatos, vexatos denique: hæc, inquam, vetuſtis conſtant monumentis: eadem & ii hodie teſtificantur populi, quorum hæc eadem eſt vita.

Inter illam vitam immanitate ac miſeria efferatam, afflictamque, & hanc mitem, ac cultam, quid aliud intereſt, quam *vis*, & *jus*? Jus autem ſapientia docuit: eadem artes intulit. Ea

Fluctibus e tantis vitam, tantiſque tenebris
In tam tranquillo, & tam clara luce locavit.
Nam niſi purgatum eſt pectus, quæ prælia nobis
Atque pericula tum ingratis inſinuandum?
Quantæ conſcindunt hominem Cuppedinis acres
Sollicitum curæ? quantique perinde timores?
Quidve ſuperbia, ſpurcities, petulantia, quantas
Efficiunt cladeis? Quid luxus deſidieſque?
Hæc igitur qui cuncta ſubegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis, nonne decebit
Hunc hominem numero divum dignarier eſſe?

Audin' Lucretium veterem illum noſtrorum cinœdorum atavum? Hi autem, qui ea bona invexerunt, fuere ii, qui noſtra nobis jura ad animum revocarunt, quique leges eorum

rum

(a) *Lucr. Lib. VI.*

rum jurium vindicatrices docuere: qui ita nos legibus ſubjecere, ut liberi eſſemus: liberi autem ſumus, quum ita adigimur, ut nolimus aliorum jura præripere? Nam nulla ex re nobis ſævior imminet ſervitus, quam ab eo animali, quod omnibus exſolutum legibus iſta ſcelerum capita efficere ſtudent, quodque, ſi ſaperent, affixum Caucaſo coercerent. Id ita intellexere Titanes. Itaque Tyndarus Plautinus *in Captivis*

Vidi ego multa ſæpe picta, quæ Acherunti fierent
Cruciamenta. Verum enimvero nulla adæque eſt Acheruns,
Atque ubi ego fui in lapidiciniis... Sed hæ, quas memorat, lapidicinæ næ illæ ſunt veræ nugæ, ſi cum ceteris malis, quæ hominum improbitas pati jubet, conferantur. Itaque Dicæarchus, magnus, ut ait Cicero, & copioſus Peripateticus, librum ſcripſerat, *de interitu hominum, qui collectis ceteris cauſis, eluvionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quorum impetu docet, quædam hominum genera eſſe conſumta, deinde comparat quanto plures deleti ſint homines hominum impetu, ideſt bellis & ſeditionibus, quam omni reliqua calamitate* (a). Papæ quam magnifice Homerus!

Αρες, Αρες βροτολοιγε, μιαιφονε, τειχεσιπλητα

Martem & ſævum, & humana cæde inquinatum, & mœnium everſorem vocitans. Quare quum hæc, quæ hodieque lugemus, olim fuerint & frequentiora & atrociora, qui immanem illam ætatem cum noſtra contendens, nos aut pejores evaſiſſe, aut exleges fore beatiores, effutire audeat, non ſatis intelligo. Sed id adeo fit, quia videlicet rerum noſtrarum intemperantia vexat.

Tum denique homines noſtra intelligimus bona,
Quum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

At enim: natura hæc reſpuit commenta, quam ſi vi premas, quid humana vita miſerius? Huic tamen opitulari ſapientia pollicetur, non obluctari. Decipiuntur qui ita oblatrant, aut alios decipere amant. Principio nullius hominis natura diſciplinam reſpuit. Nemo ne unquam ita animum ſubegit ſuum, ut oportuit? nemo appetitum eſt unquam moderatus? Nemo philoſophiæ paruit? Id qui docet & hiſtoriam vult convellere humanam, & ipſe ſibi

(a) *Cic. de off. lib.* II. *cap.* V.

teſtis eſt, quam ſolemnia mentiatur. Non igitur natura animi culturam reſpuit, ſed naturæ luxuries quædam. Hanc igitur luxuriam tu regere potis es: *hanc* igitur *frænis*, *hanc compeſce catena*: nec ea vana eſſe dicas, quæ aut ignavia, aut animi morbi ne reſpectare quidem ſinunt.

Quid, ais, præſidii nobis in hac eſſe poteſt ſapientia? Plurimum, inquam. Nempe, ut diſcamus, non quidem naturam convellere, aut premere miſere, quod iſti invidioſe & contumelioſe latrant, ſed moderari, ne effrænis proſiliat, noſque præ quàm ratio poſcit, infeliciter. Eſt enimvero ſapientia iſthæc, quam iſti funditant?

Quum Venus Cupidoque imperat, ſuadetque amor.
Si media nox eſt, ſive eſt prima veſpera,
Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies,
Tamen eſt eundum, quo imperant, ingratiis.

Eſt, ut quum

Flos veteris vini tuis naribus objectus eſt,

Statim impure exclames

Tu mihi ſtacte, ut cinnamomum, tu roſa
Tu crocinum & caſſia es, tu bdellium....

atque quadrantal ingurgites?

Hæc ſi plebeja dicta recinas, tum vero non naturæ opitularis, ſed, ut dixi, luxuriei, naturam autem corrumpis, quæ eo te moleſtius acriuſque uret, quo libentius fræna laxaveris. Quin igitur cohibes? Nam id eſt opitulari naturæ. Cohibere autem hæc tu ratione potes magno tuo bono

Invidus, iracundus, iners, vinoſus, amator,
Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem (a).

Quin ſi nihil a te humani alienum putas, tute ipſe aliquando compeſcuiſſe, eaque re præclare tibi ſatisfeciſſe tibi teſtis es. Quo igitur modo qui luxuriantis arboris ramos recidit, non naturam convellit, nec ei quidem vim infert ullam, ſed luxuriantem ſubigit, quo lætius, ac opimius vegetet: ita hæc naturæ moderatrix ſapientia vim humanam non extirpat, nec ita coercet, ut nuſquam appareat, ſed ducit, ut ne ſibi ipſa nocumento ſit. Ecquam enim tu aliam ſapientiam dices?

Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe ..... qua niſi careas, naturam tu prædicas liberem?

Sed

(a) *Hor. lib.* 1. *ep.* 1.

Sed hæc ego pluribus opere in ipſo ediſſerui: quare tu lege, ſi vis: quod ego ſi exoravero, tum certus ſum, nec inanem hanc tibi fabulam videri, nec cum natura pugnare philoſophiam. Rem bene gere, & vale.

Dabam Neapoli Parthenopes anno Epochæ Chriſtianæ 1761. Idibus Februarii.

ANTONIUS GENUENSIS

LECTORI PHILOSOPHO S. (1)

A*Dnavimus. Poſtquam ſcilicet nimboſus Orion*
Perque undas ſuperante ſalo, perque invia ſaxa
Egit. Qui ego monſtra memorem, quibuſcum depugnandum fuit? Qui ſcopulos, qui prætervehendi? Sed quamquam plures in ea ſententia eſſe video, majora oceano monſtra ali, quam tellure, hæc ego, quam illa, nunc reformido magis. Utinam hoſpitio ne prohibeamur arenæ, ac Trojanus ut olim Ille terris jactatus & alto, *clamare debeamus,*

Quod genus hoc hominum? Quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria....

Decreveram ego quidem tertiam hanc partem monogranomam *edere, quo minus haberent nominis noſtri obtrectatores criminandi materiam. Sed juſto minorem voluminis molem renuebat librarius: itaque clamitando effecit, ut pervicerit propoſitum.* Crimen ex ſilentio: crimen ex voce! *Interea quum juſtum volumen explere vellem, iis etiam illud referſi, quæ minus erant accurata: deerat quoque pluribus lima, præſertim iis, quæ de veritate Religionis Chriſtianæ in poſtremis propoſitionibus diſputata ſunt. Sed ne quum ederentur quidem, totus in iis potui: adeo me undique curæ aliæ, minutæ illæ quidem, ſed aſſiduæ, diſtraxere. Dicam paucis: quum ego in ceteris libellis meis omnino mihi numquam ſatisfecerim, tum vero in hoc etiam diſpli-*

(1) *Erat hec epiſtola tertiæ oleas jacta videri poſſit. Ne ta- parti primæ editionis affixa, ad men quid deſideres eam & hu- jcamque accomodata. Hic extra ducudendam curavi.*

plico. Sed & valde ego timeo, ne quid, me imprudente, exciderit, quod minus delicatiores probent Theologi: id quod ſi eſt, nec cogitatum, nec dictum volo. Ex Chriſtiana ego regula quum his in rebus, tum in ceteris omnibus, philoſophari amo.

Mirabuntur autem fortaſſis quidam, me Theologica pertractare: nam ita dudum vulgavere ii, qui mihi bellum ultro indixerunt, parvo qui ſunt impendio Theologi, non peregrinum modo me in ea eſſe diſciplina, ſed audere quoque nimium, eſſeque in noſtris commentariis Theologicis, qui manuſcripti feruntur, non leviuſculos errores. Quibus ego haud multis reſpondeo. Nam principio ut mihi eam Diſciplinam adrogem, longe abſum: neque enim ignoro quam curta mihi, eam rem quod attinet, ſit ſuppellex, ac ampliorem ejus, quam quivis excogitare poſſit, animo imaginem gero, cui exprimendæ intelligo quam pauci pares eſſe poſſint, tantum abeſt, ut ego valeam. Sed id efficere nequit, quin, ſi quid valeam, in religione tuenda, qua nihil nec antiquius, nec carius habeo, impendam, Scribent alii doctis, quibus ego gloriam non invideo: ego tirones inſtituendos ſuſcepi, quibus timeo plurimum, ne, ut ſunt hodie mores, impiis, qui haud dudum prodiere, libellis, indeque ſacrilegis longe vagantibus ſermonibus, de pietate in Deum primum quidquam minuant, in omnia mox crimina, quod eſt conſectarium, ingreſſuri petulantiſſime. Ceterum Theologi mihi ut eas ob reculas nomen tribuam, & cavi, & id ego cavebo ſemper. Accedit, quod horriſonum hoc mihi vocabulum iræ theologicæ fecerunt, ut ne ſi uſurpare quidem liceret, libenter ferrem. Nos litteras pacatiores colimus: ac utinam per profanos homines liceret, religionem, quæ doctorum hominum problema evaſiſſe videtur, vita magis, quam ſcriptione tueri. Sed eo ventum eſt vitiorum, ut accuſare ea facilius ſit, quam emendare. Quid vero de elementis noſtris theologicis olim in vulgus ſparſerint obtrectatores noſtri, id nunc ego ad præſentem cauſam non refero. Nam etſi poſſim totius illius machinationis cauſas in medium afferre, oſtendereque aperte, non ſolum quam inique, ſed quam inſcite & abſurde tota illa accuſatio peracta ſit, quantaque fuerit in ea cauſa Judicum ſapientia & fortitudo, qui perditis hominibus tam maſcule reſtitere; mallo ego vel cum nominis mei detractione conticeſcere, quam veteres ac obductas cicatrices recentare. Nec ego nunc memoro crimini tributa quæ minus intelligerentur, aut

quæ

quæ non de chriſtiana regula, ſed de privatis opinionibus conſerentur: illud tantum ne peccaſſet, ut ne vocabula quoque inter hæreſes retuliſſent: Ut ecce: baptiſmum vocant veteres φυλακτηριον της πιςεως (*a*), *ego* Symbolum Chriſtianæ fidei, *Symbolumque pro* teſſera *accipio, quemadmodum & plures apud veteres* (*b*): *interim id vocabulum accuſatoribus noſtris hæreſis eſt. Sacramenta appello* inſtrumenta Religionis Chriſtianæ, *ut S. Thomas* inſtrumenta Dei incarnati & paſſi (*c*): *hæreſis eſt. Quó demonſtrem, & vetus Teſtamentum traditione olim interpretatos, ſcribo*, quaſdam veteris teſtamenti prophetias, quæ ſecundum litteram non videntur ad Chriſtum referri, Apoſtolos *confidentiſſime* in ſuis ad Judæos concionibus de Chriſto *uſurpaſſe*, quod profecto non feciſſent, niſi ex traditione conſtitiſſet & de Chriſto fuiſſe dictas: *binæ eo in loco repertæ hæreſes*, confidentiſſime, & uſurpaſſe. *Alicubi* Canum *laudo* in aureo libro de locis: *extractum*, Calvinus in aureo libro de locis, *criminique data laus. Ubinam gentium is Calvini liber deliteſcit? Ego ne igitur Theologi nomen horrificum non habeam? ego ne apologiam ſcribere nequeam? quis non in convicta rebus cauſa? Interim obmuteſcam libentiſſime: reus audire malo, quam turbatæ caritatis auctor. Cauſam coram Deo agam. S. Gregorii Nazianzeni locus eſt egregius, quo me conſolor. Ponam totum, eaque me apologia deinceps tutabor. Donam autem ſemel tantum; paullo enim longior eſt* (*d*).

Atqui pleriſque ſecus videtur, inquies. Quid id vero mea intereſt, qui rei veritatem magis curo, immo ſolum curo? hoc enim vel me condemnaverit, vel abſolverit: hoc miſerum, vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum ſomnium. Non ita aliis videtur, aïs. Quid vero? an iis, qui vertigine correpti ſunt, terra fixa, & ſtabilis eſſe videtur? an ebriis ſobrii integra mente eſſe, ac non potius in caput incedere, ac ſurſum deorſumque moveri? an non quibuſdam interdum hominibus mel amarum eſt, nempe mor-

(a) *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.* III. *cap.* 23.
(b) *S. Petrus Chryſ. ſerm.* 62.
(c) *Lib.* IV. *contra Gentiles cap.* 50.
(d) *S. Greg. Nazianz. orat.* 27.

morbo laborantibus, maleque effectis? At non propterea res ita ſe habent, ut, qui hoc ſtatu ſunt, arbitrantur. Quo circa fac prius fidem ſanos eſſe, qui de nobis ita ſentiunt, ac tum nos admone, ut meliorem mentem induamus; aut condemna, niſi conſilio tuo pareamus, ſed in eadem ſententia perſtemus. Non ita multis videor: ſed perſpicuus, atque manifeſtus ſum ei, qui omnia priusquam oriantur, novit: qui corda noſtra ſigillatim fingit: qui omnia opera noſtra, omnes motus, & cogitationes, cum quibus res a nobis geruntur, intelligit: quem nihil eorum, quæ ſunt, latet, aut latere poteſt: qui aliter res noſtras intuetur, atque mortales ſolent (homo enim videt in faciem: Deus etiam intuetur cor. Audiſti ſcripturam hæc dicentem, ac fidem adhibe). Cujus judicium cordatis hominibus pluris faciendum, magiſque curandum eſt, quam omnium aliorum in unum coactorum. An tu duos quidem homines, quorum alter acutior & ſagacior, alter imperitior & hebetior eſſet, de eodem negotio in conſilium adhibens, haud recta mente præditus eſſe videreris, ſi relicto prudentis conſilio, judicium imperiti ſequereris (neque enim Roboam ex eo laudem eſt conſecutus, quod pro nihilo habita ſenum ſententia, juvenum conſiliis paruit): quum autem Deus & homines inter ſe expenduntur, judicia hominum potiora duces, quam Dei? Nequaquam certe id facies, ſi me audias, recteque ſentias. At, inquis, tuarum contumeliarum nos pudet. Me vero veſtri, quos ob eam rem pudeſcat. Nam ſi hæc juſte patimur, nobis potius ipſis, quam vobis noſtra cauſa, erubeſcendum eſt, non quia contemnimur, ſed quia contemtu, & ignominia dignos nos præbemus: ſi autem inique, crimen eorum eſt, qui contumeliam inferunt: ac proinde illorum potius, quam noſtri cauſa indignari & ſtomachari debetis, quoniam ii ſunt, quibuſcum male agitur. Quod ſi me, quum malus eſſem, optimum virum exiſtimares, quid mihi faciendum eſſet? improbior ne ut eſſem, quo magis tibi placerem? haud quaquam ſane id mihi conſilii dediſſes. Eodem modo, nec ſi me recte & cum virtute incedentem offendere ac labi putes, a recta vivendi ratione propter te deſiſtam. Nec enim tibi magis, quam mihi ipſi vivo: atque in omnibus rebus conſiliarii loco rationem, Deique juſtificationes habeo: a quibus plerumque, etiam nullo accuſante, convincor; & rurſum condemnantibus multis abſolvor.

ſolvor. Atque hoc unum tribunal nemo effugere poteſt, internum nempe atque in nobis ſitum, quandoquidem ſolum ob oculos propoſitum habere debemus, ut rectum vitæ iter teneamus. Quod autem ad hominum de nobis exiſtimationem attinet, ita animo comparati ſumus, ut ſi quidem contingat, non illibenter accepturi ſimus (ut humani etiam aliquid dicam); ſin autem in contrarium cadat, valere jubebimus, nec quicquam de rei veritate propter hominum opinionem detrahemus. Quiſquis enim rei cujuſpiam gratia virtuti ſtudet, is profecto neutiquam firmas in virtute radices egit. Simul enim atque res ea effluxerit, recti quoque ſtudium deponet: quemadmodum qui quæſtus cauſa navigat, niſi lucrum præſto ſit, navigare deſiſtet. Atqui bonum ipſum propter ſe colit & amplectitur, quoniam rem fixam & ſtabilem amat, certam quoque & conſtantem erga illud animi alacritatem habet: adeo ut divinum aliquid ſentiens, his quoque Dei verbis uti poſſit, *Ego idem ſum, & non mutor*. Quamobrem nec ab animo ſuo migrabit, nec immutabitur atque a ſe deſciſcet, nec cum temporibus ac rebus collabetur, alias alios mores induens, ac ſubinde colores aſſumens, non ſecus ac polypi, petrarum, ad quas acceſſerint, colores referunt: verum idem ſemper ſuiſque ſimilis permanebit, fixus in rebus minime fixis, immotus in incertis & fluctuantibus, non aliter opinor, ac rupes quædam ventorum, fluctuumque impetu non modo non concutitur, ſed etiam incurſantes undas circa ſe frangit atque abſumit. Verum de his hactenus: nec enim mihi vacat cum linguis pugnare: atque etiam fortaſſe plura diximus, quam conveniret. *Sic ille. Hæc a me dicta puta: ama, & vale.*

IN-

INDEX CAPITUM.

PROŒMIUM. pag. 15
DEFINITIONES. 38
CAP. I. *De exſiſtentia Dei.* 48
Scholion generale ad caput ſuperius. 52
CAP. II. *De illis Dei attributis, quæ ei ut enti conveniunt.* 58
CAP. III. *De proprietatibus Dei Spiritualibus, ac primum phyſicis.* 63
CAP. IV. *De Attributis Dei Moralibus.* 81
CAP. V. *De religione generatim.* 94
CAP. VI. *De Religione naturali; quodque ea curando atque gubernando homini minus ſit ſufficiens.* 117
CAP. VII. *De neceſſitate revelationis.* 122
CAP. VIII. *De veritate Religionis Chriſtianæ, ac primum de genuinitate librorum Evangelicorum.* 147
CAP. IX. *De Lege Evangelica.* 157
CAP. X. *De Hiſtoria Evangelica.* 169
CAP. XI. *De divinitate doctrinæ Chriſtianæ.* 188
CAP. XII. *Divinitas Chriſtianæ Religionis ex vetuſtis prophetiis demonſtratur.* 204
CAP. XIII. *Objectiones Deiſtarum reliquæ, quum quæ petunt hiſtoriam Evangelicam, tum quæ dogmata, diluuntur.* 234
CAP. XIV. *Librorum veteris Teſtamenti divinitas demonſtratur ex novo.* 270
CAP. XV. *De veracitate Moſaicæ, ac reliquæ Judaicæ hiſtoriæ.* 276
CAP. XVI. *Iis reſpondetur objectionibus, quæ in ſcriptis ipſis Moſaicis adverſus Judaicæ hiſtoriæ veracitatem depromuntur.* 285
CAP. XVII. *Codex Legum Moſaicarum.* 301
CAP. XVIII. *De Moſoicarum legum præſtantia, & Sanctitate.* 353
CAP. XIX. *Præcipuæ objectiones, quæ adverſus legem & doctrinam Moſis a Deiſtis ingeruntur, enarrantur, & refelluntur.* 369
CAP. XX. *Divinitas librorum veteris Teſtamenti demonſtratur a prophetiis.* 382

ELE-

ELEMENTORUM

METAPHYSICÆ

MATHEMATICUM IN MOREM ADORNATORUM

PARS SECUNDA.

PRINCIPIA THEOSOPHIÆ NATURALIA.

PROŒMIUM.

1\. NULLA eſt totius Philoſophiæ pars hac, de qua agimus, nec pulchrior ac jucundior, nec magis ad rem noſtram pertinens, quaque majus nobis ſit opus. Principio, quid pulchrius atque jucundius, quam Patrem & Opificem mundi contemplari, a quo ſumus id totum, quod ſumus; a quo perpetuo conſervamur; cujus beneficiis cumulamur; cujuſque tantum poſſeſſione beati eſſe poſſumus? Deinde quum a Deo & uſi ſimus, & ut conſervemur, pendeamus; eique idcirco omnem debeamus amorem, ſervitutem, cultum; iſque cultus nec mancus eſſe debeat, nec ſuperfluus, ſed ſupremæ ejus naturæ,

& attributis conſentaneus; inde fit, ut hæc neceſſaria ſit homini Dei, divinorumque attributorum cognitio; niſi in ea re, qua nihil carius nec antiquius habere debemus, cultu ſcilicet & pietate erga noſtrum auctorem, perpetuo aberrare velimus. Præterea præcipua officia noſtra lege naturæ, velut prima, inſita, & immutabili regula, reguntur: ad legem vero naturæ conſtituendam & intelligendam neceſſaria eſt Theologia naturalis. Nam nec ſine ſupremo mundi imperante eſſe ulla in natura poteſt lex hominibus omnibus communis; nec, ſi Deum ignoremus, hujuſmodi legis capita ac vim ſcire poſſumus. Tandem, ut cetera mittam, plurimum juvat & in hac vita pacate tranſigenda cognitio ſupremæ Dei naturæ, providentiæ, beneficentiæ, bonitatis, juſtitæ, potentiæ, &c. Hæc enim cognitio & in adverſis ſpem in nobis ingenerat melioris vitæ, atque alacres efficit, & in proſperis ſanctum quemdam timorem incutit, quo a nimio præſentis hoſpitii amore abſtrahamur. Contra, qui Deum ignorant, aut contemplari negligunt & in adverſis miſerrimi ſunt, quippe qui nullum proſpectant portum, ad quem confugiant: & in proſperis perditiſſimi, atque item miſerrimi; quandoquidem in iis bonis totam ſuam felicitatem collocant, a quibus habere nequeunt (*a*):

II. Sed ſunt fortaſſis, qui totam hanc diſciplinam inutilem & falſam reputent, clamentque imponi populo a Theologis. Quum enim conſtet, inquiunt, inter omnes, qui de Deo philoſophantur, ignotam nobis Dei eſſe naturam, recenſeaturque inter Dei proprietates præcipuas *incomprehenſibilitas*; fit ut verboſa quidem eſſe poſſit Theologia, vera non poſſit; nec proinde utilis. Ac quod natura Dei ſit incomprehenſibilis mentibus humanis inde patet, quod ſit illa infinita; mentes vero humanæ breviſſimæ, ut inde de Deo cogitare incipiant homines, ubi nihil in natura certi & explorati amplius circumſpiciunt: *Theologia*, inquit, *incipit, ubi deſinit Phyſica*. Et vero qui Ethnicam Theologiam didicit, qui is dubitare poteſt quam abſurda, perridicula, impia quoque, nec Dei tantum naturæ adverſa, ſed hominibus etiam infeſta, ac late noxia homines de Deo commenti.

(a) *Perelegantiſſime tota hanc rem explicuit ac demonſtravit Eminentiſſimus Poliniacus in lib. 2. Antilucretii.*

menti ſint? ejus rei copioſus teſtis eſſe poſſunt libri Gerardi Voſſii de *Theologia Gentili*. Accedit quod veteres Theologi aperte Dei incomprehenſibilitatem prædicant. Quum Plato dixiſſet, *Deum invenire difficile, evulgare impoſſibile*, Gregorius Nazianzenus (*a*) ita corrigit, ut pro eo, quod Plato invenire ait *eſſe difficile*, *ille multo impoſſibile eſſe dicit invenire, quam eloqui*. Plura ſunt ſimilia Patrum dicta, quorum quædam protulit Petavius tom. I. Dogm. Theol. lib. VII. cap. I. B. Thom. eumque Schola omnis ſecuta, tradunt, Deum non poſſe intelligi, niſi via *remotionis*, ideſt removendo ab ea natura quidquid perfectiſſimum non ſit. Huic argumento addunt, totam Theologiam contentioſam eſſe, diſcordias atroces progignère, quæ non ſine dolore in tota Europæ hiſtoria leguntur: occupari præterea in quæſtionibus magna ex parte aut otioſis, aut inutilibus, aut ejus generis, quæ nullo modo mente humana finiri queant; pleriſque etiam, quæ non leves ſcrupulos animis humanis injiciant. Ex quibus conficere ſibi videntur, non modo inutilem eſſe Theologiam, verum etiam noxiam.

III. Ei argumentationi binis verbis reſponderi poteſt. Dei exiſiſtentiam, & quaſdam ejus proprietates, eas præcipue, quæ vitæ noſtræ interſunt, ideſt primam univerſi cauſam æternam, ſapientiſſimam, potentiſſimam, optimam manifeſtis naturæ argumentis intelligi, ii negare poſſunt, qui prorſus bardi ſunt, & ſtupidi. Et quamquam perfectam, & adæquatam Dei notionem mortalium nemo complecti animo poteſt, aut perfecte Divinam naturam explicare, quod veterum illa ſcita docent, quibus Deus incomprehenſibilis ſtatuitur; id tamen nihil officit veritati, & utilitati eorum, quæ de Deo cognoſcimus, ac propterea huic diſciplinæ; quemadmodum non inde confeceris ſcientias phyſicas falſas eſſe & inutiles, quod perfectam corporum notionem, eorumque, quæ in corpore inſunt, non habeamus. Eſt enim ſæpe a nobis obſervatum, ea quæ ignoramus, efficere non poſſe, ut quæ ſcimus minime ſciamus. Ac vero nulla apud homines hujuſmodi diſciplina eſt, cujus objectum illi adæquate noſcant, aut profiteantur: nec propterea omnes inutiles, & verboſas potius, quam veras dicemus, niſi perridiculi eſſe

(a) *Orat.* 34.

velimus. Nam quod S. Gregorius Nazianzenus, aliique Patres pronuntiant, id, ut dixi, ajunt de perfecta comprehenſione divinæ Naturæ, & quidem ut retunderent ſuperbiam, & temeritatem cum primis Græcorum Philoſophorum, tum etiam Gnoſticorum quorumdam, quos idcirco S. Chryſoſtomus copioſe redarguit in Homiliis adverſus Anomæos. Quandoquidem ergo conſtat de primo hujus diſciplinæ objecto, ſtolidi ſint oportet, qui ea ſcientia populis imponi clamant. Quod addunt, diſcordias hanc ſcientiam atroces alere, & in nugis plerumque, tricis, atque periculoſis quæſtionibus ferendis occupari Theologos; id non diſciplinæ vitium eſt, ſed Profeſſorum. Itaque non magis eam ob rem accuſare Theologiam poſſis, quam Medicinam, aut Oratoriam, quod plerumque occidant Medici aut incauti, aut artis imperiti; Oratores vero ingenio & arte abuſi ſeditiones aut excitent, aut alant, aut falſæ & iniquæ cauſæ patrocinentur. Non enim nos hominum heic vitia defendenda ſuſcepimus, ſed diſciplinas: quæ veræ & utiles eſſe poſſunt, etiam ubi ſunt illi falſi & perditi. Sed hujuſmodi argumenta protrita jam in Scholis evaſere, & puerilia. Nec vero nos movere debent nationum aberrationes & commenta: quo modo quod popellus de natura rerum abſurdas, ac perridiculas ſententias animo concipit, id non efficit ut ſcientiæ phyſicæ, & mathematicæ minus ſint illæ præclaræ ac in pretio habendæ. Quamquam quum idololatriæ populi naturas intelligentes ad quatuor claſſes contulerint, *Dominum ac patrem univerſorum*, *Deos minores ac Genios*, *Heroas*, *Homines* (a): de Deo quidem *hominum*, *ac divorum patre*, pauca eſſe mentitos reperias: tota illa fabularum, impiarumque religionum colluvies minores Deos ſpectat. Sed ea de re alias.

IV. Eſt autem Theoſophia ſcientia Dei, divinarumque rerum, ſeu earum omnium, quæ ad Deum quoquo modo pertinent. Solet apud Theologos noſtros dividi in *Naturalem*, & *Revelatam*, quæ non *objecto*, aut *fine* diſcrepant, ſed initiis. Prior ex naturæ ideis, poſterior ex ideis revelatis de Deo, diviniſque rebus ratiocinatur; ſeu (quod tantumdem eſt) illius principia a natura ſunt, hujus a revelatione. Ac quamquam jamdudum priorem Metaphyſici, poſteriorem Theologi ſibi adrogaverunt, ut provincias

(a) *Vide Plutarch. de defectu oracul.*

cias inter ſe partitos dicere poſſis; tamen utrumque hos Theologiæ genus conjungendum eſt ei, qui omnibus numeris abſolutus Theologus eſſe cupit, ut ſcilicet idem & quæ natura ac ratio de Deo patefacit, & quæ docet revelatio, in promtu habeat, & in numerato. Auguſtinus certe utrumque ſequi ſe ſolitum ſcribit: *ego*, inquit, *ita ſum affectus, ut quid ſit verum, non credendo ſolum, ſed etiam intelligendo apprehendere impatienter deſiderem* (a). Idem prorſus præſcribit Theologo S. Thomas in 1. contra Gentes libro. Veteribus ferme omnibus chriſtianæ Religionis Theologis certa eadem erat & fixa ſententia, rationem humanam λογον eſſe, & participationem æternæ Dei rationis, & radium intellectus Dei, ſcribunt ſæpe Juſtinus Martyr, Origenes, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Auguſtinus, aliique. Origenes in primo contra Celſum docet bis a Deo leges hominibus promulgatas, primum *via rationis*, deinde via Prophetiæ, atque id, ait, ſignificare Scripturam, dum narrat, bis a Deo in Sinai ſcriptas. Ac paullo poſt ait mirum non eſſe, ſi & Græci quidam Philoſophi Dei unitatem, & prima veræ moralis Philoſophiæ capita perviderint, quum eorum omnium ſemina (σπερματα τυ λογυ) in cordibus hominum ſint inſcripta, indeque fieri, ut omnibus poſſint eſſe communia. S. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Theologia poſtquam accurate & docte ex ipſis rebus factis Dei providentiam oſtendiſſet, *ad hunc*, pergit, *modum ratio illa divinitus omnibus inſita, & prima in pectoribus noſtris condita lex, cunctiſque mortalibus innexa, nos ab iis rebus, quæ oculis cernuntur, ad Deum ſubvexit*. Idem orat. 23. quæ eſt in laudem Heronis Philoſophi Alexandrini, aperte, ut ille ſolet, ſcribit, *oportere hominem aut Philoſophum eſſe, aut Philoſophiam laudare, ne brutæ ſocordiæ damnetur, qui rationis particeps creatus eſt*. Additque illud, excolendam rationem, quia *per rationem ad Verbum imus*, δια λογον προς λογον σπευδοντες. Auctor perantiquus commentarii in Eſaiam c. 8. inter opera S. Baſilii tom. 1. *ſunt autem*, inquit, *modi duo, quibus poſſumus adduci, ut cognoſcamus Deum, ſuſcipiamuſque curam noſtri ipſorum; ſi aut cogitationibus naturalibus per viſibilia adſcendamus ad Conditorem, aut per legis nobis traditæ doctrinam*. Mitto alios.

(a) *Lib. III. contra Academicos cap.* 20.

Quod quum alias utiliſſimum ſemper fuit, tum noſtro præſertim ſæculo neceſſarium, in quo Deiſtæ abuſu rationis & philoſophiæ, divinitus traditæ doctrinæ imperitiſſime ſimul & impudentiſſime inſultant. Quibus enim armis Theologus profanum hoc hominum genus adorietur, ſi ſit in ea re, qua illi abutuntur, minus inſtructus? Perridiculus enim eſt Matheſeos ignarus, qui Mathematicos confutare velit; quo exemplo utitur alicubi Hieronymus.

V. Illud autem hoc in loco animadvertendum eſt, eſſe non leve inter naturalem, & revelatam Theologiam diſcrimen. Anguſtior & imperfectior eſt illa: hæc amplior & perfectior. Scilicet lumen naturæ exiguum eſt, & magna ex parte humanæ naturæ tenebris obſitum: lumen vero revelatum & longius latiuſque patet, & plenius eſt atque ſincerius. Hinc Apoſtolus ad Corinth. ſcribit: *Loquimur ſapientiam Dei in myſterio, quam præfinivit Deus ante ſæcula ad gloriam noſtram, quam nemo principum hujus ſæculi agnovit*. Enim vero hujus mundi ſyſtema exigit, ut naturalis ratio intra eos terminos cohibeatur, ultra, citraque quos pervagari natura nequit, quin ſyſtematis proportio pereat; quos tamen libere præterlabitur infinita Dei ratio (*a*). Quare arcta illa eſſe cognitio poteſt, modo naturæ ac dignitati hominis par: hanc longe lateque vagari decet. Quam rem par eſt ut perpendant, qui rationem naturalem, in Adæ potiſſimum filiis, ſtulte ſupra revelationem extollunt. Quod quid eſt aliud, niſi humanam rationem ſupremæ Dei rationi præferre? Hoc ipſum vero nihil aliud eſt, quam dum rationem tuearis humanam, contra omnem rationem pugnare (1). Rationis enim humanæ primum ſcitum eſt, eſſe finitam & brevem, nec infiniti, ut Dei ratio, juſtam menſuram.

VI. At-

(a) *Vide Euſeb. Cæſ. l. 1. in Hieroclem, loco prorſus egregio.*

(1) Cognitionem Dei divinarumque rerum, quam natura nobis ſuppeditat, imperfectam eſſe, mancam, confuſam, inde demonſtrat S. Thomas in 1. contra Gentes c. 3., quod nihil eſt omnino, quod Deo & creaturis *univoce* conveniat: itaque alter ex alteris nulla analogia, ſed vix conjectura aliqua intelligi poteſt. Ac vero analogia locum habere nequit, niſi in iis rebus, quæ ad idem genus pertinent; eſt enim analogia proportionis cujuſdam argumentum. Conſtat autem ſub nullo communi genere naturam Dei infinitam ac res creatas contineri, id quod Scholæ acutiores Theologi intellexere. Ita fit, ut Deum velut *cauſam* univerſi *efficientem* intelligamus omnes & facillime, non item ut *cauſam exemplarem*. Qua ex re conſequitur ejus *ideas* ac *voluntates* [illegible] vix aliqua ex parte attin-

gere

VI. Atque hæc talia ſunt, ut Ethnici ipſi ſapientes cognoverint, quæ Deum ſpectant, aut a Deo ipſo, aut ab iis, qui a Deo ſunt orti, diſci debere, quemadmodum loquitur Plato in Timeo, quem locum magnifice laudant vetuſti ferme omnes chriſtianæ Religionis Apologiſtæ, in primis Origenes, & Clemens Alexandrinus. Præclarum illud Euripidis in Helena: *Neque compertum habeo, quid certum ſit in rebus humanis: Deorum verba vera eſſe reperi*. Philoſophi ipſi Gentiles humanæ mentis brevitatem & rationis imbecillitatem ad unum omnes agnoverunt, quorum loca congeſſit Huetius, ſeu quiſquis ſit (1), in Opuſculo Gallice edito *de imbecillitate mentis humanæ*.

VII. Sed inde præterea Theologiæ naturalis imperfectio dignoſcitur, quod nemo Philoſophorum fuerit, qui, dum ſolam naturæ rationem ſectaretur, non aliqua turbaverit circa naturam Dei, & Spirituum, circa originem mundi & providentiam, circa officia erga Deum, & homines. Materiam univerſi omnes Græci Philoſophi, ne divino quidem Platone excepto, Deo coævam poſuere: omnem providentiam, fortaſſis etiam divinitatem omnem, tum omnia jura naturæ ſuſtulerunt Democritici, & Epicurei: Pantheiſmum docuerunt Pythagorici, & Eleatenſes: Fato Deum ſubjecere Stoici: Ariſtoteles & Fatum Spinoziſticum docuit in Phyſicis, & in animorum natura nutavit. Itaque non ſine ratione veteres Eccleſiæ Patres, in primis Epiphanius hæreſi 67. queruntur, bonam partem hæreſeon ex Philoſophia, ſeu potius Philoſophiæ abuſu, natam. Gregorius Nazianzenus orat. 26. lamentatur, *Pyrrhonis inſtantias, Chryſippi Syllogiſmos, Ariſtotelis pravum artificium, & facundiæ Platonis præſtigias male in noſtram Eccleſiam irrepſiſſe, tamquam Ægyptia quædam flagella*. Tertullianus Philoſophos appellat *Patriarchas Hæreticorum*, quod & repetit inde Hieronymus. Legi meretur elegantiſſimus Moſhemii libellus de turbata per juniores Platonicos Eccleſia, qui

gere ex noſtri & univerſi contemplatione; ac propterea in his rebus Dei ipſius perveſtigare debere revelationem. Spectat huc S. Hilarii illud, *non relictus eſt hominum eloquiis de Dei rebus alius, præterquam Dei ſermo: omnia reliqua & arcta, & concluſa, & impedita ſunt, & obſcura* (lib. VII. de Trinitate num. 38.)

(1) Abjudicavit eum librum Huetio amicus noſter Antonius Muratorius in eo libello, quo Huetiani operis doctrinam refellit. Sed vereor ut perſuaſerit omnibus.

2. tom. ſyſtem. intell. Cudworthi adjectus eſt.

VIII. Neque hoc de vetuſtis tantum dictum volo, ſed de ipſis quoque recentiorum Philoſophorum ſectis, ubi paulo confidentius vela laxaverunt. Profecto nimia admiratio Carteſianiſmi non leves produxit in chriſtiana Republica errores: inde enim natus eſt Bekkerrianiſmus, & Spinoziſmus, quod eſt ſæpe adnotatum a viris doctis. Ex renovato Epicureiſmo phyſico emerſit Hobbeſianiſmus. Ex Chymiſtarum ſecta Fanatiſmus. Ex Newtoniana Pantheiſmum confirmare quidam adniſi ſunt. Quod dico non ut Theologus hæc ignoret, quæ ei, hoc præſertim, ut dixi, tempore, ſunt neceſſaria; ſed ut ne in cujuſquam verba juret, neve a ratione ultra, quam par eſt, ſe abripi ſinat. *Philoſophiæ* (inquit eleganter Clemens Alexandrinus (*a*) *ut nucis non omnia comedenda*.

IX. Illud etiam accedit maximum diſcrimen, quod Theologia naturalis nec omni ex parte integram moralem nos docet, nec demonſtrat vera media, quibus cum Deo, a quo primi hominis peccato humanum genus deſcivit, reconciliemur, ut vitam æternam habere poſſimus. Et vero ſi principia Philoſophiæ moralis vel præclariſſimorum Græciæ Philoſophorum attente examinaverimus, manca illa in pluribus, & in pluribus abſurda reperiemus, quod commodius oſtendemus. Hinc Apoſt. ad Corinth. 1. cap. 1. 19. ſcribit: *Scriptum eſt, perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo*. Jam genus humanum depravatum eſſe atque a primæva juſtitia, & rectitudine deſciviſſe, Ethnici ipſi agnoverunt. Inde nata apud illos *orgia* & *myſteria* (*b*), quibus ad primam naturam revocare homines ſtuduere. Quæ quam nihil profecerint, inde eſt manifeſtum, quod magis etiam corruperunt. Itaque idem Apoſt. in epiſt. ad Roman. diſceptans cum Hebræis aperte docet, ſine fide in Chriſtum, & ſine doctrina chriſtiana neminem ſalutem habere poſſe ex ſolis operibus legis: tantum abeſt, ut ex ſola naturali Religione habere queat. Petrus item Apoſtolus ſolemniter illud edicit: *Non eſſe aliud nomen ſub cælo hominibus datum, in quo oporteat nos ſalvos fieri, præter Jeſum Chriſtum*.

X. E-

(a) *Lib.* IV. *Stromatwn*.

(b) *Warburton* Divina Moyſis Miſſio. *Lafitau* les mœurs des Sauvages.

X. Egregie & ſæpe hac de re diſputant Patres. Unius Lactantii verba ponemus, quæ ſunt elegantiſſima: *Doctrinam Dei* (inquit) *ſequimur, qui ſcire ſolus poteſt, & revelare ſecreta, cujus doctrinæ Philoſophi expertes exiſtimaverunt naturam rerum conjectura poſſe comprehendi, quod nequaquam fieri poteſt, quia mens hominis tenebroſo corporis domicilio circumſepta, longe a Dei perfectione ſubmota eſt....... Unde nobis aliquo lumine opus eſt ad depellendas tenebras, quibus offuſa eſt hominis cogitatio....... Lumen autem mentis humanæ Deus eſt, quem qui cognoverit, & in pectus admiſerit, illuminato corde, myſterium veritatis agnoſcet: remoto autem Deo, cæleſtique doctrina, omnia erroribus plena ſunt*. Legi poteſt & Clemens Alexandrinus exhortatione ad Gentes, Cyrillus Alexandrinus adverſus Juliani Imperatoris convicia, & quæ ſuper eadem re præclare commentatur Huetius in l. 1. Alnetan. Quid? quod ipſe Benedictus Spinoza teterrimum recentiorum Deiſtarum caput in Tract. Theol. Polit. cap. 16. ingenue ſcripſit: *Viam ad ſalutem nobis a revelatione tantum, non etiam a Philoſophia demonſtrari?* nempe tanta eſt vis veritatis, ut refractarios quandoque, & contumaces ipſos ad ingenuam confeſſionem adigat. Quam ob rem delirant Deiſtæ, qui nos ad ſolam Theologiam naturalem revocare conantur; qui ſi attenderent animo, nullo negotio intelligerent, ex infinitis, ut dixi, Philoſophorum diſcordiis, quam imperfecta illa ſit, &, niſi virgula divina regatur, turbulenta.

XI. Ceterum non ita hæc dicta velim, quaſi aut futurus Theologus omnem prius rationem excutere debeat, nulluſque naturalis rationis ſit in ipſa chriſtiana Theologia uſus; aut nihil omnino de Deo rebuſque divinis Philoſophia nos docere poſſit. Alioquin & ſtupidi tantum ac crudi homines Theologi ſummi eſſe poſſent; & ſupervacaneam nos operam ſuſcepiſſemus in ſecunda hac Metaphyſicæ noſtræ parte, qui ex naturalibus notionibus de Deo diſſerere aggredimur. Itaque quod & ratione Theologus utatur inde perſpicuum eſt, quod nulla diſciplina apud homines ſine rationis uſu conſtare poſſit; tantum abeſt ut carere Theologia poſſit, quæ ſuprema ſapientia eſt, quod poſt Ariſtotelem Scholæ Theologi omnes concordiſſime docuerunt. Tantumdem igitur eſt rationis uſum omnem a Theologia diſterminare, atque illam e fundamentis convellere. *Quid intereſt*, inquit Canus l. IX. c. 4. *ratione animi ſublata, non dico inter*

ruſticum, *&* *Theologum*, *ſed inter Theologum*, *&* *pecudem*, *aut ſaxum etiam*, *aut truncum*, *aut quidvis generis ejuſdem?* Is idem graviſſimus Theologus eodem in loco c. 3. falſe eos irridet Theologos, qui ad nomen rationis, quoties Theologica pertractantur, exhorreſcunt. *Erunt igitur ii*, inquit, *ſi ita res procedit*, *optimi præſtantiſſimique Theologi*, *qui plurima loca memoria tenuerint*; *&*, *quod juriſperitis objicitur*, *qui Elenchi fuerint librorum & indices*, *rerum interea*, *earumque cauſarum*, *uſuum*, *finium*, *item ſtructuræ ac ordinis egregie ignari*. *Id quod in Germania regnante Luthero accidit*, *ut ſutores*, *qui novum Teſtamentum memoria mandarant*, *magni*, *&* *præclari Theologi haberentur*; *atque adeo mulierculæ*, *quoniam Evangelia*, *&* *Paullinas Epiſtolas memoriter recitare poterant*, *omnium Academiarum Theologos ad diſputandum provocarent*, *auderentque viris concurrere non virgines*, *ſed mulieres corruptiſſimæ*. *Abeant igitur*, *&* *quoniam cum hominibus homines nec ratiocinari*, *nec philoſophari volunt*, *ei*, *qui ſit ex pecudum genere* (*ſunt enim quidam homines non re*, *ſed nomine*) *ſe*, *ſuamque Theologiam inſinuent* (1).

XII. Ceterum quum uſus rationis in Theologia triplex eſſe poſſit, primus ut ex rerum naturalium notionibus de Deo diviniſque rebus, quatenus breviſſimus mentis humanæ captus protendi poteſt, diſſeramus, quod Metaphyſicæ, ideſt naturali Theologiæ, diſciplinarum metatores tribuerunt: alter ut artem ratiocinandi & naturæ notiones adhibeamus ad revelationem conſtabiliendam, & defendendam: tertius ut eadem ratiocinandi arte utamur in Scripturis divinis interpretandis, indeque Theologiæ ſyſtema deducendum, & contexendum; omnes Theologo eſſe neceſſarios pronuncio. Principio in ea Theologiæ parte, quæ naturalis dicitur, quantulacumque ea ſit, ex naturalibus rerum notionibus de Deo, ejuſque attributis, de rerum creatione, & gubernatione, de naturæ legibus, de mente humana, de hominum officiis, quouſque iri poteſt, ratiocinari debet Theologus. Quin hæc omnia revelata ipſa Theologia velut in anteceſſum, ac *præambula*, ut vocat S. Tho-

(1) Vide & Dominicum Sotum præfat. in libros *de nat. & grat.* S. Cyrillus Alex. lib. 11. in Julianum, Philoſophiam Chriſtianam eſſe ait θεωρητικον ideſt contemplatricem: ac per eam fieri, *ut res divinæ*, *quoad homini aſſequi fas eſt*, *ab iis*, *qui acrioribus ſunt ad perſpiciendum oculis*, *propemodum capiantur*.

S. Thomas, nota ſupponit. Nam revelatio poſterior eſt creatione, quæ prima eſt Dei manifeſtatio; eaque homini data eſt, non ut lumen rationis, quo homines ſumus, extingueret, aut ſuffocaret, ſed ut augeret, purgaret, regeret. Hinc idem S. Thomas ſæpe vere ac graviter pronunciat, *fidem ſupponere rationem, quemadmodum gratia naturam ſupponit, ac perfectio perfectibile*, ut ſcilicet, quemadmodum nullus eſſe poteſt gratiæ locus, ſi nulla ſit natura; ita nullus fidei, ſi omni ratione homines ſpolientur. Itaque Tertullianus in lib. de Reſurrect. Carnis, *præmiſit*, inquit, *Deus naturam magiſtram, ſubmiſſurus & prophetiam, quo facilius credas prophetiæ diſcipulus naturæ*. Cyrillus Alexandrinus, quum Julianus impudenter ac ſtulte objeciſſet, *Galilæorum ſectam humanum eſſe commentum malitioſe confictum, quæ nihil quidem divini habeat, ſed fabulis addicta, & puerili & ſtolide animi parte abuſa, prodigioſas narrationes in veritatis teſtimonium adduxerit* (*a*); communem hominum rationem appellat, quo Chriſtianos ab ea iniqua accuſatione defendat. *Numquid nobis Moſes fabulas conſuit, quum unum natura & vere Deum eſſe prædicat, ingenitum, æternum, incorruptibilem, quantitatis expertem, inviſibilem, immutabilem, impalpabilem, vitam ac vitæ datorem, ſapientiam, potentiam, omnis generationis auctorem, regem, dominum univerſorum? An a veritate deflexit ſanctorum Prophetarum oratio, quibus id curæ potiſſimum fuit, ut Moſaicorum dogmatum veſtigiis inſiſterent? An ſanctorum Apoſtolorum doctrinam inveniemus ab illa diſcrepantem?* Ac, quæ ſequuntur; quo in loco efficit duo. I. Julianum ad eam Dei notionem revocat, quæ communis eſt, & naturalis rationis. II. Quum ea naturaliter vera comperiatur, inde mendacii Julianum arguit, ac calumniæ adverſus Moſem, & Apoſtolos.

Quo in loco animadvertendum eſt, vehementer eos falli, qui doctrinam revelatam naturali rationi eſſe contrariam opinantur, quod quum ſcripſiſſet Robertus Olchot Anglus veteris Scholæ Theologus, in omnium Theologorum reprehenſionem incurrit (*b*). Enim vero *principiorum naturaliter notorum* (inquit egregie Sanctus Thoma) *cognitio nobis divinitus eſt indita, quum Deus ipſe ſit Auctor naturæ*

(a) *Lib.* II. *contra Julianum pag.* 39. *edit. Lipſ. an.* 1696.
(b) *Franciſcus Ferrarienſis ad lib.* I. contra Gen. cap. 8.

turæ noſtræ, eaque principia divina Sapientia continentur, ut propterea non poſſint iis revelata eſſe contraria, quin ſibi ipſe Deus adverſetur (*a*). Sed intelligendum eſt, principia rationis naturalis e rebus naturæ in nobis informari; ut proinde ſuos habeant terminos, quos qui prætergreditur, totum ille rectæ rationis uſum pervertit. Quocirca ſunt illa quidem prima Dei divinarumque rerum intelligendarum ſemina, minime tamen adæquata, quæque omnem Dei naturam, ejuſque conſilia, rerum præterea cum Deo relationes omnes patafacere poſſint. Quomodo ſenſuum ideæ ſunt illæ fontes, unde magnitudinum cognitio animis noſtris informatur: ſed fieri tamen nequit, ut oculi eouſque pervadant, quo has cognitiones Geometra perducit. Ut igitur eſt aliquid ultra ſenſus, quod attingit ratio, ita infinita ſunt extra rationis creatæ limites, quæ ſola Dei revelatio patefacere poteſt.

XIII. Deinde quum nemo inducitur ad divinam revelationem acceptandam ſine *motivis* quibuſdam, quæ Theologi *motiva credibilitatis* appellare conſueverant: hæc quoque motiva ratio primum hominibus ſuppeditavit, id quod magna conſenſione Theologi omnes docuere. Nam qui privatum neſcio quem ſpiritum induxerunt, quo in divina revelatione inſtrueremur, næ ii inſanivere ſolemniter, grandemque portam perridiculis fanaticorum erroribus aperuerunt. Quid enim eſt tam incredibile, quod hac ratione velut divinitus revelatum non prædicare poſſimus? Quamobrem quum Auguſtinus ſcripſiſſet, *Fidem eſſe cogitare cum aſſenſione*, perquiſivere in id ſubtiliter Theologi. S. Thomas iſthuc *cogitare* accipit *pro actu intellectus deliberantis, qui actus habet hoc quidem cum ſcientia communis, quod ſit firma adhæſio* (*b*). Hic vero actus intellectus, qui dicitur *credere*, pergit idem Theologus (*c*), *licet non habeat inquiſitionem rationis naturalis demonſtrantis id quod creditur* (eſt enim hoc ſupra naturæ rationes); *habet ſaltem inquiſitionem quamdam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum, puta quia ſunt dicta a Deo, & miraculis confirmata*, nempe ſunt illa adhæſionis illius motiva. Quum dixiſſet Paullus in 1. ad Corinth. cap. 2. v. 4. Sermonem ſuum demon-

(a) *S. Thomas lib. 1. contra Gen. cap. 7.*
(b) *2. 2. qu. 2. art. 1.*
(c) *Ibid. ad 1.*

demoſtrationem habere in *ſpiritu & virtute*, id ita intellexit Origenes in 1. contra Celſum, ut Religionis Chriſtianæ fundamentum e duobus præſertim fontibus petendum ſit, *ſpiritu*, ideſt propheтiis, & *virtute*, ideſt miraculis, eſſeque, ait, hanc demonſtrationem ei peculiarem, quæ ſcilicet a *factis* eſt, indeque totam fidei chriſtianæ rationem petendam, in quo veteres chriſtianæ rei Apologiſtæ ferme omnes egregie verſati ſunt, verſarique hodie debent ii omnes, quos pro loco, in quo ſunt poſiti, Chriſti doctrinam adverſus graſſans in dies profanorum genus tueri oportet (1).

XIV. Nec alia ratione hæc ceteri Theologi explicant; quorum ego loca heic prætermitto, ne longior juſto ſim. Durandi tantum a S. Porciano intactum locum, plane egregium, etſi longiuſculum, prætermittere nequeo. Is ſic ſuper ea re diſſerit (*a*): *Ratio non totaliter dimittitur a credente, imo non eſt poſſibile aliter credere, ſaltem meritorie* (2). *Quum enim credere ſit quoddam aſſentire; aſſentire autem nullus poteſt, niſi ei, quod apparet verum; oportet quod illud, quod creditur, appareat rationi verum vel in ſe, vel ratione medii, per quod aſſentitur; & ſi non in ſe, ſed tantum ratione medii, illud medium apparebit verum vel in ſe, vel per aliud medium; & ſi non eſt proceſſus in infinitum, oportet quod devenitur ad primum, quod apparet rationi eſſe verum in ſe & ſecundum ſe: & tale ſecundum ſe concordat rationi; igitur fides non excludit rationem, ſed ſupponit præviam, licet non rationem demonſtrativam*

(*a*) *In* 3. *diſt.* 24. *qu.* 3. *n.* 8.

(1) Vide Houteville operis egregii *La Religion Chrétienne prouvée par les faits* diſſertatione præliminari.

(2) Quæ ego omnia non probo: nam diſtinguere debemus inter eam fidem, quæ *meritoria* eſt, quæ eſſe nequit, niſi a Dei gratia; & eam, quam *hiſtoricam* appellare licet, quam argumentis factum aliquod probantibus denegare non poſſumus, ſi ſint illa ab omni exceptione immunia. Quo modo ex. g. *dæmones credunt* illi quidem & *contremiſcunt*, iis commoti argumentis, quibus quo major eorum ratio eſt, minus reſiſtere poſſunt. Eſt hæc hiſtorica fides. Sed non hæc demum eſt *meritoria*, ſed *illa*, *quæ eſt efficax per charitatem*, quæ merum Dei donum eſt. Ad priorem ergo fidem faciendam factorum argumenta, adeoque rationis uſum, ſine qua nullum eſſe poteſt argumentum, neceſſaria eſſe ajo: poſteriorem gratiæ eſſe conſtat.

tivam (1); *unde ipſemet Salvator doctrinam fidei, quam prædicabat, reduxit ad quædam apparentia in ſe, ſcilicet ad miracula, ut ex apparentibus & viſis ratio aſſentiret dictis non apparentibus: unde ipſe dixit Joan.* 10. *poſtquam dixerat*, ego, & Pater unum ſumus, *quod eſt non apparens in ſe*, ſi enim non facio opera Patris mei, nolite credere, ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre. *Et idem fuit de doctrina Apoſtolorum, de qua dicitur Matth. ult. quod prædicaverunt Deo cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Atque hoc eſt plane Ariſtotelicum: nam πίστις (inquit ille) ἀπόδειξις τις, *fides quædam eſt demonſtratio: tunc enim maxime credimus, quum recte concluſum eſſe arbitramur* (*a*).

XV. Supereſt nunc, ut illud perveſtigemus, quouſque rationi, & Dialecticæ in Dei revelatione interpretanda, & ex ea latentes concluſiones deducendo, indulgere poſſit Theologus: ſeu quatenus ex divina Scriptura philoſophari liceat, & quouſque probanda ſit, vel improbanda Scholaſticorum methodus. Quæ quamquam videri poſſint aliquibus aliena ab hoc loco, non ſunt tamen. Nam qui in *naturali Theologia* tirones inſtruere conor, quo ad revelatam aptiores ſint, rationis in re chriſtiana genuinum uſum demonſtrare officii eſſe mei duco, ne illi ratione abutentes, & a revelata juxta atque a naturali excidant; eoque id libentius efficio, quo rerum hujuſmodi imperiti quidam, aut nomini meo infeſti, ea ſuper hac re vulgavere, quæ a principiis, quibus ego illa pluries ediſſerui, toto, ut dicitur, cælo aberrant.

XVI. Scriptura data eſt homini, ideſt animanti rationis participi & utenti, ideoque rationis uſum ſupponit, quem formet, ſuſtineat, & regat, ut ſuperius diximus.

(a) *Ariſtoteles lib.* 1. *Rhet.*

(1) Hoc ita intellige, ratione demonſtrari quidem Deum eſſe loquutum, quod ſatis eſt, quo ea dogmata habeamus vera, quæ ille docuit: at non dogmata ipſa demonſtrari, quod neceſſarium non eſt, poſtquam conſtitit, a Deo eſſe tradita. Ajo, ex. gr. *Deum eſſe unum eumdemque ſub tribus hypoſtaſibus ſubſiſtentem*. Si conſtat id a Deo eſſe revelatum, neceſſe non eſt, ut id dogma inſtar Euclidis theorematum demonſtretur: demonſtratio enim fidei hoc abſolvitur, ut conſtet Deum eſſe loquutum, non ut plene ratione noſtra intelligamus, quæ ille loquutus eſt.

mus. Ergo debemus intelligere, aut ſi primo intuitu non intelligamus, accurate perveſtigare verborum divinorum ſenſus, eorum extenſionem, uſum, conſequentias, ideſt *cor Dei ſtudere in verbis Dei*, ut loquitur Gregorius Magnus. Atque hoc eſt *philoſophari hominem ex Scriptura*. Hoc tantum abeſt, ut in Theologia chriſtiana vetetur, ut potius non ſit aliud chriſtiana Theologia. Legatur Origenes in *6.* contra Celſum, qui id ut probet, Scripturæ loca duo profert, alterum Proverb. 10. 17. alterum Eccleſiaſt. 21. 18. Quamquam autem id per ſe ſit perſpicuum; tamen ne ii, quibus vetera juxta & nova ſunt ignota, conviciari pergant, ſequentibus auctoritatibus id demonſtrabimus. Paullus 1. ad Corinth. 15. 20. *Ne ſitis pueri intelligentia, ſed malitia parvuli eſtote, intelligentia autem perfecti*. Et in eadem epiſt. 10. 15. *Ut prudentibus loquor: vos ipſi judicate, quod dico*. Id ipſum comprobatur ex iis Scripturarum locis, in quibus non tantum Apoſtoli, ſed Chriſtus ipſe adverſus Judæos argumentantur ex Scriptura, aut in quibus ad ſcrutinium Scripturarum eos remittunt. Hinc cultum noſtrum vocat *rationalem* Paullus ad Rom. Comprobatur præterea ex iis, qui, quod ratione, prout oportet non utuntur, reprehenduntur. Deuteron. 32. 28. & 29. *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia! utinam & intelligerent, & noviſſima providerent*. Marc. 8. 17. & 18. *Nondum cognoſcitis, & intelligitis? aut cæcatum habetis cor veſtrum? Oculos habentes non videtis?* Præterea inter maxima mala, quæ Deus homini minitatur, illud certe eſt graviſſimum, ut habentes verbum Dei ad ſalutem, neſciant illud intelligere. Iſaiæ *6.* 8. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum*. Quam prophetiam impletam eſſe in Hebræis docet Matth. 13. 13. & Mar. 4. 11. 12. His omnibus accedit quod Patres ferme omnes hoc ſcrutinium perpetuo moneant, quorum loca vide apud Petavium in prolegomenis Dogmatum.

XVII. At hoc ſcrutinium Eccleſiæ, ideſt Paſtorum quidem proprium eſt, jureque iis divino præceptum, Theologis vero ceteris jure Paſtorum commiſſum; nec ad alios pertingit. Et quidem Paſtorum eſt, quia *Populus ab iis legem Domini requirit*, ut Malachias loquitur: ei vero officio parere nequeunt, niſi ſint in ſtudiis Scriturarum, &

Eccle-

Eccleſiaſticorum monumentorum omnium verſati. Præterea cura Epiſcoporum ſpiritualis eſt; paſcere debent populos cibo veræ doctrinæ: ergo *ſubſtantia ſacerdotii ſui ſunt divinæ Scripturæ*, ut Auctor librorum Dionyſii Areopagitæ ſcribit veriſſime. Intelligebant id veteres Epiſcopi, quorum idcirco tot commentarios, tractatus, homilias, expoſitiones, quæſtiones in Scripturas habemus. Intellexere Patres Synodi VII. œcumenicæ, qui can. 11. ſtatuunt, *ut nemo deinceps ad Epiſcopatum promoveatur, niſi qui* SCRUTABILITER, *& non tranſitorie, legere ſciat ſacros Canones, Evangelium, divini Apoſtoli librum, & omnem divinam Scripturam, ut ſecundum Dei mandata converſari poſſit, & docere populum ſibi commiſſum*. Intellexere Patres Concilii Tridentini, in quo quum ea quæſtio propoſita eſſet, utrum deberet Concilium examen inſtituere dogmatum, quæ Lutherani negabant, eſſentque plures, qui inficiabantur, eam ob rationem, quod eſſent alias ab Eccleſia examinata & definita, id omnino fieri oportere decrevere, quod Pallavicinus copioſe retulit. Ceterum quum Paſtores, adulto Chriſtianiſmo tot curis pares non ſint, creati ſunt Catechiſtæ, Concionatores, & Theologi, qui hæc ſtudia majori otio excolerent. His ſemel ad hanc curam vocatis incumbit naviter eam peragere. Legere Scripturas oportet, ſubſidia omnia comparare, quibus ejus ſententias illuſtrent, atque in vitam chiſtianam derivent. Inſtruere in Academiis juventutem; errores refellere; tantum non litigare inutiliter.

XVIII. Jam omnium hoc ſtudium & ſcrutinium eſſe nego: nam in Eccleſia non omnes ſunt Paſtores, ſed major pars oves. Illorum ergo cura eſt paſcere: horum officium audire. Qui hæc communia omnibus faciunt, ii œconomiam a Chriſto inſtitutam, ab Apoſtolis prædicatam, a tota veteri Eccleſia confirmatam, fœdiſſime perturbant. Porro quum Epiſcopi, tum ceteri Theologi iis regulis hoc ſcrutinium regere debent, quas Trullani PP. Cap. 19. præcepere. *Qui Eccleſiis*, inquiunt, *præſunt*, *omnem Clerum, & populum doceant pietatis, & rectæ Religionis eloquia, ex divina Scriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis, & non tranſgredientes jam poſitos terminos, vel divinorum Patrum traditionem. Sed & ſi ad Scripturam pertinens controverſia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quem quomodo Eccleſiæ luminaria & Doctores expoſuerunt.*

XIX.

XIX. Id ita ſi eſt, inquit aliquis, ceteri Chriſtiani a divinæ Scripturæ lectione arcebuntur; quod quum ipſi divinæ Scripturæ adverſatur, tum cum ſententia totius veteris Eccleſiæ pugnat. Scripturam ipſam per ſe eſſe omnibus datam hæc demonſtrant. I. Quod lingua populari omnes divini libri ſcripti fuerint. II. Quod legem contineant vitæ beatæ adipiſcendæ: leges autem non unis ſapientibus, ſed omnibus dantur. III. Quod in iis omnes generatim ad lectionem ſæpe incitentur. Sed & tota vetus Eccleſia id prædicat, Origenes (*a*), S. Joannes Chryſoſtomus (*b*), S. Baſilius (*c*), S. Gregorius Nyſſenus (*d*), S. Ambroſius (*e*), S. Auguſtinus (*f*), S. Gregorius Magnus (*g*), S. Thomas (*h*). Longum eſſet tot teſtium verba recitare. Id ſat eſt ſcire, veteris Eccleſiæ ſententiam eſſe eam, quam S. Thomas loco laudato his verbis concepit: *Scriptura ſacra communiter omnibus proponitur .... & ideo ſpiritualia ſub ſimilitudinibus corporum proponit; ut ſaltem vel ſic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia ſecundum ſe capienda non ſunt idonei.*

XX. Reſpondeo verum eſſe ſcripturas eſſe omnibus datas, ut omnes eſſent ad omne opus bonum inſtructi; ſed hoc triplicem habet ſententiam; primam, finem divinæ revelationis non eſſe inſtructionem ſapientum, ſed omnium omnino: alteram, ut omnes, qui ſatis inſtructi ſunt, quo eam legant, poſſe inde vitæ regulas haurire: poſtremam, ut omnes earum legum juſti ſint interpretes. Ac primæ quidem duæ ſententiæ veræ ſunt. Tertia eſt manifeſto falſa: nulla enim in Republica authentica legum interpretatio eſt omnium, etiam idiotarum, ſed aut principis, aut ſenatus. Neminem, qui divini Codicis linguam ſciverit, ab ejus lectione arcet Eccleſia: quicumque poteſt, legat. Sed ita tamen legat, ut quæ intelligit in rem ſuam conver-

(a) *Lib. 4. & 6. contra Celſum.*
(b) *Hom. 3. de Lazaro, hom. 2. in Matth., hom. 9. in ep. ad Coloſſ. &c.*
(c) *In regulis breviorib. Reg. 95. & alibi.*
(d) *In Pſalmos.*
(e) *In Pſalm. 118. & præf. in Lucam, ac alibi.*
(f) *Lib. 6. Conf. cap. 3. & alibi.*
(g) *Hom. 15. in Evang. præf. in libros Moral.*
(h) *1. p. q. 1. art. 9.*

vertat: eorum, quæ non intelligit, ab Eccleſia intelligentiam roget. Atque ita intelligendi ſunt ii ſacri Codicis loci, qui nos ad lectionem exhortantur: ita Patres.

XXI. Jam (ut ad propoſitam quæſtionem redeamus) ne ambiguitate decipiamur vocabuli, obſervandum eſt, triplex ſtatui poſſe Scripturæ ſcrutinium. Primum quo illius doctrinæ ad normam rationis naturalis exigantur. Secundum quo inveſtigetur, ſit ne in Scriptura id, de quo contenditur. Tertium quid ſequatur ex Scripturæ pronunciatis; quidve ſit illis oppoſitum. Ac primum quidem ſcrutinium, vel intelligitur ita, ut in ſingulis doctrinis revelatis oſtendatur nihil eſſe quod principiis rectæ rationis adverſetur; vel ita, ut recta ratio ſit ſuprema norma credendorum, & non credendorum ex Scriptura, quod contendit Auctor Anonymus libri *Phililoſophia Scripturæ interpres*, ac reliqui Deiſtæ, quodque agit Collinus in libello de *libertate cogitandi*. Primo modo ſcrutinium hoc acceptum duplici ex cauſa eſt Theologo neceſſarium. Primum ut ſcrupulos rationis compeſcat, fidemque ſecuriorem faciat, quod docent Origenes præf. contra Celſum, S. Baſilius in ſermone de fide, vetuſtique Patres ferme omnes. Enim vero nequit eſſe mens quieta, quæ aliud ſibi videtur intelligere, aliud debere credere, quouſque doceatur, dogmata revelata rationis quidem humanæ captum ſuperare, *rectæ* tamen *rationi* non eſſe adverſa. Nam ut libet voluntatem per fidem Deo ſubmittas, ſi tamen apparens quædam ratio obmurmurat contra, animo a ſcrupulis pacatus eſſe non potes. Quocirca utiliſſimum eſt ad ſcrupulos quorumdam compeſcendos, aut eradicandos, oſtendere, nihil eſſe in chriſtianis dogmatibus, quod e diametro cum recta ratione pugnet, multa licet ſuperiora, ad quæ ratio nullo modo pertingit, quæque credere ſit neceſſe, quando illa eſſe revelata conſtat; in quo ipſam rectam rationem conſentientem habemus, quæ docet Deum eſſe ſupremam rationem, adeoque ei parendum in omnibus etiam ſine ulla alia ratione; modo ex factis conſtet, a Deo eſſe revelata. Deinde, ut refellantur ii, qui docent Theologiam chriſtianam eſſe principiis *rectæ rationis* adverſam, ignari quid iſtuc *recta ratio* ſibi velit, quorum & olim fuit magna copia Gentilium, & Arabum, & nunc eſt Deiſtarum. Itaque quum veteres Apologiſtæ chriſtianæ Religionis; tum B. Thomas, aliique Scholaſtici, & nuper Theologi ceteri, hanc in primis ſibi provinciam tra-

ditam

ditam crediderunt, ut demonſtrarent argumenta Gentilium, Arabum, & Deiſtarum fallaces eſſe argutationes, nihilque eſſe in Theologia noſtra rectæ rationi contrarium; multa licet ſuperiora: qua in re excelluit B. Thomas in utraque Summa. Et quamquam non tam ſtuduit conciliare dogmata fidei cum principiis rectæ rationis, quam cum principiis Philoſophiæ Ariſtotelicæ, & Arabicæ; in quo eſſet reprehendendus, niſi eo tempore publice creditum fuiſſet, *rectam rationem*, & Philoſophiam Ariſtotelicam unam eamdemque rem eſſe: tamen & rationem atque viam, quam ceteri ſequerentur, demonſtravit, & vim Arabicarum argutationum acutiſſime pervidit, & perfregit omnem.

XXII. At quod Auctor *Philoſophia Scriptura interpretis* contendit, nec Chriſtianus probare poteſt, nec in non Chriſtiano locum habere. Nam Chriſtianus intelligit Scripturam eſſe ipſam Dei rationem per prophetiam homini communicatam; adeoque furioſi eſſe hominis ponere rationem humanam imbecillem, & breviſſimam, humanis fœditatibus longe depravatam, pro norma ſummæ rationis Dei: quippe ratio ipſa dictat, normam ſecuriorem eſſe debere normato. Accedit quod ſi ratio non tantum *inſtrumentum* eſt, quo accipiantur quæ ſunt credenda, & facta quæ credenda docent, ad veri criterium expendantur, quod nos docemus, ſed *norma* credendorum ita, ut antequam ad Scripturam accedamus, illa nos doceat omnem veritatem Religioni neceſſariam, ut Auctor iſte contendit; profecto divina revelatio inutilis erit, quando ſatis ſuperque per rationem habere omnia poſſimus. Tandem contrarium eſt Scripturæ, quæ Philoſophiam comparatam ad Dei revelationem vocat inanem fallaciam (ad Coloſſ. 2.) & prudentiam, quam Deus reprobavit (1. ad Corinth. 1.) In non Chriſtiano locum habere nequit; quia huic demonſtrandum eſt, ſolam rationem naturalem non eſſe ſatis ad hominem e vitæ humanæ cœno ſublevandum, adeoque neceſſariam eſſe divinam aliquam inſtitutionem. Ex quo ſequitur, ut demonſtrata ſemel Divinitate Scripturarum, earumque neceſſitate, non poſſit haberi ratio humana pro illarum norma. Videant nunc Anonymi fautores quales Theologi eſſe velint, chriſtiani ſcilicet, an profani; ut ſciamus quo pacto debeamus cum illis diſputare.

XXIII. Alterum ſcrutinium & eſt Eccleſiæ prout con-

tinet Paſtores: & Theologorum, velut Doctorum a Paſtoribus conſtitutorum: utrique enim apud nos conceditur. Sed Eccleſiæ proprium eſt, & authenticum, Theologorum ex œconomia, vel in partem curæ ab Epiſcopis adſcitorum. Et quidem Eccleſia diligenter examinat, ſint ne in Scriptura, & Traditionibus Apoſtolicis ea dogmata, quæ proponit credenda, atque in eo examine omnes rationis, & critices fontes verſat; quippe, ut Theologi dicunt, *Spiritus Dei aſſiſtit Eccleſiæ prudenter agenti, non vero inconſulto, & temere*. Itaque in Conciliis omnibus Œcumenicis palam in medio proponebantur Codices ſacri, & in ſingulis quæſtionibus Patres attentiſſime Scripturas, & Traditiones perſcrutabantur. Atque ubi Epiſcopi ſibi ſolis fidere noluerunt, adhibuere Theologos, qui in *Congregationibus Synodalibus*, res pro, & contra expenderent, ita, ut facilius veritas innoteſceret. Patet hoc ex hiſtoria Conciliorum perpetua. Inde & veteres Patres omnes, & poſteriores Theologi hanc ſibi provinciam demandatam crediderunt, ut Scripturas diligenter verſarent, & exponerent. Epiſcopi quidem divino, ut diximus, ad id præcepto vocati, ac jure ſuo: Doctores ab Epiſcopis adſciti, ac miſſi. Hinc natæ ſunt homiliæ, commentarii, tractatus, libri polemici, ſyſtemata theologica. Calumniatur ergo Collinus, dum ſcribit, prohiberi apud nos hujuſmodi ſcrutinium nihilque aliud eſſe Romanam Religionem, niſi fidem ſine ulla ratione; in quo illum ſolemniter mentiri, ac ſine ullo pudore, Catholicorum libri ſatis demonſtrant. Quid enim aliud ſunt tot acta Conciliorum, tot Commentarii in Biblia, tot Theologorum ſyſtemata? Sed iſti non ſibi fieri ſatis putant, niſi ea inducta in Religionem libertate, qua illam ſinguli dilacerent, ac funditus ſubvertant, qua Paſtorum ac Ovium, Doctorum & Diſcipulorum diſcrimen omne auferatur, ut ea tandem ſit vera Religio, non quæ a Deo demiſſa eſt, ſed quæ mulierculæ deliræ, ſutori, lanioni, villico, bubulco, item ebrio, furenti, mentecapto, ſceleſtiſſimiſque quibuſque placuerit, ut tum tandem belle cum Deo, ac hominibus, ſi Diis placet, agatur. Quid autem eſt aliud humanitatem omnem exuere? Quid gigantum in morem cum Diis bellare? Sed pudet mecum furioſis diſſerere. Illud addo, & hoc etiam ſcrutinium ab Epiſcopis, & Theologis magna cum cautione adhibendum eſſe: nam, ut Heſychii verbis utar in

Le-

Levit, lib. 11. c. 6. *ut qui caleſit, non propius ad ignem accedit: ita qui de Deo diſputat.* Appoſite quoque Chryſoſt. homil. 2. in Epiſt. ad Hebræos, *quum ubique religioſa circumſpectaque mente opus eſt, tum maxime quum de Deo loquimur, vel audimus*; cui illud Salviani conſentit in lib. 1. de gubernat. Dei, *Cum grandi metu, ac diſciplina etiam pro Religione dicere debemus.*

XXIV. Quod ſpectat ad ultimum, in quo proprie Theologia Scholaſtica poſita eſt, varie ea quæſtio in Eccleſia agitata fuit. Plerique veteres invehuntur contra uſum Dialecticæ in Theologia. Tertull. *de præſcript.* late hunc locum exequitur cap. 7. *Inferunt*, inquit, *Ariſtotelem, qui illis Dialecticam inſtituit ſtruendi, & deſtruendi verſipellem, in ſententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, moleſtam ſibi ipſi etiam, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit.... Quid ergo Athenis, & Hieroſolymis, quid Academiæ, & Eccleſiæ, quid Hæreticis, & Chriſtianis? Noſtra igitur inſtitutio de Porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat, Dominum in ſimplicitate quærendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt.* Ambroſius quoque l. 1. de Fide cap. 3. de Arianis loquens: *Omnem*, ait, *vim venenorum ſuorum in dialectica diſputatione conſtituunt, quæ Philoſophorum ſententia definitur, non adſtruendi vim habens, ſed deſtruendi. Sed non in Dialectica placuit Deo ſalvum facere populum ſuum: Regnum enim Dei in ſimplicitate fidei poſitum eſt, non in contentione ſermonis.* Videtur idipſum docere S. Baſilius in eo ſermone *de fide*, quem ſupra laudavimus. Plura alia videri poſſunt apud Petavium loc. cit. cap. 3. Longus ſæpe eamdem in rem eſt Sanctus Cyrillus Alexandrinus. Julianus (*a*) quum ſuperbire videretur iis diſciplinis, quas Græci longe lateque excoluerant, in primis Geometria, Aſtronomia, Muſica, Cyrillus docta oratione demonſtrat & eas vanas eſſe, ac nihil ſolidi continere, quo vitam beatiorem efficere queant; & vero ſapienti, ideſt Dei ſtudioſo, opus non eſſe, ut longe contemnere videatur. Quin adhibet eamdem in rem & Græcorum quoque ſapientiorum judicium, Socratis, Platonis, Xenophontis, Porphyrii. Certe Plato in Phædone ita Socratem diſputantem inducit, ut

 profi-

(a) *Apud Cyrill. Alex. lib.* v. *in Julianum.*

profiteatur, ſe virum ea dedocere debuiſſe, quæ nimia curioſitate juvenis didicerat, ac iis ſubtilioribus inanibuſque diſciplinis poſthabitis, ad morum ſtudium ſe convertere.

XXV. Hæc atque acriora multo in Theologiam Scholaſticam jaciunt juniores Hæretici. Lutherus in lib. adverſus Jacobum Latomum aſſerit Theologiam Scholaſticorum eſſe nihil aliud, quam ignorantiam veritatis, inanemque fallaciam, quam ad Coloſs. I. II. Apoſt. præcavendam præcipit. Et in lib. de abroganda Miſſa privata, furore percitus pronuntiat, *Academias eſſe Antichriſti lupanaria.* Digna impuro homine vox! Jam noſtrorum eruditorum quidam, in primis Melchior Canus, non raro in Scholaſticæ Theologiæ abuſum iraſcuntur, quum quod ſæpius ex Ariſtotele diſſerunt, quam ex Scriptura; tum quod quæſtiones plerumque inanes, ſpinoſas, & periculoſas ferunt. *Intelligo autem*, inquit ille lib. VIII. cap. X. *fuiſſe in Schola quoſdam Theologos adſcriptitios, qui univerſas quæſtiones theologicas frivolis argumentis abſolverint, & vanis invalidiſque ratiunculis magnum pondus rebus graviſſimis detrahentes ediderint in Theologia commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et quum in iis ſacrorum Bibliorum teſtimonia rariſſima ſint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis ſanctis oleat, nihil ne ex gravi Philoſophia quidem, ſed fere e puerilibus diſciplinis, Scholaſtici tamen, ſi ſuperis placet, Theologi vocantur. Nec Scholaſtici ſunt, nedum Theologi, qui ſophiſtarum fæcem in ſcholam inferentes, & ad vomitum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemptum.* Et l. IX. c. I. *Hoc vero ſeculo*, inquit, *fuiſſe etiam in Academiis multos, qui omnem ferme Theologiæ diſputationem ſophiſticis, ineptiſque rationibus tranſegerint, utinam ipſi non fuiſſemus experti. Egit autem Diabolus, quod ſine lacrymis non queo dicere, ut quo tempore adverſus ingruentes ex Germania hæreſes oportebat Scholæ Theologos optimis eſſe armis inſtructos, eo nulla prorſus haberent, niſi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ita irriſi ſunt a pleriſque, ac merito irriſi, quoniam veræ Theologiæ ſolidam effigiem nullam tenebant, umbris utebantur, eaſque ipſas utinam ſequerentur.* Sed & l. VIII. c. I. alterum Scholaſticorum quorumdam vitium reprehendit: *Intelligo etiam*, inquit, *in Schola fuiſſe nonnullos quaſi ad diſcordiam natos, qui tum optime diſſeruiſſe ſe putant, quum contra Doctores dixerint, ut non tam*

verum

verum inveniſſe velle videantur, quam adverſarios convincere, concertationibuſque & rixis totas chartas implere. Sed aliud eſt vitia reprehendere, aliud Scholas omnes, quod furioſi eſt hominis, abolere. Illa enim in moribus ſunt poſita, quos emendare poſſis: ſine hac nullius doctrinæ inſtitutio eſſe poteſt. Appoſite Hieronymus epiſtola illa celebri ad Paullinum: *Agricolæ, cæmentarii, fabri metallorum, lignorumque cæſores, lanarii quoque, & fullones, & ceteri ... abſque Doctore eſſe non poſſunt, quod cupiunt.* Ut ergo materiem, ſeu quæſtiones quaſdam quandoque in Scholaſticis jure culpemus, & id quoque quod nimium Ariſtotelem, & Arabes extulere; artem tamen commendamus, ac probamus, in qua Scholæ Theologi præcelluere. Emendetur ergo materies: ad principia ſua revocetur Theologia: ars retineatur; tantum vitia, quæ illi adhæſere, tergantur.

XXVI. Itaque res ita componi poteſt. Argumentari in Theologia chriſtiana ex Scripturis, & Traditione, quæ ſunt propria Theologiæ noſtræ principia, nec improbari poteſt, & eſt neceſſarium. Nam qua alia ratione generales Scripturarum ſententias ſpeciebus particularibus adaptare, quæ in illa ſunt occulta in lucem deducere, doctrinarum revelatarum harmoniam demonſtrare, falſa dogmata internoſcere, ſuperſtitionem a Religione ſecernere, arguitias hæreticorum refellere poſſumus, niſi argumentatione? Qui hoc facit, non qui garrit ex Arabica Philoſophia, is eſt Scholaſticus Theologus. *Quem vero intelligimus*, ait idem Canus, *Scholaſticum Theologum? aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor in eo, qui de Deo, rebuſque divinis apte, prudenter, ac docte, ex literis, inſtitutiſque ſacris, ratiocinatur.* In Scriptura nempe, & Traditione continentur principia chriſtianæ Religionis; conſequentia autem, aut repugnantia, quæ noſſe debet Theologus, argumentatione eliciuntur. Non igitur negligenda argumentatio, ſed vitia argumentationis reſecanda. Ad rem idem Canus c. 20. *Poteſt eſſe quidquam abſurdius, quam ſola diſciplina principia habere definita; concluſiones vero, quæ certo ac evidenti ſyllogiſmo ex illis conficiuntur, aut ignorare velle, aut in ambiguo relinqui? Quod ſi in Geometria, Phyſica, Aſtrologiave quiſquam aſſereret, vere, & jure ſtultiſſimus haberetur.* Lege & Petavium cap. v. Prolegom. Et vero qua alia ratione ſyſtemata

Theologica a Theologis novarum Sectarum ſcripta ſunt (*a*)? Puderet Lutherum, ſi viveret, ac remiſiſſet primævus ille furor, non blaſphemiarum tantum, ſed frequentium ineptiarum, quibus ille libros ſuos velut gemmis diſtinxit, quæ jure ac merito Melanchthoni ipſi fidiſſimo Achati & admiratori faſtidium, quandoque etiam ſtomachum, fecere. Sed vitia Dialecticæ, aut potius Dialecticorum, & aliorum, qui humanas diſciplinas pertractant, ea vero in Theologiam invehere, & nobiliſſimam ſcientiam profanum in morem fœdare potius, quam ornare, id, inquam, cavendum ſedulo Theologo. Neque aliud veteres illi Patres, qui Dialecticam & Philoſophiam accuſant, intellexere. Ceteroquin illi ipſi & ratiocinantur, & Philoſophorum regulis utuntur, etiam iis in locis, in quibus Philoſophos reprehendunt, & veram Philoſophiam commendant, id, quod iis eſt exploratum, qui in eorum ſcriptis vel mediocriter ſunt verſati. Sed videor modum exceſſiſſe, ac eorum, qui hæc lecturi ſunt, veniam peto.

DEFINITIONES.

Def. I. DEus eſt Ens æternum, omniſcium, liberum, ab omni materiæ compage ſegregatum, in ſe perfectiſſimum, ſibi ad beatitudinem ſufficientiſſimum, univerſi cauſa, ejuſque optimus gubernator.

Scholion. Deum eſſe id, quo melius excogitari nequit, ſæpe ex communi ſapientum ſenſu definit Auguſtinus (*b*). Eandem Dei notionem ſtatuit Sanctus Anſelmus in Menologio. Eandem poſuit & Carteſius in meditatione tertia; ac inde Deum exſiſtere ita confecit, quod nec eſſe poſſit notio Entis infinite perfecti, niſi ab Ente ipſo infinite perfecto, nec notio iſthæc Ens infinite perfectum exhibere poſſit, niſi exiſtentiam complectatur, quæ perfectionum, ut ille ratiocinatur, præcipua eſt. Socrates in Phædone Deum vocat, quod idem & ſibi æquabile ſemper eſt, ipſum pulchrum, ipſum ens, & omne, το ιϛον, το καλὸν,

---

(a) *Vide Joh. Frid. Stapferi præf. in Inſtit. Theol. Polemicæ editæ Tiguri an.* 1743. 1747.

(b) *Vide l.* 1. *de doct. chriſt. c.*6. *&* 7. *& libros Soliloquiorum.*

καλον, το εκαστι. Speuſippus Platonicus Philoſophus in definitionibus Platonicis Deum definit *vivens immortale, ad beatitudinem ſibi ſufficiens, eſſentiam ſempiternam, naturæ ipſius boni cauſam*. Noſtræ perſimilem Stoici brevem naturæ divinæ deſcriptionem dederunt, quam retulit Laertius (*a*). Spinoza ipſe (tanta eſt veritatis vis!) Deum habet *Ens abſolute infinitum, hoc eſt ſubſtantiam conſtantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam eſſentiam exprimit* (*b*). Itaque ne Athei quidem a communi hac ſapientum omnium perſuaſione in Dei natura deſcribenda diſcedere audent. Eadem vero perſuaſio, paullo licet involutior, inter gentes etiam barbaras reperitur, quarum ut nulla eſt, quæ non aliquam ſupremæ hujus mundi cauſæ notionem habet, ita nulla, quæ eam non concipiat velut infinite perfectam. Quocirca ex communi gentium omnium perſuaſione noſtra hæc definitio proficiſcitur; ut ſi res definitione iſta comprehenſa revera exſiſtere demonſtretur, quod paullo poſt efficiemus, conſtabit Deum exſiſtere.

II. Omniſcientia eſt omnium earum rerum, quæ aut ſunt, aut futuræ ſunt, aut poſſibiles, perfectiſſima comprehenſio.

Scholion. Solet apud Theologos divinæ ſcientia ita diſtingui, ut altera ſit *ſimplicis intelligentiæ*, altera *viſionis*. Ea ſcientia, qua Deus intelligit omnia poſſibilia, velut poſſibilia, *ſimplex intelligentia* appellatur. Ea verò, qua Deus videt futura, *ſcientia viſionis*, & *præſcientia* dicitur. Quum autem rerum *futuritio*, ut loquuntur, a Divina voluntate, & libertate pendeat, inde factum eſt, ut ſcientia viſionis diceretur etiam *libera*. Porro ſunt futura in duplici claſſe poſita: ſunt enim alia *abſoluta*, alia *conditionata*. Hinc recentiores quidam Theologi tertiam addiderunt Deo ſcientiam, quæ futurorum liberorum conditionatorum ſit. Quumque futura hæc mixta videantur ex *poſſibili* & *futuro*, tertiam hanc ſcientiam *mediam* appellavere. Interim animadvertendum eſt, totam hanc ſcientiæ divinæ partitionem non ſpectare naturam Dei, in qua nihil eſſe poteſt multiplex & varium, ſed pertinere tantum ad claſſes objectorum ſcientia illa comprehenſorum. Præclare S. Thomas, *ea quæ ſunt diviſim*, inquit, & *multipli-*

(a) *Lib. 7. ſect.* 147. *Vid.* & *Cic. de Nat. Deor. lib.* II.
(b) *Ethic. part.* I. *def.* 6.

tiplicites in creaturis, in Deo ſunt ſimpliciter & unite, ut ſupra dictum eſt. Homo autem ſecundum diverſa cognita habet & diverſas cognitiones.... ſed hac omnia Deus una & ſimplici cognitione cognoſcit (*a*). Ac ſunt hæc in ſimplici Dei natura perſpicua. Illud non æque patere videtur, ſed diſquiſitione accurata eſſe inveſtigandum, recte ne Divinæ ſcientiæ objecta in tres claſſes conferantur, ut alia ſint *mere poſſibilia*, alia *futura abſoluta*, alia *futura libera & conditionata*. Primum, quod difficultatem facit, eſt, quod ſi quidquid intelligentia ſua complectitur Deus futurum aliquando eſt, nulla ei *mere poſſibilium objectorum* claſſis ineſſe poteſt; tota ergo ſcientia *præſcientia* eſt. Tum ſi futura omnia æternis Dei decretis conſtituta ſunt, ei futura omnia abſoluta ſunt; quæ ſi non ſunt, ne decretis quidem Dei comprehenduntur omnia futura, ac erit in natura rerum quidquam *puri caſus*. Si autem omnia futura abſoluta, nulla ſunt reſpectu illius conditionata. Difficilia ſunt hæc & ſublimia: itaque effecere, ut tertiam illam Dei ſcientiam oppugnaverint plures. Id conſtat, nihil primo Enti ignotum eſſe poſſe: hoc, qua ratione & via ſit notum, ac quot reſpectus ejus habeat ſcientia, non æque rationi conſtat. Meminerimus eſſe debere infinitas propoſitiones, quæ ad Deum, ac res divinas pertinent, quarum mentibus noſtris impoſſibile ſit rationes expedire. Sed ea de re ſuo loco differetur.

III. Omnipotentia eſt potentia ea omnia ſolo nutu faciendi, quæ non ſunt intrinſecus impoſſibilia.

Scholion. Solet Dei potentia diſtingui in *abſolutam* & *ordinatam*, ſeu *phyſicam*, & *moralem*, ut alii vocant. Potentia abſoluta & phyſica eſt tota Dei vis activa, quacumque patet. Ab hac potentia nihil poteſt eximi, niſi tantum *impoſſibilia intrinſeca*, quippe quæ non ſunt capacia exſiſtentiæ. Potentia ordinata & moralis eſt eadem Dei vis activa quatenus limitatur ex ſuis attributis aut phyſicis, aut moralibus: itaque minor eſt potentia phyſica. *Quod attribuitur potentiæ* (inquit S. Thomas) (*b*) *ſecundum ſe conſiderata, dicitur Deus poſſe ſecundum potentiam abſolutam, & hujuſmodi eſt omne illud, in quo poteſt ſalvari ratio entis, ut ſupra dictum eſt. Quod vero attribuitur potentiæ divi-*

(a) *I. part. q.* 14. *art.* 1. *ad* 2.
(b) *I. part. q.*25. *art.* 5. *ad* 1. & de potentia *in qq. diſputat.*

divinæ, *ſecundum quod exequitur imperium* VOLUNTATIS JUSTÆ, *hoc dicitur Deus poſſe facere de potentia ordinata*. Hæc itaque potentia ad ea tantum protenditur, quæ ſunt conſona ſapientiæ divinæ regulis, bonitati, juſtitiæ, ſanctitati: quæ his contraria ſunt, ea a potentia hac morali eximuntur. Quamobrem ſunt plura, quæ intrinſecus ſunt poſſibilia, quæque ſub ambitu potentiæ phyſicæ continentur, ideſt quæ non excedunt vim Dei activam, ſed interim effici a Deo nequeunt, utpote quæ regulis ſapientiæ Divinæ, aliiſque Dei attributis moralibus adverſantur. Quæ Dei potentiam phyſicam excedunt, ideſt quæ exſiſtentiæ non ſunt capacia, ſunt *impoſſibilia phyſica & extrinſeca*: quæ vero potentiam moralem, *moralia Dei impoſſibilia* dici poſſunt. Priora efficere Deus non poteſt, quia eſſe illa non poſſunt: poſteriora non poteſt, quia non vult: non vult autem, quia non poteſt velle, quæ cum ſua natura pugnant, Το γαρ, inquit Athenagoras, *de reſurrectione*, αβȣλητον, ἠ ως αδικον αυτω ἐςιν, ἠ αναξιον, *Quod Deus non vult, ideo non vult, vel quod injuſtum ſit, vel quod indignum.*

IV. Providentia eſt earum rerum, quæ ſunt, aut futuræ ſunt, præſcientia, diſpoſitio, & gubernatio, ideſt *ratio ordinis partium in toto, & ordinis rerum in finem* (*a*).

Scholion. Duo ſunt in Providentia neceſſaria. Primum futurorum præſcientia: ſecundum actio, qua ſingula futura quum ad fines ſuos peculiares, unde totum arcte, & ſapienter coagmentatum exſiſtat, tum ad communem quemdam & ultimum agantur. Sine alterutro Providentia nec conſiſtere, nec intelligi poteſt. Deus ergo erit providus, ſi & quæ ſunt, arte & regula facta ſunt, & ita ſingula ſuis locis ac temporibus aptata, & cum ſingulis colligata, ut inde mirus partium atque totius concentus exſiſtat; & cuncta eum finem, ad quem aliquem ſint facta neceſſe eſt, non ſpectent tantum, ſed perpetuo ſequantur, ac tandem conſequantur. Id quod ſic ſe habere in hac rerum univerſitate, inferius ſumus demonſtraturi.

V. Religio eſt perfectus amoris, obſeqnii, & omnimodæ ſervitutis cultus, ei exhibitus, cui ejuſmodi cultus natura ipſa debetur.

VI. Superſtitio eſt cultus, aut ex erroneis circa rem cultam opinionibus manans: aut ei exhibitus, cui non debetur:

(*a*) *S. Thom.* 1. *part.* *q.* 22, *art.* 1.

tur: aut exhibitus modis & ritibus abſurdis, minimeque rei cultæ atque colenti conſentaneis.

Scholion. Opinatur Cicero (*a*) Religionem dictam eſſe a *relegendo*, quod ſit lecta Dei cognitio lectuſque cultus. Probat eandem originationem Auguſtinus (*b*). At Lactantius a *religando* dictam putat, qua nempe vinculo pietatis Deo obſtringamur & religemur (*c*). Si rem ſpectemus, utrumque eſt verum. Nam religio & lectus cultus eſſe debet, non qualiſcumque nimirum, ſed naturæ divinæ, & humanæ conſentaneus: & Religione quaſi vinculo quodam amoris, obſequii, timoris, Deo adſtringimur. Videntur veteres Latini *pietatem* a *religione* diſtinxiſſe: nam pietatem vocant internos amoris, venerationis, obſequii, timoris, ſpei, actus, omnemque animi caſtitatem: religionem vero exteriorem pietatis conſentaneis ſignis, in primis ſacrificiis, teſtificationem.

Duæ igitur ſunt Religionis quaſi partes, pura Dei cognitio, ejuſque relationis, quam homo cum eo habet, & proprius ac ſincerus cultus. *Pietas eſt*, inquit Euſebius, *quando quis ad unum & ſolum Deum, quem verum eſſe confitetur, & qui revera eſt, reſpicit, & ſecundum eum vitam inſtituit* (*d*). Itaque non poteſt veram Religionem habere, qui in alterutra parte peccat. Scitiſſime Lactantius: *Non poteſt*, inquit, *nec religio a ſapientia ſeparari, nec ſapientia a Religione ſecerni: quia idem Deus eſt, qui & intelligi debet, quod eſt ſapientiæ, & honorari, quod eſt Religionis* (*e*). Ac vero quod pura Dei cognitio, ideſt Entis perfectiſſimi, & ſapientiſſimi, a quo rerum hæc univerſitas facta eſt & gubernatur, prima ſit & maxima Religionis pars, inde patet, quod ea cognitione ſublata, aut erroribus fœdata, cultus amoris, & ſervitutis aut eſſe nequeat, aut non eſſe rectus. Egregie Cicero: *Niſi conſtet Deum eſſe, ejuſque vi atque numine omnia facta eſſe & ſervari, quæ poteſt eſſe pietas, quæ ſanctitas, quæ Religio? Hæc enim omnia pure & caſte tribuenda Deorum Numini ita ſunt, ſi animadvertantur ab iis, & ſi eſt aliquid a Diis immortalibus humano generi tribu-*

(a) *Lib.* II. *de Nat. Deor. cap.* 28.
(b) *Lib.* X. *Civit. Dei cap.* 4.
(c) *Lib.* III. *Inſtitut. divinar. car. cap.* II.
(d) *Lib.* I. *Prepar. Evang. cap.* I.
(e) *Lib.* IV. *Inſtitut. divinar.*

tributum (*a*). Præclarum eſt & illud Simplicii in Epictetum: *Religionis erga Deos immortales præcipuum illud ſcito eſſe, rectas de eis habere opiniones, ut ſentias & eſſe eos, & bene juſteque adminiſtrare univerſa.* Hinc divina illa Paulli vox, *accedentem ad Deum oportet credere & quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt* (*b*). Quocirca non recte ii humano generi conſulunt, qui in cultu tantum externo exornando toti ſunt, parum aut nihil ſoliciti in ea Dei ſcientia homines inſtituere, ex qua cultus ille manare debet, cuique eſſe conſentaneus, ut ſit rectus. Sed nec minus verum eſt, ad veram Religionem pertinere quoque & ſe ipſum hominem noſſe; ut nempe intelligat longo ſe a belluis diſcrimine ſejungi: naturam habere in animo, eumque ſupra corpora extolli, nec cum corporibus mori: ſe eſſe intelligentem & Dei, atque ejus numinis & earum legum, quibus ille rerum naturam procurat: appetitiones ſuas libere moderari, & quæ ſunt hujus generis,

Altera Religionis pars practica eſt, proditque neceſſario ex priore. Etenim ſi conſtet, ut conſtat perſpicue, Deum eſſe, ejuſque Numine omnia facta eſſe, & conſervari, manifeſtum eſt, ei deberi ab hominibus & ſummum obſequium, & ſummum amorem, & ſummam ſervitutem, quum ſit & perfectiſſimus, & optimus, omniumque abſolutus Dominus, atque Imperator. Eleganter hac de re diſputat Philippus Mornæus (*c*). *Minimus*, inquit, *inter homines colliget & illico inferet, parenti obſequium, benefico Domino fidem, gubernatori invocationem deberi. Hæc neceſſario ſe conſequuntur, Deus, ſubditus, ſervitium. Donator, acceptor, gratiarum actio. Creditor, debitor, obligatio.*

VII. Sed ut clarius Religionis natura intelligatur, errorum capita, quæ religioni adverſantur, paucis definiemus. Plutarchus in celebri tractatione de ſuperſtitione acute obſervavit, duos eſſe primarios errores, qui religioni adverſantur, Atheiſmum nempe, & Superſtitionem, quorum prior directe omnem religionem ſubvertit, eam tamquam hominum commentum traducens; poſterior vero oblique, dum falſam religionem pro vera obtrudit. Atheiſmus autem vel *materialiſmus* eſt, quum omnes omnino ſubſtantiæ incorpore-

reæ

(a) *Lib. de Nat. Deor. cap.* 1.
(b) *Ad Hebr. cap.* 11. *v.* 6.
(c) *De Verit. Relig. Chriſtianæ cap.* 20.

veræ negantur, qualis eſt Epicureiſmus: vel *Pantheiſmus*, quum Deus univerſi mens & anima eſſe conſtituitur, qualis eſt Pythagoriſmus, & Spinoziſmus. Superſtitio item duplex eſt, aut falſus veræ divinitatis, aut falſarum divinitatum ut veratum cultus.

VIII. Sed & dividi poteſt item Atheiſmus in *negativum*, & *poſitivum*. Negativus eſt ſtatus ignorationis ſupremæ divinitatis, quo in ſtatu eſſe poſſunt homines vel cum crimine, quales adulti poſt adeptum uſum rationis; in iis enim ignorantia ſupremi Numinis invincibilis eſſe non poteſt; vel ſine crimine veluti infantes, quorum nondum adulta ratio eſt, quique idcirco de Deo nondum diſerte cogitare queunt.

IX. Atheiſmus vero poſitivus item duplex eſt *theoreticus*, & *practicus*: ille eſt aperta profeſſio nullum eſſe Deum, aut non eſſe niſi rerum univerſitatem, cujuſmodi Athei fuiſſe apud veteres dicuntur Critias Socratis diſcipulus, Theodorus, Protagoras; poſtremis hiſce temporibus Spinoza, Tolandus, & quidam alii. Practicus Atheiſmus eſt, quum quis non negat quidem eſſe Deum, ſed ita tamen vitam inſtituit ſuam, omnique ſcelere fœdat; quaſi nullus eſſet Deus ſupremus rerum inſpector, & vindex; cujus Atheorum generis infinita propemodum eſt ubique colluvies.

X. Ad errores Religioni oppoſitos referuntur etiam Scepticiſmus univerſalis, Naturaliſmus, Politichiſmus, Hypocritiſmus, & Indifferentiſmus. Scepticiſmus univerſalis eſt, in quo nihil ſciri, nihil comprehendi poſſe docetur, atque non ſolum reliqua dubia ſunt & incerta, ſed Dei quoque exiſtentia & natura. Non negant Sceptici Deum, ſed nec ponunt, nihil adfirmare in utramque partem comparati. Videri poteſt Sextus Empiricus in hypotypoſibus Pyrrhonianis lib. III.

XI. Naturaliſmus ſecundum Bodinum triplex eſt, Pelagianiſmus, Deiſmus, & Pantheiſmus. *Pelagianiſmus* dicitur naturaliſmus, quod nimium Pelagiani naturæ viribus indulſerint, contenderintque, eſſe in natura humana ſatis virium, quibus ſine interiori Dei gratia ea cognoſcere poſſimus, atque agere, quæ cognitu, atque factu opus eſt, ut vitam æternam conſequi poſſimus. *Deiſmus* eſt, in quo ſola ratio naturalis auditur, ſolaque naturalis religio colitur, rejecta omni revelatione. Ad Deiſmum accedunt Sociniani, quæ nunc ſecta mirum in modum in Europa graſſatur.

tur. *Pantheiſmus* tandem tertia claſſis eſt naturaliſmi, iſque verus Atheiſmus.

XII. *Politichiſmus*, qui dicitur etiam *Macchiavelliſmus*, & *Hobbeſianiſmus*, quod eum Nicolaus Macchiavellus Florentinus, & Thomas Hobbeſius Anglus promovere conati ſunt, in eo poſitus eſt, quod doceat religionem non aliam ob rationem curandam eſſe, niſi quia Reippublicæ eſſe poteſt utilis, adeoque ea utendum, quatenus Reipublicæ intereſt: itaque Religio velut humanum commentum traducitur: veteres enim Legislatores eam primum commentos ajunt.

XIII. *Indifferentiſmus* generalis is eſt, in quo docetur, homines in qualibet religione ſalvari poſſe, non in Chriſtiana modo aut in qualibet Chriſtianæ ſecta, ſed etiam in Turcica, aut Gentili.

XIV. *Hypocritiſmus* tandem eſt ficta externa religionis imago ſine animo religioſo, qualem profitentur nebulones quidam, qui pelle ovium induti, intus ſunt lupi rapaces, ut Chriſtus Salvator noſter Phariſæis improperat Matth. VII. 15. qui idcirco *Phariſaiſmus* appellari ſolet.

Scholion. Omnes recenſiti errores veræ Religioni, quam uni vero Deo debemus in ſpiritu & veritate, adverſantur, ut demonſtraturi ſumus.

XV. Prophetia eſt earum rerum prædictio, quæ nondum evenerunt, quum prædicuntur, quæque neque ex cauſis naturalibus, nec ex præſente rerum ſtatu conjici poſſunt.

Corol. Veræ prophetiæ character, idemque certiſſimus, eſt, quum res prædictæ ita eveniunt, ut prædictæ fuerunt.

XVI. Miraculum eſt effectum quodcunque & præter conſuetas naturæ leges mechanicas, & ſupra vires earum cauſarum naturalium, in quibus accidit. Itaque duo ſunt characteres veri miraculi. Primus ut ſit effectum præter conſuetas naturæ leges mechanicas. Secundus, ut ſit ſupra vires cauſarum naturalium, per quas fieri videtur. Nec enim vero ad verum miraculum ſatis fuerit quidquam præter conſuetas naturæ leges fieri, niſi etiam ita fiat, ut vires earum cauſarum, per quas fieri cernitur, ſuperet. Nam quædam ſunt naturalia, ac e naturæ mechanicis legibus fluentia, quæ tamen arte ac viribus humanis in contrarium flecti poſſunt, quæ quando vires humanas non ſuperant, miracula non ſunt dicenda.

Schol.

Schol. Miracula ad duas claſſes referri ſolent, ut alia ſint quod ad *ſubſtantiam*, alia quod ad *modum* tantum. Quod ad ſubſtantiam ſunt, quum ejuſmodi res nullo pacto viribus naturæ fieri poſſunt, velut reſuſcitatio mortuorum, multiplicatio panum, ſimilia. Quod ad modum vero, quum ſimilia fiunt in natura, ſed non eodem modo. *Ex. gr.* febrim curare quod ad ſubſtantiam naturæ vires non ſuperat: ſed curare uno verbo, ac in inſtanti, id vero eſt, quod nemo efficere queat. Itaque miraculum dicitur quod ad modum.

XVII. Eæ creaturarum rationalium vires, dotes, facultates, quas ſuapte natura habent, atque ſecundum naturæ ſyſtema, *naturales* dicuntur: quæ vero iis a Deo ob ſolam beneficentiam tribuuntur præter naturam, atque naturæ ſyſtema, *gratia* appellari ſolent.

Scholion. Natura, & *gratia* in eo conveniunt, quod utraque a Deo ſit. Sed in eo longe diſtant, quod illa ſit prima, atque ſecundum primum mundi ſyſtema: hæc poſterior, naturæ ex mera Dei benignitate addita, & præter primum illud ac naturale mundi ſyſtema.

Sed explicemus has voces paullo diſtinctius. Gratiam dici, quia gratis datur, docent Theologi: hoc vero *gratis dari* ſic accipiunt quidam, ut dicant, dari ſine ullo debito ex parte dantis, & ſine ullo jure ex parte accipientis. Quod igitur nec Deus debet creaturæ, nec creatura jure ſuo a Deo efflagitare poteſt, hoc quum a Deo datur, gratis dari ajunt. Alii minus verum hoc exiſtimant, atque gratis dari dicunt eſſe, quod ex puro benevolentiæ amore datur: quod merum eſt beneficium.

Sed illud hoc in loco diſputari poſſet, utrum ſit in creaturis ullum adverſus Creatorem jus, cui reſpondeat in Creatore obligatio: ſunt enim jus & obligatio correlata. Illud principio conſtat, quum res hujus univerſi ſint e nihilo procreatæ, nullum illas jus habere potuiſſe, quo creari a Deo debuerint. Sed nec minus certum eſt, poſtquam procreatæ ſunt, nullum eſſe in iis jus, ut conſerventur. Quare tam creatio, quam conſervatio merum eſt Dei beneficium, eoque ſenſu gratia.

Jam eædem res nullum ipſæ per ſe jus habuere, ut ita crearentur, atque conſervarentur, ut creari atque conſervari fas erat. Sed nihilo tamen minus quum Deus infinitæ ſit ſapientiæ & bonitatis, ipſe adverſus ſe hoc jus habuit, ut

ut omnia ſapienter atque bona crearet; cui juri parere ſumma eſt divinæ naturæ perfectio. Hoc igitur ut perfectas res crearet & bonas, non rebus ipſis debet Deus, ſed ipſe ſibi.

Præcipua rerum hujus mundi perfectio eſt, ut omnia ordinata ſint, atque concatenata, iiſque viribus, proprietatibus, qualitatibus inſtructa, ſine quibus nec eum ordinem efficere queant, nec ſemel conſtitutum ſervare. Deus igitur ob infinitam ſuam ſapientiam & bonitatem hoc ſibi debuit, ut has res hujuſmodi viribus inſtrueret, atque ita inſtructas in unum ſyſtema & ordinem copularet.

Quum ergo dicimus res univerſi exigere, ut ita potius, quam alio modo ſint, ſeu ut hæ, non aliæ ſint, jus nullum proprie dictum in creatura adverſus Creatorem agnoſcimus; ſed id dicere volumus minime Deum decere, ubi ſemel decrevit quidquam efficere, aliter facere, quam quo modo ut faciat ſumma ejus ratio, & bonitas dictant.

Totum univerſum hoc modo procreatum, ordinatum, conſervatum *natura* dicitur, atque *naturalia* ea omnia, quæ Deus aut primum, quum efficeret, naturæ indidit, quo eſſet perfecta; aut nunc præſtat, ut ita ſervetur, quemadmodum, ut fieret atque ſervaretur æternum ejus exemplar exigit.

Sed in hac natura res ſunt liberæ ac ſui juris. Tota quidem earum rerum ſubſtantia, omnes primitivæ vires, dotes, qualitates, quibuſcum primum procreatæ ſunt, ita cum ceteris univerſi rebus ſunt ordinatæ, ut ita eſſe debuere ex æternæ rationis jure: eſt ſcilicet harum rerum ſubſtantia cum reliquis mundi rebus ordinata. Interea hujuſmodi rerum ſubſtantia exigit, ut libera ſit. Eſt autem libertas vis, qua appetitum, prout nobis lubitum eſt, moderamur. Eſt ergo ad ambas partes ſuapte natura indifferens. Ita fit, ut poſſit ab ordine mundi, ejuſque legibus deſciſcere, idque *ſecundum naturam*, id eſt ſecundum ſui ac rerum aliarum eſſentias, vires, qualitates. Si itaque deſciſcit, *naturaliter* deflectit: nam, ut deflectere poſſit, ejus natura exigit.

Hæc ita pergere ſinere Deus poteſt, quin jura ſuæ ſapientiæ & bonitatis lædat: nam ea eſt univerſi natura ex æterna divina ratione & bonitate. Sed idem novis inditis creaturæ liberæ viribus efficere poteſt, ut eæ ſerventur in ordine, aut poſtquam deſciverunt, ad eum redeant. Hoc quantumcumque ſit, ac qualecumque ſeu intime ſeu ex-

tri-

trinſecus tributum, ſeu intellectum afficiat, ſeu voluntatem; illud eſt, quod proprie *gratiam* vocamus: eſt enim præter naturæ ſyſtema. Ita ſi Deus, præter quam naturæ leges poſtulant, humanum intellectum nova luce irradiat, ſi amorem erga ſe in animo excitet, ſeu id intimo afflatu, ac interna vocatione faciat, ſeu quocumque externo modo, totum id ad gratiam referimus.

Hoc *gratiæ auxilium* dici ſolet, idque ſeu *præveniens* & *excitans ſit*, ſeu *concomitans*; ſeu *ſufficiens*, ſeu *efficax*; ſeu *genericum*, ſeu *peculiare*, aut ſi quod eſt ullum aliud vocabulum, quo hæc Theologi expediunt. Neque enim eam nunc rem agimus.

Jam ab hujuſmodi gratia diſtinguenda ſunt duo alia gratiæ genera; cujus alterum quidem eas complectitur, quas *gratias gratis datas* vocant, veluti ſi cui Deus *ſcientiæ*, *linguarum*, *miraculorum edendorum*, *prophetiæ* donum largiatur; alterum gratiam *ſanctificantem* & *habitualem*, cum infuſa in animis noſtris caritate divina nos juſtificat. Qua de re ii Theologi conſulendi ſunt, qui hæc ex inſtituto & more diſſerunt.

CAPUT I.

De exſiſtentia Dei.

Prop. I. Exſiſtit Deus.

D. I. Exſiſtit Ens æternum, in quo eſt ratio ſufficiens omnium contingentium (prim. part. prop. 25.) idque eſt immutabile (ibid. prop. 27. coroll.) & infinitæ entitatis (ibid prop. 29.), & eſſentia ac ſubſtantia ſimpliciſſima (ibid. prop. 34.) atque ab omni qualitate rerum hujus univerſitatis ſegregata (ibid. prop. 35.); a qua hic mundus primum cogitatione creatus eſt (ibid. prop. 50. & 51.) deinde re ipſa, atque ſola voluntate (ibid. prop. 65.); ergo exſiſtit Mens æterna, intelligentiſſima, potentiſſima, incorporea, ſui juris, prima mundi cauſa procreatrix & conſervatrix. Hic autem Deus eſt (def. 1.), Deus ergo exſiſtit.

II. Nos cogitamus atque libertate præditi ſumus, qua appetitiones noſtras moderamur (ex intima conſcientia), ſunt ergo in hoc Univerſo res conſilio & libertate utentes. Quum autem nihil fiat ſine cauſa (prim. part. prop. 3.) nec

nec in iis, quæ gignuntur liceat abire in infinitum (ibid. prop. 25.); ſequitur eſſe debere Mentem quamdam æternam. Porro æternum nequit non eſſe infinitæ entitatis (ibid. prop. 29. coroll. 1.); exſiſtit ergo Mens æterna infinitæ entitatis. Jam ens infinitæ entitatis nequit eſſe niſi unum (ibid. prop. 9.); Mens igitur infinitæ Entitatis eſt una. Corpora, ac materia corporum non ſunt infinitæ entitatis, ut eſt per ſe perſpicuum; non igitur æterna (ibid. prop. 30); ſunt ergo procreata a Mente æterna. Mens igitur illa æterna & infinitæ entitatis eſt, & prima hujus Univerſi cauſa; ergo Deus (def. 1.)

Scholion. Quemadmodum ex eo, quod exſiſtit ens aliquod, concludimus exſiſtere ens aliquod æternum, quandoquidem ex nihilo nihil fit, & repugnat ſeries cauſarum infinita a parte ante; ita ex eo, quod exſiſtat mens aliqua, concludimus exſiſtere mentem aliquam æternam. Pone enim non exſiſtere mentem aliquam æternam, mens quæ profecto exſiſtit, aut ex nihilo eſt, aut ab infinita ſerie mentium manat, quarum nulla ſit prima: aut ex re non cogitante res cogitans progignitur: quæ ſunt tria impoſſibilia.

Poteſt aliquis opponere, ita quoque concludi poſſe exſiſtere corpora æterna, aut motum æternum. Falſo: quippe non poſitis corporibus æternis, aut motu æterno, reperitur ratio ſufficiens exſiſtentiæ corporum, aut motus, poſita ſcilicet mente æterna potentiſſima & libera. At ſi negemus mentem eſſe ullam æternam, nulla erit ratio ſufficiens exſiſtentiæ mentis, ut demonſtratum eſt. Pluribus hæc explicat Cudworthus in ſyſtemate intellectuali.

III. Quum eſt quod fit & movetur, eſſe debet, quod efficit, & movet, & quidem ab eo quod efficitur & movetur diverſum; quia nihil ſeipſum procreare poteſt, aut movere, niſi quod numquam fit, numquam movetur: ſunt vero in mundo res quæ perpetuo generantur veluti plantæ, animantia: item motus, qui perpetuo conſervantur, aſtrorum exempli gratia; ergo eſſe debet quod efficit & movet, atque ab his corporibus, quæ gignuntur & moventur, diverſum. Jam hæc quæ fieri videmus, & moveri, arte fiunt & moventur: id igitur quod efficitur & movet, arte efficit & movet. Eſt ergo cauſa aliqua hujus Univerſi effectrix ab hoc univerſo ſegregata, quæ in Univerſo arte & conſilio operatur. Ea ſi genita eſt, non ſine cauſa eſt genita

(prim. part. prop. 3.) nec per ſeriem infinitam ſine ulla prima (ibid. prop. 25.); Eſſe ergo debet prima quædam & æterna cauſa hujus Univerſi, quæ omnia arte & conſilio efficiat, ideſt Deus.

Prop. II. Deus eſt unicus.

D. I. Argumenta omnia, quæ Dei exſiſtentiam probant, hoc probant, eſſe debere ens aliquod æternum, intelligentiſſimum, potentiſſimum, perfectiſſimum, in quo ſit ratio ſufficiens exſiſtentium omnium, & poſſibilium. Quum autem unum hujuſmodi ens ſufficiens ſit; nullum eſſe poteſt argumentum, quo plura eſſe ſuſpicari poſſimus.

II. Mundi gubernatio & ordo unicam eamdemque ſemper ejus exſiſtentiæ & gubernationis cauſam indicant. Enim vero partes Mundi omnes, cum majores, tum minores, quantum ex iis, quas noſcimus, conjectare licet, ita conſtructæ & ordinatæ ſunt, ut & primæ ac ſimplices ſuis finibus aptatiſſime reſpondeant, & fines illi unicum generalem & communem oſtendant: unicus autem finis unicam ejus cauſam intelligentem, & effectricem. Utitur hoc argumento acutiſſime S. Thomas. *Omnia enim, quæ ſunt,* inquit, *inveniuntur eſſe ordinata ad invicem, dum quædam quibuſdam deſerviunt. Quæ autem diverſa ſunt, in unum ordinem non convenirent, niſi ab aliquo uno ordinarentur: melius enim multa reducuntur in unum ordinem per unum, quam per multa, quia* per ſe unius *unum eſt cauſa, & multa non ſunt cauſa unius niſi per accidens, in quantum ſcilicet ſunt aliquo modo unum. Quum igitur illud, quod eſt primum, ſit perfectiſſimum, & per ſe, non per accidens, oportet quod primum reducens omnia in unum ordinem ſit unum tantum: & hoc eſt Deus* (*a*).

III. Deus eſt Ens perfectiſſimum, ideſt infinitæ entitatis (ex prop. 3.): natura autem Entis infinitæ entitatis hæc eſt, ut non habeat æquale. Nam ſi æquale illi poſueris, alterum altero limitabitur, ideſt deficient alteri infinitæ alterius perfectiones. Ergo Ens perfectiſſimum non poteſt eſſe niſi unum. Eſt autem Deus Ens perfectiſſimum; ergo unus eſt. Utitur & hoc argumento S. Thomas. *Oſtenſum eſt*, inquit, *quod Deus comprehendit in ſe totam perfectionem eſſendi. Si ergo eſſent plures dii, oporteret eos differre: aliquid ergo conveniret uni, quod non alteri, & ſic ille*,

(a) S. *Tho.* 1. *part. qu.* 11. *art.* 3.

ille, in quo eſſet privatio, non eſſet ſimpliciter perfectus: ſi autem hoc eſſet, perfectio alteri eorum deeſſet. Impoſſibile eſt ergo eſſe plures Deos (*a*).

IV. Deus exſiſtit neceſſitate naturæ ſuæ; ergo pugnat eſſe plures. Finge enim eſſe duos, quum non ſit neceſſarium exſiſtere, niſi unum ens æternum, & perfectiſſimum, intelligi poſſet, alterutrum non neceſſario exſiſtere; id quod pugnat cum exſiſtentia neceſſaria. Eſt hoc Samuelis Clarkii argumentum (*b*).

Scholion. Poteſt hoc theorema & gentium naturali quodam & communi ſenſu comprobari. Scilicet in tanta numinum Ethnicis cultorum copia unum ſemper eminentiſſimum utcumque cognitum eſt. Demonſtraverunt id ex inſtituto Lactantius (*c*), Huetius (*d*), Petavius (*e*), Cudwortus (*f*), aliique. Sane quicumque legerit Homerum, Heſiodum, Euripidem, Platonem, Ariſtotelem, Tullium, Senecam, Plutarchum, alioſque Gentiles Scriptores, agnoſcet perſpicue, illis Deum Principem, ac Patrem omnium unum tantum ſtatutum eſſe, cui additi ſint minores quidam alii. Ariſtoteles lib. de Republica 2. c. 12. ſummopere Homerum commendat, quod Deus ab illo vocetur paſſim πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε *hominum Deumque pater* (*g*). Sed & recentes nationes, ipſi Americani, Afri, Indi, Sinenſes, ut ne quid dicam de Turcis, unicum ſupremum numen & regem agnoſcunt. Huttentotti; quæ gens nullo alterius nationis commercio unquam uſa eſt, ſummum hunc Deum intelligunt, etſi illi nullum offerant ſacrificium, nullas preces, quod, ajunt, quum beatiſſimus ſit, nulla re indiget: quod probant quædam aliæ Americæ gentes, & Tartaricæ.

Sunt fortaſſis qui adverſus hoc argumentum opponunt infinitam illam Deorum Dearumque turbam, quam Gentiles habuere, ut Heſiodus triginta millia Deorum memoraverit ætate ſua cultorum. Reſpondemus, nunquam Gen-

 tiles,

(a) *Ibid.*
(b) *De Exſiſt. & Attrib. Dei prop.* 7.
(c) *Lib.* 1. *Inſtit. Divinarum cap.* 6.
(d) *Lib.* 11. *Alnetanarum cap.* 2. §. 13.
(e) *De Deo lib.* 1. *cap.* 3.
(f) *In cap.* 4. *Syſtem. Intellect.*
(g) *Vide & Plutarch.* de ſilentio oracul.

tiles, ſi ſtupidam plebeculam excipias, quæ hac in re audienda non eſt, numina plura æqualia ſtatuiſſe, & ſumma. Quod ſi plurima ſumma, & æqualia nominare videantur, ii ipſi docent, eſſe illa nomina ejuſdem ſubſtantiæ ex diverſis aſpectibus conſideratæ. *Quoties voles* (ſunt verba Senecæ lib. IV. de Beneficiis cap. 7.) *tibi licet aliter hunc Auctorem rerum noſtrarum compellare. Tot appellationes ejus eſſe poſſunt, quot munera. Hunc & Liberum patrem, & Herculem, & Mercurium noſtri putant... Omnia eiuſdem Dei nomina ſunt varie utentis ſua poteſtate.* Eodem ferme modo loquitur Maximus Gentilis in epiſt. quadam ad B. Auguſtinum, & Gentiles omnes apud Oroſium lib. VI. hiſtoriæ cap. 5. Conſulatur Gerardus Joannes Voſſius in Theologia Gentili (*a*). Nempe populares illi Deos pene infinitos, naturalem unum eſſe docebant. Quocirca miror, Euſebium Cæſarienſem opinari potuiſſe, ſupremum Deum nemini ante Chriſtum, præterquam ſolis Hebræis, innotuiſſe: ei enim opinioni non modo Gentiles, qui exſtant, verum etiam ipſe Paullus (*b*), aperte refragantur.

Scholion generale ad caput ſuperius.

1. PAucis complexi ſumus, quæ Dei exſiſtentiam, & naturam ſpectant. Ea facillime ab iis, qui paullo perſpicaciores ſunt, copioſius deduci poſſunt. Philoſophi tria genera argumentorum ad Dei exſiſtentiam demonſtrandam adhibere ſolent, Philologica, Phyſica, Metaphyſica. Philologica præter alios egregie pertractavit Jaquelotius in diſſert. de Exſiſt. Dei, Phyſica Derham, & Niewentitius, Metaphyſica Cudvvorthus, Clarkius, Fenelonus, Wolfius, plerique alii.

2. Philologica deſumuntur ab hiſtoria humana, atque a conſenſu omnium Gentium. Primum, hiſtoria humana ſatis aperte demonſtrat genus humanum aliquando cœpiſſe. Antiqua hiſtoria ultra Ninum non aſſurgit: nam memoriæ Ægyptiacæ, Aſſyriæ, Sinenſes, quæ paullo vetuſtiores ſunt, manifeſtis fabulis revincuntur. Præterea novitatem generis humani oſtendunt civitatum exordia, exordia & incrementa

Impe-

(a) *Lib.* 1. *cap.* 2.

(b) *In cap.* 1. *Epiſtola ad Rom.*

Imperiorum, notatæ primæ origines artium, & ſcientiarum, eæque exiguæ, & barbaræ, a quibus veluti per gradus eo ventum eſt, quo nunc ſunt (1). Quoniam ergo conſtat, genus humanum initium habuiſſe, id profecto nec ex nihilo eſt, nec ex bruta materia, ergo a ſummo aliquo Mundi conditore.

3. Jam vero nulla natio olim extitit, aut hodie exſiſtit tam moribus efferata, ut Deum eſſe ſupremum univerſi conditorem, & gubernatorem, non conſtantiſſime & olim ſibi perſuaſerit, & nunc teneat. Barbaræ ipſæ Nationes nuper a noſtris Europæis cognitæ non ſolum ideam ſupremi cujuſdam Mundi conditoris, licet obſcuram, & confuſam, verum etiam externum cultum, & religionem habent, veluti penitiſſimi Tartari, & Samojedæ ad Oceanum glacialem ſiti: item Islandi, & Septentrionales Americani: tum Canadenſes, Miſſiſipenſes, Mexicani: Peruani quoque & Chilinenſes. Jam Huttentotti, Caffari, Incolæ Inſularum Madagaſcaris, Sumatræ, Bornei, Javæ, Moluccarum, Philippinarum, ceterique ad Orientem poſiti: nam de interioribus Aſiæ populis, Indis citra ultraque Gangem, Sinenſibus, tum & Japonenſibus, nulli dubium eſſe poteſt. Id autem conſtat ex perpetuis itinerariis noſtrorum. Omnes autem gentes vel a natura ipſa in hanc conſenſionem venerunt, vel a Deo eam hauſerunt doctrinam. Quocumque modo res ſe habeat, aut natura ipſa perſpicuum eſt Deum eſſe, quippe *conſenſus omnium Gentium naturæ quædam vox eſt*; aut doctrina eſt a Deo ipſo primis mortalibus tradita: nam phænomeni generalis item generica ſit cauſa neceſſe eſt.

4. Quod ſi gentes quædam, paucæ illæ & ignobiles, Deum ignorare repertæ ſunt, ſeu potius nullam ejus exſertam habere notionem, quod quidam Auctores, nec tamen velut indubitatum, retulerunt, id nec mirum eſt, nec impiis patrocinatur: quandoquidem & ab humano commercio ſegregatæ, ac vitæ tantum intentæ, in immanem illam ſtupiditatem devenire potuerunt: nec paucorum hominum ignoratio poteſt conſenſum ceterorum omnium minus validum efficere. Sed ne narrationes quidem illæ ve-

 ræ

(1) Vide opus egregium & quanti vis pretii *L'origine des Loix, des Arts, & des Sciences, & de leurs progrès* editum Pariſiis anno 1759. tribus tomis in 4.

ræ eſſe poſſunt: proficiſcuntur enim ab iis viatoribus, qui gentes, quarum barbariem narrant, vix de facie cognoverant. At vero qui cum iis gentibus diutius verſati ſunt oppoſitum retulerunt. Incolas Capitis bonæ ſpei Atheos eſſe primi viatores vulgaverant, quod falſum repertum eſt, poſtquam cum ea natione Europæi commercia agitare cœperunt. Videri poteſt deſcriptio Capitis bonæ ſpei Andreæ Kolbi. Idem Anderſon retulerat de Groenlandis: quod negat Malletus. Hoc ego exiſtimandum de reliquis puto (*a*).

5. Athei vero quidam Philoſophi, qui feruntur, aut ex animo non fuerunt, quum fieri non poſſe videatur, ut ex animo hominum, qui non penitus oculis ſint capti, notio primæ rerum omnium cauſæ deleatur; aut ſi ex animo fuerunt, nulla eſt eorum ratio habenda; Namque ſi res naturæ ex furioſorum hominum judicio eſſent explicandæ, nullum eſſet abſurdum, quod non auctoritate alicujus Philoſophi confirmari poſſet. Nec vero putandum eſt, omnes eos Philoſophos, qui feruntur, Atheos fuiſſe. Plures enim in eum cenſum relati ſunt, quod popularem ſuperſtitionem riderent. Clemens Alexandrinus negat, veteres illos Philoſophos, Anaxagoram, Protagoram, Diodorum, Evehemerum, qui a Græcis Athei habiti fuerant, Atheos fuiſſe; putatque idcirco inter Atheos fuiſſe connumeratos, quod unum Deum omnium conditorem & conſervatorem intelligentes, popularia numina ſpernerent. Et vero ob eamdem cauſam primi Chriſtiani Athei habiti fuerunt, ut nos docent Juſtinus Martyr, Arnobius, Minutius Felix, quod ſcilicet nec Templa ulla haberent, nec populares Deos colerent. Judæos, *quod unum numen, & ſola mente colerent*, uti loquitur Tacitus, inter Pantheiſtas imperitiſſime retulit Strabo geographus.

6. Argumentis philologicis accedunt argumenta phyſica. Ea deſumuntur ex ordine, ſtructura, finibus, motibus Univerſi. Immenſa eſt hæc Provincia, latumque differendi campum ſuppeditat. Nos unum aut alterum hinc deſumtum argumentum attingemus: Tyrones enim in Theologia naturali inſtituendos ſuſcepimus. Primum magna hæc Univerſi machina tot parvis machinulis confecta eſt, quæ ordine admirabili compactæ ſunt, & conſervantur, unumque

(a) *Vide Laſitau* Les Moeurs des Sauvages.

que perfectum, & harmonicum conficiunt, ut niſi ſapientiſſima quædam, & potentiſſima cauſa partes ejus omnes ordinaret, contineret, moveret, procul dubio in chaos abirent confuſum, quum nulla machinularum ſit ex infinitis, quibus conſtat Mundus, quæ non poſſit infinitis aliis modis cum aliis colligari, infinitiſque aliis modis modificari. Nec reſponderi juvat, mechanica temperatione virium Univerſi, aut centripetarum, & centrifugarum, aut aliarum, potuiſſe tandem aliquando tantam machinationem exſiſtere, poſſeque nunc conſervari. Nam primum quum vires iſtæ varias habeant determinationes in variis Univerſi globis, aperte intelligitur, non ſuæ naturæ neceſſitate mechanica, ſed vi & ſapientia extrinſecæ cauſæ intelligentis, & ex perfecta ratione moderantis, hæc omnia coaluiſſe, & ſtare, quod agnoſcit Newtonus in *Scholio generali princip.* Deinde hujuſmodi vires dum in perpetuo aliæ cum aliis conflictu ſunt, quod eſt neceſſarium in motibus circularibus, ideſt compoſitis, neceſſe eſt earum quantitatem imminui, & directionem paullatim mutari, niſi perpetua manu reſtauratrice gubernentur, quod ipſe Newtonus omnium mortalium in his rebus exercitatiſſimus fatetur.

7. Præterea ſingulæ partes univerſi ſuis & ipſæ partibus ordinatiſſimis conſtant, quarum aliæ aliis ſerviunt, ut arte ſumma ita factæ, & ordinatæ clare videantur. Ex. gr. in machina humana infinitæ pene ſunt partes affabre inter ſe contextæ, quarum quælibet ſuum habet finem, & ad quem factam eſſe aperte intelligimus, omnes vero communem unum. Univerſa hominis machina temperata eſt ad vitam humanam efficiendam, & conſervandam: is eſt omnium partium, quibus ea conſtat, communis finis. Itaque omnes ejus partes ita conſtructæ, & diſpoſitæ ſunt, ut hanc vitam conficere, & conſervare poſſint. Nempe homo vivere nequit, niſi anima, quæ vitæ eſt principium, omnes corporis partes ordinatiſſime moveat. Ut vero motiones iſtæ ordinatim fiant, neceſſe eſt, ut ſingulæ hominis partes ad motus ſuos aptæ ſint, atque ita aliæ cum aliis contextæ, ut motus ſuos aptiſſime continuare poſſint. Jam ita diſpoſitæ ſunt, ut nihil aptius, & conſonantius excogitari poſſit. Nervi totam machinæ harmoniam, & ſtructuram faciunt, ac continent, iique omnes ex uno fonte, ideſt cerebro, derivantur. Venæ, & arteriæ, aliaque vaſa ducandis liquoribus per totam machinam aptata ſunt. Sin-

gulis prope partibus tributi ſunt muſculi, & fibræ motibus conficiendis conſentanei, veluti totius machinæ elateres quidam. Oſſa machinam ſuſtinent ne collabatur. Ne vero motibus officiant non uno continuo corpore contineantur, ſed in partes ſecta ſunt, ac ligamentis conjuncta. Oculi, aures, & alia organa ſenſoria excipiendis impreſſionibus rerum externarum facta ſunt idonea. Cor impellendo ſanguini aptum: pulmones aeri excipiendo: ventriculus excipiendis, & concoquendis cibis: Lien & Jecur bili præparandæ, quæ in primis digeſtioni neceſſaria eſt. Tum aptata inteſtina ad excernenda ſuperflua nutritioni. His vero partibus infinitæ aliæ perpetuo minores inſerviunt, ut nulla omnino ſit in corpore humano pars, quæ non ad communem vitæ finem ſpectet. Ac idem conſtat de omnibus individuis viventibus, brutis, plantis, herbis. Cæcus autem ſit oportet, qui non videat, totam hanc rem non fieri ſine cura ſapientiſſimæ Mentis. Itaque quo modo in hominis vultu quilibet ipſe, niſi ſtipes ſit, animam motus, & affectus cientem legere poteſt; ac in pictis ſignis, aut ſtatuis vim & efficaciam artis; eodem in mundi, ejuſque partium vultu (eſt enim aliquis) Dei vim, artem, ſapientiam intueri poteſt. Sed omnino legendi ſunt Niewentit, & Derham, qui copioſiſſime hanc rem explicant.

8. Quibus ex rebus patet quam a tota ratione aberraverint ii, qui aut ſibi perſuaſere imperitiſſime, aut aliis impudenter perſuadere voluerunt, Dei exſiſtentiam nullis poſſe naturæ rationibus demonſtrari. In primis autem ii commemorandi ſunt Philoſophi (quamquam ego Philoſophos non dixerim, quum totam ineptis argutiolis dehoneſtaverint Philoſophiam), qui exſiſtentiam Dei demonſtrari e rerum natura non poſſe crediderunt, niſi naturæ totius motus æternum Motorem demonſtret. Quod quum chriſtiana dogmata vetent dicere, id collegerunt, fide tantum chriſtiana credi Deum eſſe, ratione naturæ neſciri. Ita totam chriſtianam Philoſophiam in fanatiſmum converterunt. Niſi enim omnibus ipſa natura conſtet Deum eſſe, rerumque omnium procurationem habere, ea, quæ dicitur *divina doctrina*, niſi iis, qui a Deo accepere, nemini alteri divina haberi poteſt. Nam eum ne loquutum dices, quem eſſe ignoras? Ita effecere, ut nec acuti Philoſophi, nec boni Chriſtiani viderentur. Invaluit hæc opinio circa exitum

XVI. ſæculi in Patavino Lyceo. Primus illam vulgaſſe videtur Jacobus Zabarella: mox excepit, ac propagavit Berigardus. Ac Zabarellæ librum *de primo Motore*, in quo portentoſam illam doctrinam tutatur, pluries editum teſtificatur Berigardus. Berigardi autem opus de *Circulo Piſano* eruditorum nemini ignotum eſſe poteſt. Eſt qui ſuſpicatur Zabarellæ judicium diu ante B. Thomæ Aquinati in mentem juveni adhuc veniſſe. Nam in primo *contra gentes* libro argumento a motu ita Deum eſſe demonſtrat, ut non conſectaria modo, ſed principia quoque omnia ejus argumenti ab Ariſtotele ſumat, quem conſtat ex motu æterno æternum Motorem demonſtraſſe. Id ex eo quoque conjiciunt, quod vir præcellentis ingenii exiſtimaverit, nihil pugnare, mundum potuiſſe ab æterno a Deo creari. Ego, quamquam ſcio æquo juſtius Ariſtotelis principia eo in loco Thomam provexiſſe, non auſim tamen affirmare id tanto viro in mentem venire potuiſſe, quod cum tota ejus naturali Theologia pugnat. Nam quod ajunt eum cenſuiſſe, potuiſſe mundum ab æterno creari, id ad rem, de qua agimus, nihil pertinet; eſt id hypotheticum: at in hac theſi, Dei exſiſtentiam ex motu probari, fuit ille & certus, & conſtans. Ad hæc exploratum habeo, Philoſophos Peripateticos, quo Chriſtiani eſſent, & Ariſtotelei, raro principiis Philoſophiæ, quam profitebantur, conſentanee argumentatos; alioquin adoptato ſemel Ariſtotelicæ Scholæ ſyſtemate, & Naturam cum Deo miſcere debebant, & ſempiternum mundum conſtituere, & mentes humanas vires corporis minime ab illo ſeparabiles, & naturæ Fatum, ac ſimilia, quæ adeo cum tota Ariſtotelis doctrina ſunt connexa, ut perturbari illam funditus neceſſe ſit, ubi hæc reſcindi velint; quæ interim illi exſecrati ſunt. Sed fuere, pauci tamen, qui Ariſtoteli adhæſere tenacius, & Mundum cum Deo perturbarunt, velut David *a divinando*, forte etiam Abaelardus; & ſemper Mundum fuiſſe opinati ſunt, ut Cæſalpinus; & animas eſſe debere corporeas ex Ariſtotelis ſyſtemate, ut Pomponatius, Cremoninus, Zabarella idem, aliique *Alexandreorum*, ut dicebantur, quod in eo Alexandrum Aphrodiſeum ſectarentur: & Fatum in natura agnoverunt, ut plures alii, quorum ego nomini parcendum nunc puto. Hi tamen longe abſunt ab iis, qui ita Ariſtotelem ſectandum exiſtimaverunt, ut tamen non obliviſcerentur ſe eſſe Chriſtianos.

CA-

CAPUT II.

De illis Dei attributis, quæ ei ut enti conveniunt.

PRoprietates, & attributa Dei ſolent ad tres claſſes referri, ut aliæ ſint, quæ ſunt Dei tanquam *entis*: aliæ, quæ ei tribuuntur ut *enti independenti*; aliæ tandem, quæ Dei ſunt ut *ſpiritus*. Prioris generis ſunt, ſimplicitas, bonitas phyſica, &c. ſecundi vero immutabilitas, æternitas, infinitas, &c. tertii generis aliæ ſunt phyſicæ, ut intellectus, voluntas, potentia activa, libertas, &c. aliæ morales, ut juſtitia, miſericordia, amor, beneficentia. Nos in hoc capite præcipuas Dei proprietates primi, & ſecundi generis attingemus, de aliis, quæ tertii ſunt generis, inferius diſputaturi. Ad quam rem priuſquam adgrediamur, velim lector ſibi perſuadeat, non ita Theologo divinas proprietates veluti in partes ſecare, quaſi re illæ diſtinguantur (nam, ut præclare eſt ab Auguſtino dictum) *idem in Deo eſt eſſe, ac ſapere*, atque idcirco idem eſſe, ac velle, idem eſſe, ac cetera quæ in eo quaſi ſeparare ac ſecernere animo ſolemus. Cogitatione ſcilicet hæc diſcernuntur, non re.

Prop. III. Deus eſt Immutabilis.

D. Deus eſt ſubſtantia æterna independens; ergo (per prop. 17. 1. part.) Deus eſt immutabilis: nam ut habet in ſe totam rationem ſufficientem ſuæ exſiſtentiæ, & quidem æternam, & neceſſariam, ita habet in ſe rationem ſufficientem ſuæ conſervationis, ac æternam item, & neceſſariam. Sunt enim illæ una eademque res. Præterea Deus eſſe debet infinite perfectus (prop. 29. p. p.); ergo eſt quicquid eſſe poteſt. Eſt autem infinite perfectus ab æterno, adeoque neceſſario; ergo ab æterno, adeoque neceſſario eſt quidquid eſſe poteſt. Jam quod ab æterno & neceſſario eſt quidquid eſſe poteſt, ab æterno & neceſſario eſt immutabile; ergo Deus eſt immutabilis.

Scholion. Et quidem Deus immutabilis ſit ſecundum eſſentiam, ac proinde ſecundum omnes ejus proprietates, neceſſe eſt. Nam quoniam eſſentia Dei nullas habet extrinſecas exſiſtentiæ ſuæ cauſſas, ne ullas quidem habere poteſt extrinſecas cauſſas mutationis. Jam nec ullas habere poteſt intrinſecas, quum unumquodlibet ens, potiſſimum

æternum & ſimpliciſſimum, ita natura comparatum ſit, ut natura ſua deſtrui, & mutari nequeat; quidquid enim eſt, ſuapte natura & eſſe, & conſervari amat. Sed & ſingula Dei attributa immutabilia ſunt, ut intellectus, voluntas, bonitas, juſtitia, &c. quia ſunt attributa entis abſolute infiniti, nec quidquam aliud, niſi ens ipſum abſolute infinitum. Itaque nec modificationes ullæ, nec qualitates in Deo eſſe queunt. Modificationes voco varios exſiſtendi modos: qualitates vero limitationes eſſentiæ, & attributorum. Deus autem cum neceſſitate naturæ ſuæ exſiſtat, & ſit infinite perfectus, nec modos exſiſtendi varios ſubire poteſt, nec limitationes eſſentiæ, & attributorum habere ullas.

Duo adverſus Dei immutabilitatem oppoſuere idiotæ Philoſophi, quæ more ſuo paucis complexus eſt Sanctus Thomas (*a*). Primum, quum tanta ſit rerum novitas, & mutatio, eaque ſupremum Deum principium & auctorem habeat, non videtur is eadem ſemper velle, eadem nolle; nec proinde immutabilis eſt. Alterum quum Deus non ex neceſſitate velit, quod vult, fit, ut poſſit velle, & non velle idem: quodcumque autem habet potentiam ad oppoſita eſt mutabile; eſt ergo Deus mutabilis. Quibus pudet nos longiori oratione reſpondere. Principio quid pugnat Deum velle *mutabilia immutabiliter?* ut eleganter loquitur Auguſtinus. Neque enim quidquam vetat eadem æterna ratione ac voluntate, & rerum velle origines, & velle ſeries, & ſucceſſiones. Deinde quum Deus ſit in ſe perfectiſſimus, & beatiſſimus, quod ſæpe alias diximus, nulla naturæ neceſſitate externas res vult: id autem nihil vetat, quin velit immutabiliter. Nam quoniam volendi eadem æterna ratio ſemper eſt, fit ut eadem ſit ſemper voluntas. Eſt hæc Thomæ ipſius reſponſio. *Licet*, inquit, *Deum velle aliquid non ſit neceſſarium abſolute, tamen eſt neceſſarium ex ſuppoſitione*. Hujuſmodi igitur argumenta inde in nobis informantur, quod quum nequeamus tantæ rei plenam animo imaginem concipere, ad res noſtras labimur, atque hinc Deum æſtimare nitimur; quum ille ſit res ſupra omnem humanæ mentis captum.

Prop. IV. Deus eſt ſimpliciſſimus.

D. Deus eſt incorporeus (ex prop. 31. p. p.), & immutabilis (ex. prop. 3.): non eſſet vero nec incorporeus, nec

(*a*) 1. *p. qu.* 19. *art.* 7. *Vide & quæſtiones de potentia*.

nec immutabilis, ſi eſſet compoſitus. Deus ergo ſimpliciſſimus eſt.

Scholion. Itaque nulla eſt in natura Dei compoſitio. Non phyſica; quoniam partibus ſeparabilibus non conſtat incorporeum. Nec metaphyſica, quaſi Dei attributa *formaliter ex natura rei* diſtinguantur, ut opinantur Scotiſtæ; quia quodcumque Dei attributum natura ſua eſſe debet una eademque ſimpliciſſima eſſentia, in qua non ſit *aliud ſapere*, *aliud eſſe*.

Quod ſpectat ad compoſitionem *logicam*, ſi ea ita accipiatur, ut intelligatur poſita in attributorum ratione quidem diſtinctorum, ſed reali unitate, ea convenit Deo: quippe quum hujuſmodi diſtinctio in mente tantum noſtra ſit, non vero in re ipſa, niſi virtute tantum, nihil officit divinæ ſimplicitati, immutabilitati. Quod ſi compoſitio logica accipiatur pro compoſitione *generis*, ut ajunt, & *differentiæ*, ea admodum controverſa eſt in Philoſophorum ſcholis. Sunt enim qui Deum ſub categoria, ſeu genere ſubſtantiæ ponunt, quaſi notio ſubſtantiæ Deo, & creaturis ſit communis: alii negant; quod ſcilicet ratio ſubſtantiæ non eadem ſit in Deo, & creaturis. Et omnem hanc controverſiam ad vocabula pertinere puto: nam genera, & ſpecies ſunt complexus idearum abſtractarum genericis vocabulis copulatarum. Itaque quum quæritur, utrum Deus ſub genere ſubſtantiæ ſit, quæſtio redit ad extenſionem notionis vocabuli *ſubſtantiæ*. Nam ſi eo vocabulo id intelligamus, quod ipſum per ſe ſubſiſtit, ſubſtantia eſt Deus. Si aut id, quod ſubſtat, & veluti fulcrum eſt adjunctorum, Deus ſubſtantia non eſt. Renatus Carteſius ſubſtantiam ita accepit, ut ſit id, quod & per ſe ſubſiſtit, & a ſe; quo ſenſu Deum tantum ſubſtantiam eſſe ait. Ceterum ad res ipſas quod pertinet, idem diſcrimen eſt inter Dei ſubſtantiam realem, & ſubſtantias creatas, quod eſt inter infinitum, & finitum. Atque hinc factum eſt, ut B. Thomas, cujus fuit quaſi divinum in his rebus perſpiciendis ingenii acumen, negaverit, Deum a nobis ex rebus factis cognoſci poſſe *velut cauſam exemplarem*: ſed intelligi ait, *ut efficientem*. Scilicet nulla eſſe poteſt ratio ac proportio geometrica inter finitas res, & infinitam. Ac quamquam progreſſio geometrica adſcendens deſinere debeat in infinite magnum; nego tamen hoc infinite magnum eſſe infinitum

abſo-

abſolutum: aut ſi eſt, nego eo uſque humanæ mentis intelligentiam progredi poſſe, ut ſinu ſuo comprehendat.

Prop. V. Deus eſt immenſus.

D. Deus eſt independens, ens neceſſarium exſiſtentiæ; ergo exſiſtentiæ modificationem non habet: haberet autem, niſi eſſet immenſus, ideſt ubique; ergo Deus eſt immenſus, omnipræſens, ubique.

Scholion. Quemadmodum ex eo, quod Deus neceſſitate naturæ ſuæ exſiſtit, conficitur, Dei eſſentiam eſſe infinitam, ſcilicet nullas habere qualitates, ideſt modificationes eſſentiæ; ita ex eo, quod necaſſitate naturæ ſuæ exſiſtit, conſequitur, nullos habere poſſe exſiſtentiæ ſuæ modos, ideſt eſſe immenſum: nam ut qualitas eſt limitatio eſſentiæ, & attributorum, ita modificatio limitat exſiſtentiam: ſitus ac locus ſunt limitatio exſiſtentiæ: in ente autem neceſſario exſiſtentiæ, & eſſentiæ nulla omnino eſſe limitatio poteſt; nequit ergo limitari modus, quo Deus exſiſtit.

Sunt qui immenſitatem Dei ex exſiſtentia ſpatii vacui immenſi & æterni demonſtrant. Totus in hoc eſt Henricus Morus in Enchiridio Metaphyſicæ. Scilicet poſtquam demonſtraſſe credidit, exſiſtere ſpatium reale æternum, incorporeum, immenſum; idipſum eſſe Dei immenſitatem cenſuit. Sed ut demus ſpatium iſtud immenſum exſiſtere, quum ſpatium hoc non totum ſibi coexſiſtat in ſingulis ſuis punctis, ſed habeat *formalem*, ut ajunt, *extenſionem*, & *quantitatem dimenſivam*, ideſt partes reales extra partes, ſitque majus totum, quam ejus pars quælibet, ſi ſpatium hoc ipſa Dei eſt immenſitas, Deus non totus ſibi coexſiſtet; habebit partes reales extra partes; erit major totus, quam quælibet ejus pars; quæ conſectaria totam Dei naturam ſubvertunt. Immenſitas ergo Dei non poteſt eſſe extenſio realis, formalis, *dimenſiva*, quum ſit ens ſimpliciſſimum, totumque ſibi coexſiſtens. *Deus non mole, ſed virtute magnus eſt*, inquit Aug. ad Voluſianum ep. olim 3.

Qua ergo ratione eſt immenſus? Nempe Deum eſſe immenſum, ideſt ubique locorum præſentem, inde ſcio, quod ſi in uno loco potius, quam in alio ponam, modificationem & limitationem in ejus exſiſtentia pono, quod cum natura entis independentis pugnat. Scio quoque, hanc

hanc immenſitatem non eſſe *extenſionnem dimenſivam*, ideſt quæ habeat partes reales extra partes; quia hæc formalis extenſio ſimpliciſſimæ Dei naturæ, quæ tota mens eſt, adverſatur. Sed ingenue profitebor, me immenſitatis hujus rationem minime comprehendere, neque id mirum eſt, quum mens humana non ſolum finita ſit, verum etiam breviſſima. Huc ſpectat præclarum illud Auguſtini in tractatu 23. in Joannem: *Si non potes comprehendere, quid ſit Deus, hoc ſaltem comprehende, quid non ſit* (1). Ceterum hoc

(1) Eſſentiam Dei & ſubſtantiam eſſe immenſam, ideſt ubique locorum, fidei chriſtianæ dogma eſt, quemadmodum docebunt Theologi. Vide Juenninum Inſtitutionum Theologiæ p. part. differt. 4. qu. 6. art. 1. Sed ea de re curioſius, quam par erat, ut ſolebant, Scholæ Theologi diſputarunt, *per quid Deus conſtituatur formaliter ubique?* Ea in re duæ fuerunt extremæ Theologorum ſententiæ. Nam aliis placuit, Deum ubique *ſubſtantialiter* conſtitui per *ſuam operationem*. Deus eſt totus actio, ac ubique actio; adeoque ubique Deus. *Omnia tangit* (inquit Gregorius M. hom, 8. in Ezechielem) *nec tamen æqualiter tangit. Quædam tangit, ut ſint: quædam tangit, ut ſint, & vivant: quædam tangit ut ſint, vivant, & ſentiant: quædam tangit, ut ſint, vivant, ſentiant, & diſcernant*. Quæ huc redeunt; hanc Dei per univerſum diffuſam, ac commeantem actionem, efficere, & ut ſint, quæ ſunt, & ut quædam vegetent; veluti herbæ ac plantæ, & ut alia ſentiant, quemadmodum bruta, alia intelligant, veluti homines, ceteræque mentes. Una omnia hæc Dei actio efficit. Sed hæc actio quacumque patet mundus, diffunditur, compenetrat ac permeat omnia, efficitque & ut fiant, & ut moveantur, diſponantur, operentur, idque ſecundum æternas ſuæ ſapientiæ leges; quin tamen ullo modo aut ſcindatur in partes, aut cum rebus ipſis miſceatur. Porro hæc actio Dei eſſentia & ſubſtantia eſt, quæ non uno, aut altero coercetur loco, ſed ubique eſt & agit. Atque hi Theologi, qui in hac exteriori Dei actione ejus immenſitatem collocant, ſic ſtatuunt, antequam univerſum crearet Deus, immenſum fuiſſe *aptitudine*, non *actu*: ſeu ejus fuiſſe naturæ ut poſſet in omnibus eſſe & operari, non ut eſſet & operaretur in iis, quæ nondum eſſent.

Contra vero ſunt, qui Dei immenſitatem non in hac immenſa actione conſtituunt, ſed in ſui *indiſtantia a rebus creatis*, a qua ſequatur actio illa univerſalis, Scilicet antequam intelligatur, Deum ubique agere, intelligendum, Deum eſſe ſua eſſentia & ſubſtantia *ubique diffuſum*, ut loquitur S. Auguſt. ep. 57. Ineſt ſcilicet ubique *ſubſtantialiter*: hinc conſequenter ubique agit. Atque hi etiam ante conditum Mundum Deum actu fuiſſe immenſum cenſent, licet nulla eſſet ejus actio *ad extra*, ut loquuntur in Scholis. Erat ſcilicet ipſi ſibi & *mundus*, & *locus*, & *omnia*, inquit Tertullianus lib. adv. Praxeam capit. 5.: *erat ipſe ſibi pro mundo*; ut Minu-

cius

hoc theorema maxima omnium Gentium conſenſione confirmari poteſt. Vide quæ ſuper ea re ſcripſimus in prima parte Scholio propoſitionis 108. quæque ibi eam rem quod attinet adnotavimus. Idem docent diſertiſſime Divinæ Scripturæ. Jeremiæ 23. *Numquid non cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus?* Paullus *Actor.* 17. *Non longe eſt ab unoquoque noſtrum; in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.*

CAPUT III.

De proprietatibus Dei ſpiritualibus, ac primum phyſicis.

Prop. VI. DEus infinitam habet ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

D. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt comprehenſio poſſibilium ut poſſibilium (ex Schol. def. 2.); Deus autem omnia poſſibilia, ideſt infinities infinita, comprehendit, quum eorum omnium in ſua eſſentia, potentia, & intelligentia rationes ſufficientes contineat (ex prop. 50. 1. p.); ergo infinitam habet ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Vide Scholion citatæ propoſitionis 50.

Prop. VII. Deus & præſentia omnia mundi entia, & futura comprehendit, adeoque infinitam habet ſcientiam viſionis.

D. Mundus hic a Deo factus eſt, & ab eo conſervatur (ex prim. part.); totus ergo ab eo diſpoſitus eſt, ac perpetuo diſponitur, & agitur: nam ratio ſufficiens exſiſtentiæ alicujus rei eadem omnino eſt atque ratio ſufficiens ejus conſervationis; totus ergo mundus mente Dei comprehenditur, niſi dicere velimus, tantum artificem, aut non

---

eius Felix in Octavio. Ceterum animadvertendum hoc in loco eſt, ne hanc Dei per omnia diffuſionem imaginari potius velimus, quam intelligere, aut ad modum diffuſionis ſubtilium corporum adumbrare: *carnali reſiſtendum eſt cogitationi* (inquit ſuper ea re Aug. ep. 57.) *& mens a ſenſibus corporeis avocanda, ne quaſi ſpatioſa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, ſicut fumus, aut aër, aut lux iſta diffunditur, omnis enim hujuſmodi magnitudo minor eſt in ſui parte, quam in toto: ſed ita potius, ſicuti eſt magna ſapientia, etiam in homine, cujus eſt corpus parvum.*

non intelligere quod fecit, aut non prævidere quid facturus ſit. Eſt autem mundus compages rerum omnium, & quidem omnium locorum, omniumque temporum: mundi ergo individua omnia omnium locorum, omniumque temporum Deus comprehendit, quia & ut futura eſſent, voluit, & voluit ut eſſent ordinata, & diſpoſita: ideſt quia & ut ſint, & ut ordinata ſint, & ut conſerventur, & pergant ab eo tantum habent; hæc vero eſt ſcientia viſionis (ex Schol. defin. 2.); Deus ergo infinitam habet ſcientiam viſionis.

Scholion I. Sed illud hoc in loco quæri poſſet, *in quo medio* futura præſertim libera, & conditionata Deus cognoſcat? Nam poſſibilia in ſua natura & eſſentia intelligere, procul omni dubio eſt: *futura abſoluta nec libera* in ſuis decretis: in quo *futura libera*? Metaphyſici in varias iverunt opiniones. Fuerunt quibus placuit, in *æternitate* hæc futura a Deo prævideri: hæc enim futura alicui æternitatis puncto coexſiſtere debent; tota vero æternitas coexiſtit Deo, velut in puncto indiviſibili; in hac ergo æternitate futura præſcit Deus. Quemadmodum ſi dicamus totum circulum in uno coarctari centro, neceſſe eſt ut quæcumque circulo ipſo comprehenduntur, comprehendantur centro. Suſflamminat hanc opinionem vir doctus Dionyſius Petavius (*a*). Qui enim ita diſſerunt, inquit, non animadvertunt, non poſſe dici proprie futura præſentia eſſe, & totam æternitatem unum inſtans, ſed tropice tantum; non enim energia, inquit, ideſt non actu, ſed δυνάμει, ſeu potentia, res futuræ Deo præſentes ab æterno dicuntur. Quo modo dici quidem poteſt unico indiviſibili centro circulum comprehendi, intelligi autem nullo modo poteſt: nam nec circulus ille eſt, quem unico puncto definiri concipio; nec eſt hoc punctum, ſi circulo eſt æquale. Veteres Scholæ Theologi in eo omnes concordabant mirifice, in ſe ipſo Deum, & in ſuis ideis omnia, non modo poſſibilia, ſed etiam futura cognoſcere. Ea veſtigia preſſerunt B. Thomas, B. Bonaventura, & Alexander Alenſis; e recentioribus vero Cardinalis Cajetanus. Sed hæc ſententia minime efficit, ut intelligamus, qui Deus futura libera cognoſcat priuſquam fiant? nam idem eſt dicere Deum cognoſcere hæc futura in ſuis ideis, atque Deum cognoſcere in ſua

(a) *Lib.* IV. *de Deo cap.* 5.

ſua ſcientia, ideſt cognoſcere quia cognoſcit, quæ *battologia* eſt mera. Itaque non explicant illud, quod quæritur, qui poſſit Deus futura libera, quæ indeterminata ſunt, aut ut talia concipiuntur, certo & determinate cognoſcere. Dicere vero res futuras omnes quandam habere ab æterno realitatem, utcumque dici, ac ſermone pronunciari poteſt (inquit idem Dionyſius Petavius) intelligi vero, quum dictum ac pronunciatum ſit, omnino non poteſt.

2. Alii autem ita philoſophantur, ut in ſuis æternis decretis hæc Deum intelligere doceant. Futura enim omnia cujuſcumque generis ad Mundum pertinent. Mundi autem *futuritio*, ut loquuntur, a Dei voluntate ſeu decretis eſt: quum voluntate Dei fiat, ut individua Mundi de mere poſſibilibus evadant futura: in hac ergo ſua æterna voluntate, ſeu in ſuis æternis decretis, futura omnia videt Deus. Illud interim habet hæc doctrina difficultatis, ut minus illa videatur componi cum rerum futurarum *contingentia* ut vocant, & mentium libertate, ac peccatis, quæ proculdubio ſunt aberrationes a Dei voluntate; quæ qui dixerit ejus voluntate præmovente fieri, is uno ictu aut funditus Deum ſubvertet, aut, quod Fati aſſertores prædicant, omnia hinc tollet crimina. Itaque factum eſt, ut veteres quidam Theologi dixerint, non Dei ſcientiam eſſe cauſam determinantem futura libera, ſed hæc illam. Ita præter alios auctor reſponſionum ad quæſt. orthodoxas ad quæſt. 58. & quandoque etiam Auguſtinus. Hinc uſurpatum hoc atque pervulgatum eſt in Scholis, *futura non ideo futura, quia præſcita, ſed quia futura præſcita*. Qui niſi intelligunt, futura, quia Dei voluntate decreta, & quia decreta, præſcita, ii profecto in Naturam merum caſum inducunt, id quod acute animadvertit Boethius (a). Sed eam nos rem ſæpe alias diſputavimus.

Quare eos rectius philoſophari crediderim, qui in ipſa intelligibili rerum natura & ordine, aut in ſuis cauſis, hæc futura Deum cognoſcere arbitrantur. Omnes rerum naturæ, vires, & leges phyſicæ, quibus ſyſtema mundanum conſtat, æternis Dei ideis, decretiſque comprehenſæ ſunt. Hæc ita ſunt in Univerſo ordinata, ut nihil ſit fortuitum, atque extra ordinem. Vires igitur Entium rationalium, intel-

(a) *De conſolat. lib. 4. proſa 3.*

intelligendi nempe, appetendi, appetitiones ſuas inflectendi, & perſpectæ eſſe Deo debent, & ab eo cum reliquo mundi ordine connexæ. In his non modo nihil eſt ignoti; ſed nihil extra ordinis virgulam. Hæc igitur omnia Dei decretis, ſeu volutati debentur. Sed vis inflectendi appetitiones, quæ *libertas* dicitur, & *virtus electiva*, ita ſe gerere poteſt, ut aut phyſicum mundi ordinem, æternamque legem ſequatur, aut ab ea deſciſcat. Sectetur autem, aut deſerat, id mentes numquam ſine ulla, vera, aut falſa, ratione efficient: nam electio rationem qualemcumque ſequitur. Hujuſmodi rationes ei notæ omnes eſſe ab æterno debent, cui tota rerum univerſitas, omneſque phyſicæ earum combinationes cognitæ eſſe debet; ergo cognitæ eſſe debent & liberæ omnes electiones. Sunt inter mortales, qui quædam futura libera magna ſæpe providentia præſagiunt, & urbium, & hominum; quod ſcilicet iis ea nota ſint, ex quibus homines impelli ſolent. Cui horum motivorum pauca ſunt perſpecta, is haud longe lateque quid ii facturi ſint prævidebit: cui ſunt plura, is prudentior & perſpicacior erit. Deo autem ſunt omnia explorata; nihil ergo futurorum liberorum ignotum ei eſſe poterit. Atque ita hæc futura in proximis ſui rationibus, adeoque in ſeipſis perſpicit, providetque.

Hæc autem ita dico, ut qui conjicit, neque enim me latet, quam huic rei intelligendæ impares ſint hominum animi. Illud igitur Boethii ejuſdem hic potius memoriæ revocandum eſt, *cauſam caliginis hujus eſſe, quod humanæ ratiocinationis motus ad divinæ præſcientiæ ſimplicitatem non poteſt admoveri*. Quocirca his de rebus parce admodum diſputandum eſt, nec mentis noſtræ limites prætervadendi. In omnibus enim quæſtionibus, quæ ad Deum ſpectant, meminiſſe ſemper debemus, & ejus naturam undique eſſe infinitam, ac incomprehenſibilem, & mentem noſtram finitam eſſe atque breviſſimam. Licebit ergo ignorare, qua ratione & via futura libera præſciat Deus; modo de hoc ne dubitetur, certo ab eo præſciri.

3. Fuere quidam, qui ut in hac re exitum reperirent, univerſalem tantum, non etiam ſingularium Deo ſcientiam attribuerunt. Alexander Aphrodiſæus, Themiſtius, Averroes, Deo *ſpecierum* tantum rerum mutabilium, non etiam individuorum ſcientiam tribuunt; unde efficitur, ut ſpecierum iſtarum curam habere Deus poſſit, non item

in-

individuorum: quaſi vero ſpecies quidquam *reale* ſint, ſi ab individuis diſceſſeris. Averrois verba ſunt (*a*). *Sollicitudo divina non eſt circa ſingularia, quoniam ipſa ſunt infinita, quæ cognitioni repugnant*. Momentoſum quibuſdam hoc videtur. Conſtat poſito ente aliquo ex. gr. A. infinita ſimilia eſſe poſſibilia. Poſitis ergo infinitis A. tum eodem argumento conficietur infinities infinita A. eſſe poſſibilia. Ac item his poſitis erunt poſſibilia infinities infinita. Ita concludere ſibi videntur, individua hæc minime eſſe cognoſcibilia. Inde Platonicum illud Ariſtoteli probatum, *ſcientia eſt de æternis & univerſalibus*, quod Scholaſtici adoptaverunt, quin viderent nec unde oriretur, nec quo proreperet. Recentium Ariſtoteleorum Pomponatius in II. libro de Fato, Libero Arbitrio, & Prædeſtinatione (*b*) veteribus adhærere videtur, contenditque ſcire ſingularia non eſſe perfectionem ſcientis, idque Ariſtotelis, ut ſolent iſti, auctoritate fulcit. Ac licet ſub ejus loci finem id refutare aggreditur; iis tamen rationibus efficit, ex quibus facile quilibet intellexerit, fucum velle lectoribus facere: ineptiſſimæ enim ſunt & pueriles.

4. Sed nihil excogitari potuit nec magis cum Dei natura pugnans, nec minus rebus ipſis, de quibus agitur, conſentaneum. Nam profecto pugnat cum divina Natura, eſſe Deum primam univerſi cauſam, ejuſque vim ac numen per omnia ire, omniaque & ut ſint efficere, & facta ſervare, nec tamen ad ſingularia quoque ejus vim & curam pertingere. Tum nihil eſt exploratius, quam has ipſas res mutabiles infinita arte & ſapientia eſſe conſtructas, ipſaſque earum mutationes artem quoque & ordinem ſequi, quod late naturæ hiſtoria demonſtrat. Omnium ergo & ſingulorum Deus eſt cauſa. Sunt igitur omnia determinata Dei voluntate & decreto; ac propterea omnia Dei intelligentia continentur. Quod ſi id minime intelligere videamur, recolendum eſt id, quod ſæpe diximus, mentem noſtram longe imparem eſſe Dei naturæ metiendæ; ac de ea ex ideis rerum noſtrarum balbutire nos magis, quam ex certis exploratiſque regulis diſſerere. Inepta eſt hæc temeritas, nihil velle, ne in natura quidem Dei, quod e ratio-

(a) XII. *Metaph.* 51.
(b) *Cap.* I.

tione noſtra dimetiri nequeamus, quum ſint ſenſibus noſtris & experimentis infinita quotidie ſubjecta, quæ expedire nullo pacto poſſimus. Quid vero ſenſibus ajo? Quia in Geometria, quæ tota eſt a noſtra intelligentia, ſæpe inextricabiles exſiſtunt nodi. Eſt hæc mentis humanæ natura, ut majorem vim habere videatur in nectendis nodis, & quæſtionibus ſerendis, quam apte ſolvendis. Atque hinc ego agnoſco, hominum intellectum ad infinitum ſuapte natura ſpectare; neceſſe eſt enim ut hæc quaſi progreſſio curioſitatis finem aliquem ſpectet: quem autem ſpectaret, niſi infinitum verum?

Socinianæ familiæ homines, atque in his primipilus Crellius (a), & hanc futurorum liberorum præſcientiam Deo negant, & minime id cum Dei natura pugnare arbitrantur. Quemadmodum enim ſunt quæ efficere Dei potentia nequit, quod pugnet ea fieri: ita ſunt quæ minime ſuapte natura ſunt cognoſcibilia, prius quam accidant; ut non magis queat hæc Deus præſcire, quam circulum quadratum efficere. In hoc genere eſſe ajunt futura libera: ea enim ſi ſunt libera, determinata eſſe nequeunt, antequam fiant: ſi autem ſunt indeterminata, qui ea præſcit, is aut velut determinata ſibi repræſentat, aut ita, ut ſunt, non determinata. Primum ſi facit, aliud præſcit, quam quod futurum eſt; illud igitur non præſcit; fallitur, ergo; quod in Deum cadere nequit. At ſi ut indeterminata præſcit, is non id, quod futurum eſt præſcit, ſed id tantum, quod eſſe poteſt; hoc porro non eſt futurum pervidere, ſed poſſibile.

Sed facile eſt intelligere, quam parum argute hæc concludant. Principio ineptiſſimum eſt, quo hæc expedire ſtudent, exemplum. Sunt quæ pugnat eſſe; ea efficere Deus nequit: id tamen non defectu potentiæ ſit: eſt enim, non in potentia, ſed in re ipſa cauſa, quamobrem hujuſmodi res fieri nequeunt; alterum ſcilicet alteri pugnat, ut circulus idem ſit, & quadratum. At ſi quid eſt, quod Deus non præſciat, ejus rei defectus non in re ipſa eſſe poteſt, ſed in Deo: ſcilicet & impoſſibilia quoque cognobilia ſunt; & quæ jam facta cognoſcuntur, ſi antequam fiant ignorentur, id non rei vitium eſt, ſed intellectus brevitas, quæ ab ente undequaque infinito abeſſe debet.

At

(a) *De Deo cap.* 42.

At enim velut determinata ac definita præſcit, an ut nec fixa & definita? Nempe ut fixa & definita: ſcilicet & determinantem cauſam præſcit & actum, atque ita præſcit, ut hæc præſcientia nec liberæ cauſæ naturam mutet, nec actui vim ullam inferat. Id, inquiunt, qua fieri ratione poſſit, intelligi a nobis & comprehendi nequit. Atque hæc argutiola eſt, quæ duas miſcet quæſtiones. Præſcit hæc Deus, nec ne? Ea prima quæſtio eſt. Ex natura Dei ſequitur, non poſſe eum hæc latere. Intelligimus ne nos, quo ea modo ac ratione cognoſcat? Hæc altera. Hanc viam & rationem ignorare poſſum, quin ſequatur, me ignorare, nota Deo eſſe hæc futura.

5. Dionyſius Petavius (*a*) quinque demonſtrat eſſe propria ſcientiæ divinæ. I. Scientiam Dei non eſſe qualitatem, vel accidens aliquod adveniens ſubſtantiæ, ſed ipſam ſubſtantiam, quæ tota intellectio eſt, & *tota animi, tota animus*, ut loquitur Plinius. II. Scientiam Dei nequaquam ex rebus ipſis duci atque hauriri, ſed ex ſeſe, ac natura ſua, & in ſe ipſo Deum omnia cognoſcere. III. Unicam ſimplicem eſſe, nec multiplicem, qualis eſt noſtra. IV. Mutabilem, & variabilem non eſſe. V. Eſſe cauſſam omnium rerum. Quæ quinque paullo fuſius ſunt a nobis explananda.

6. Quod ad primum attinet, quum Deus ſit mens ſimpliciſſima, & immutabilis, ejus ſcientia eſſe accidens nequit: accidentia enim non inſunt, niſi in rebus compoſitis, aut mutabilibus. Hunc protritum eſt in Scholis illud, ut dixi, B. Auguſtini in VII. de Trinitate, *Deo idem eſt eſſe, ac ſapere*. Revera quidquid æternum eſt, Deus eſt, quum extra Deum nihil ſit æternum: quidquid autem Deus eſt, una eſt Dei ſubſtantia ſimpliciſſima; ergo quoniam ſcientia Dei æterna eſt, non poteſt eſſe niſi ipſa Dei ſubſtantia. Neque reponas, ſcientiam Dei eſſe actionem, atque intelligi non poſſe actionem eſſe ſubſtantiam: nam ut perſpecte obſervat Beatus Thomas (*b*) *Dei intelligere non eſt operatio exiens ab ipſo operante, ſed manens in ipſo, adeoque non poteſt eſſe niſi ipſa Dei ſubſtantia*. Eæ tantum actiones ſubſtantia eſſe non poſſe videntur, quæ non manentes ſunt, ſed tranſeuntes.

E 3 7. Al-

(a) *Cap.* I. §. V. *Vide & S. Th.* I. *p. q.* 14.
(b) *Qu.* XVII. *primæ part. art.* IV. *ad* I.

7. Alterum ex eo patet, quod quum tantum Deus ſit æternus, ejuſque ſcientia non ſit accidens, ſed ipſa Dei ſubſtantia; non potuit a rebus extrinſecis proficiſci, non magis quam Dei ipſius natura. Quocirca ſententia Platonis *eſſe æterna quædam extra Deum exemplaria, quæ Deus intuebatur, dum Mundum efficeret*, perfectiſſimæ naturæ divinæ repugnat. Nam, quemadmodum Ariſtoteles argumentatur, ideæ extrinſecus advenientes intellectum perficiunt: ſi ergo Deus extrinſecus acciperet ideas, ſeu exemplaria, quibus ſibi rerum naturas repræſentat, perficeretur extrinſecus, quod dici non poteſt de ente neceſſitate naturæ infinito. Itaque recentiores Platonici ab ea ſententia deſciverunt, conatique ſunt probare, ideas illas eſſe in natura ipſa Dei inſitas, ac Platonem in meliorem ſenſum interpretari. Plotinus (*a*) *Præterea*, inquit, *ſi neceſſe eſt mentem eſſe univerſi hujus artificem, illa certe rerum archetypa, non iſta facta intelliget, ut ipſum producat. Igitur ante mundum illa ſint oportet, non tanquam figuræ impreſſæ ab aliis, ſed ut archetypa & prima, & ut ipſa mentis* νοια (ſubſtantia). Subtiliſſime ea de re diſputat Auguſtinus *de Trinitate* (*b*): eo in loco verbum Dei appellat, *artem omnipotentis Dei, atque ſapientis, plenam omnium rationum viventium incommutabilium, & omnes unum in ea, ſicut ipſa unum de uno, cum quo unum. Ibi novit omnia Deus, quæ fecit per ipſam: & ideo quum decedant, & ſuccedant tempora, nec decedit aliquod, nec ſuccedit ſcientiæ Dei*. Legatur & B. Thomas (*c*).

8. Præterea ex eo, quod Deus totus intellectio eſt, quodque omnia in ſe ipſo æterna intelligentia complectatur, ſequitur omnia ſimul videre, atque idcirco ejus ſcientiam non multiplicem eſſe, ſed unicam & ſimplicem, quemadmodum unica eſt, & ſimplex ſubſtantia. Acute Ammonius (*d*), *Deos*, ait, *omnia cognoſcere præterita, & futura, ſed eo modo, qui Deo conſentaneus eſt, ideſt una, & determinata, & immutabili ſcientia*.

9. Quarta proprietas ſcientiæ divinæ eſt immutabilitas. Scientiam autem Dei eſſe immutabilem ex iis, quæ ſuperius

---

(a) *Enneade* v. *lib.* IX. *cap.* 5.
(b) *Lib.* VI. *de Trinit. cap.* X.
(c) I. *part. quæſt.* 14.
(d) *Comment. in lib. Ariſtot. de Interpret.*

rius dicta ſunt, conſequitur manifeſto: nam quum ſcientia Dei non ſit accidens ab eſſentia diſtinctum, ſed ipſa Dei eſſentia, & ſubſtantia: non minus eſt immutabilis, quam Dei ſubſtantia. Præterea quum Deus ſcientiam ſuam non extrinſecus hauriat, ſed in ſe ipſo intelligat omnia; rerum mutationes nihil officiunt immutabilitati ſcientiæ divinæ. Accedit auctoritas Scriptorum Sacrorum, qui paſſim docent, Deum non mutari, nullas eſſe apud Deum viciſſitudines, omnia ejus oculis ab æterno nuda & aperta fuiſſe, quæ omnia comprobant divinæ ſcientiæ immutabilitatem. Sed, inquiunt, quum omnes res mundanæ mutabiles ſint, ſi ſcientia Dei eadem ſemper eſt, quæ fuit ab æterno, jam Deus mundana hæc non intelligit. Reſpondemus Deum ab æterno, non tantum primas mundi ſubſtantias, verum etiam omnes earum poſſibiles combinationes, & mutationes intellexiſſe. Omnia mundana, quæ aut mutantur, aut mutabilia ſunt, immutabiliter ſcripta ſunt in ejus ideis æternis.

10. Poſtrema divinæ ſcientiæ proprietas eſt, ut ſit cauſſa eſſentiæ, & poſſibilitatis rerum omnium, quemadmodum divina voluntas cauſa eſt, cur res aut futuræ ſint, aut exſiſtant. Itaque Sapientiæ 8. v. 12. Dei Sapientia vocatur *omnium artifex*. Nimirum eæ ſunt eſſentiæ rerum omnium, quas Deus ab æterno intelligit, & intelligens intelligibiliter creat. Eleganter Auguſtinus (*a*), *Univerſas*, inquit, *creaturas ſuas & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideo novit Deus, ſed ideo ſunt, quia novit*. Et (*b*): *ex quo*, inquit, *occurrit animo quiddam mirum, ſed tamen verum; quod iſte mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet: Deo autem niſi notus eſſet, eſſe non poſſet*. Eadem de re præclare Boethius (*c*) Deum alloquitur.

..... Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipſe,
Mundum mente gerens, ſimilique ab imagine formans,
Perfectaſque jubens perfectum abſolvere partes.

Uſus doctrinæ de ſcientia Dei magnus eſt in vita morali. Nam qui recolit animo, Deum inſpectare omnia, etiam intimas cordis latebras, ſub Deo perfectiſſimo, & omni-

(a) *Lib.* xv. *de Trinit. cap.* 13.
(b) *Lib.* xi. *de Civit. cap.* 10.
(c) *Lib.* iii. *de Conſolat. Philoſoph. metr.* 9.

omniſcio nolit profecto eſſe impurus, ſed omnes actiones ſuas ad juſtum, & honeſtum componet. Equidem non ignoro, quam hunc omnia contemplantem Dei oculum metuant Epicurei, quamque adnitantur ex hominum animis eam perſuaſionem evellere. Ajunt (*a*) gravi hoc metu vitam opprimi; habendaſque iis eſſe gratias, qui primi obſiſtere contra auſi ſunt; quippe lætiores vivimus omni ſublata religione,

Quæ caput a cæli regionibus oſtendebat,
Horribili ſuper adſpectu mortalibus inſtans.

Quæ quam ſint fallacia, atque captioſa id oſtendit, quod ea non ratio dictavit, ſed libido. Nam qui viri boni ſunt, rectamque rationem ſequuntur ducem, ii virtutem & amant, & colunt, nihilque iis tam carum eſt & volupe, quam ob oculos ſapientiſſimi & optimi Patris verſari. Pravi contra & perditi verentur dominos, quia meritas pœnas extimeſcunt. Quare iis gravis eſt ſub religione vita, quos effrænis libido vexat: libera contra iis & pulcherrima, quos una virtus agit. Sed ea de re paullo poſt.

Prop. VIII. Nihil Deus efficit ad extra, niſi voluntate, & quidem plene libera.

D. Nihil Deus efficit ad extra vi extrinſeci & antecedentis fati impulſus; quippe nullum eſt hujuſmodi Fatum (ex prop. 25. p. p.) nec naturæ ſuæ neceſſitate motus, ideſt fato ſpinoziſtico (ex prop. 184. prim. p.) ergo nihil efficit ad extra, niſi ſeſe ipſe & quidem liberrime determinans; ergo plena libertate.

Schol. Enim vero quum Deus ſit æternus, & independens, a nulla exteriori cauſſa cogi poteſt. Nec vero naturæ ſuæ neceſſitate poteſt impelli; nam tota Dei natura in ſe terminatur; perfectiſſima enim eſt, & beatiſſima, quippe ſibi ſufficientiſſima; non ergo neceſſario ferri poteſt, niſi in ſe ipſam tantum. Quid? impelletur ne illa neceſſario a poſſibilibus? Sed quum poſſibilia hæc nullam habeant ab æterno realem exſiſtentiam, ſed tantum idealem; nec habeant eſſentiam, & bonitatem infinitam; nequeunt naturam infinitam neceſſario permovere. Itaque nulla ex parte hæc in Deo neceſſitas fingi poteſt.

Sed quæritur, quum ſit immutabilis, qui poteſt eſſe liber? Nempe libertas in Deo eſt potentia ex ſua ratione, & vo-

(a) *Lucret. lib.* 1. *v.* 63.

& voluntate, non invite, quodcumque libuerit agendi. Quum autem perfectiſſima in eo ſit ratio, perfectiſſima quoque erit voluntas: adeoque, ut eodem modo ſemper intelliget, ita eodem modo ſemper volet; ac propterea erit immutabilis & liber.

Ceterum cavendum eſt Philoſopho, ne ex notionibus voluntatis, & libertatis noſtræ de voluntate, & libertate Dei diſſerat. Meminerit egregii illius Auguſtini dicti; *multa divina iiſdem nominibus ac humana appellantur, cum incomparabili diverſitate ſejuncta ſint* (a). Sunt autem voluntatis noſtræ magna quædam vitia, quæ longe abſunt à Dei natura perfectiſſima. Ex. gr. I., quod non omnia ſimul volumus: II. quod non eadem ſemper: III., quod bonum apparens plerumque vero bono præferimus: IV., quod plerumque ſuſpenſi hæreamus: V., quod non ſolum bonum bono, minus majori, verum etiam bono malum interdum præferimus. Quæ vitia in nobis proveniunt partim ex imbecillitate rationis, partim ex naturæ mutabilitate; nam nec plena & abſoluta ac immutabilis nobis ineſt ratio; & naturæ affectibus continenter perturbamur; ea ergo nequeunt eſſe in Deo, qui & ſcientiam habet perfectiſſimam atque immutabilem; & perfectiſſimam ac immutabilem naturam.

Prop. IX. Deus eſt potentiſſimus.

D. I. Deus eſt quicquid eſſe poteſt; quippe neceſſitate naturæ ſuæ exſiſtens; quum autem ſit ens actuoſum & potens, neceſſe eſt ut totam poſſibilem potentiam habeat; eſt ergo potentiſſimus. II. In Deo debet eſſe ratio ſufficiens eorum omnium, quæ fieri poſſunt; ergo facere poteſt ea omnia, quæ fieri poſſunt. Hæc autem eſt omnipotentia (ex def. 3.) Deus ergo eſt omnipotens. III. Hæc rerum univerſitas neque æterna eſt, neque per eſſentialem emanationem a Deo profluens, ſed per creationem ex nihilo educta (ex demonſtratis in p. par.); creatio autem ex nihilo fieri nequit, niſi voluntate; poteſt ergo Deus quidquid velle poteſt. Eſt vero voluntas appetitio rationalis; & entis infiniti appetitio rationalis eſt infinita; infinita eſt ergo Dei voluntas, ac propterea potentia.

Schol. Solent hoc in loco duæ a Metaphyſicis quæſtiones agitari. I. an Deus efficere poſſit plura, quam efficit. Alte-

(a) *In* II. *Lib. ad Simplicianum qu.* 2.

Altera, facere ne poſſit meliora? Fataliſtæ utrumque negant: docent enim & Deum omnia ſimul facere, quæ poteſt; & nihil poſſe, quod non efficiat: ideſt divinam potentiam eſſe *totam in actu*.

Utrumque autem falſum eſt aperte. Principio, ſi omnia ſimul, quæ poteſt, efficeret Deus, nulla eſſet entium in univerſo ſucceſſio, nullæ ſeries, ſed univerſum eſſet compages entium tantum permanentium. Deinde quum Deus ſit infinita potentia præditus, quodlibet ens, quod Deus efficit, eſſet totum id, quod ex potentia Dei eſſe poteſt, ideſt infinitum: quilibet homo ex. gr. eſſet quidquid ex Dei potentia eſſe poſſet. Quod quum ſit falſum; patet, Deum non omnia efficere, quæ poteſt, ſed ea tantum, quæ rationes Sapientiæ Divinæ poſcunt.

Tum dato uno poſſibili poſſibilia ſunt infinities infinita ſimilia, ut dato uno homine infinitus hominum numerus poſſibilis eſt: omnia autem poſſibilia poteſt Deus: ergo ſi omnia efficeret, quæ poteſt, exſiſterent infinities infinita omnium entium genera, infinitæ infinities generum ſpecies, infinities infinita ſpecierum individua. Id autem eſſet non univerſum ordinatum efficere, ſed chaos confuſum. Præterquamquod tam eſt id impoſſibile ex parte rerum ipſarum, quam eſt impoſſibile exſiſtere contradictoria; nam ſi ſimul infinities infinita compoſſibilia combines, emergent neceſſario infinita incompoſſibilia.

Ajunt, quum dicitur, totam Dei potentiam *eſſe in actu*, id ita intelligi, ut efficiat omnia, quæ non pugnat fieri. Ut autem aut omnia poſſibilia ſimul exſiſtant, aut ut quælibet res ſit infinita, id pugnat fieri. Sed rogo, hoc *pugnat fieri*, *phyſice* ne ii intelligunt, an *moraliter*? Non certe moraliter; id enim eſt tantumdem dicere, ac non decere, ut efficiat. Phyſice igitur. At oſtendere infinita poſſumus phyſice poſſibilia, quæ non ſunt. Quid vetat duplum eſſe hominum numerum? Tellurem duplo majorem? duplo majorem numerum Planetarum ſyſtematis ſolaris? Quot hoc modo quæritare poſſum? Ea interim non ſunt; ſunt ergo infinita poſſibilia, quæ non ſunt.

At enim, intellectus & voluntas Dei ſunt totæ *actu*; ergo tota *actu* potentia. Reſpondemus, intellectum, & voluntatem Dei eſſe actiones interiores, quæque interius ac in natura ipſa Divina totæ comprehenduntur, ac proinde neceſſarium eſſe, ut ſint totæ ſimul. Contra vero

poten-

potentia eſt actio, quæ in exteriora defluit; itaque neceſſe non eſt, ut ſit tota extra in eo ente, quod ſibi & ut ſit, & ut beate ſit ſufficientiſſimum eſt, quodque idcirco nulla vi extrinſecus rapi poteſt. Si id ita eſt, inquit aliquis, Deus non agit voluntate; quod ſi volens agit, tantum agit, quantum vult. Huic objectioni ſæpe reſponſum eſt, voluntatem Dei duplicem habere rationem, & *habitudinem*: nam aut ſe, & quæ in ſe ſunt, vult, & ſimul & neceſſario vult: aut extra ſe aliquid vult, & id quidem ab æterno vult, libere tamen, ac quantum æterna ratio & bonitas demonſtrant.

Quod ſpectat ad ſecundam quæſtionem, Leibnitius, & Wolfius cenſent, ex omnibus poſſibilibus Mundis hunc, qui exſiſtit, eſſe optimum; adeoque non poſſe Mundum a Deo creari meliorem, ſeu perfectiorem. Demonſtrant vero eſſe optimum, quia talis eſt Dei natura, ut ex bonis ſemper melius ſequatur: neque enim regulæ Divinæ ſapientiæ patiuntur, ut Deus melius bonum minori poſtponat.

Sed diſtinguendum eſt inter perfectionem, quæ deſumitur ab arte, & fine, & perfectionem, quam dimetimur a numero, & intenſitate proprietatum realium earum rerum, quæ fiunt. Primo modo accepta perfectione omnes Mundi poſſibiles ſunt æque perfecti, & boni: quia neceſſe eſt ob infinitam Dei ſapientiam, & potentiam, ut omnes ſuis ideis, & finibus æque reſpondeant. At ſecundo modo ſumta voce perfectionis, quoniam proprietates reales ſingulorum Mundi entium, & numero, & intenſitate magis magiſque augeri poſſunt; Mundus hoc ſenſu ſemper ac ſemper perfectior fieri poteſt: nam ea eſt rerum finitarum natura, ut etiam atque etiam hoc ſenſu perfectiores fieri poſſint. Quod ſi quis nunc quærat, cur hoc poſterius Deus non efficiat? Is nimia curioſitate in ſecretas Providentiæ Divinæ rationes inquirit.

Prop. X. Deus non poteſt efficere, quod ſuis attributis, præſertim bonitati, & ſapientiæ, adverſatur.

D. Deus eſt ens ſimpliciſſimum, & immutabile; ergo nullum ejus attributum alteri adverſatur: itaque voluntas ejus & potentia non poſſunt eſſe contraria ejus ſapientiæ, bonitati, ſanctitati, juſtitiæ, ceteris, cum quibus una eademque ſunt res; nec proinde ea efficere, quæ his attributis adverſantur.

Scholion. Animadvertendum vero eſt, id non eſſe ex dete-

defectu potentiæ, ſed potius ex Dei infinita & immutabili perfectione: neque enim infinita, & immutabilis eſſet ejus perfectio, ſi Deus poſſet adverſus æternas intellectus ſui rationes agere, mentiri, injuſte, crudeliter, impotenter quidquam efficere, peccare denique ullo modo: hæc enim imbecillitatis ſunt, ignorantiæ, naturæ mutabilis. Eſt igitur hæc divinæ potentiæ regula, ut quidquid plene cum natura ſua, ideſt undequaque conſentaneum non eſt, id effici a Deo non poſſit, quandoquidem ſi poſſet, nec ſimpliciſſimus eſſet, nec undequaque perfectus.

Prop. XI. Deus non poteſt in hoc univerſo tota phyſica potentia agere.

D. Hoc univerſum exſiſtit ex ordinata compage entium finitæ entitatis & activitatis (p. part. prop. 9. & 68.) Stare ergo ea compages, is ordo, ea proportio nequit, niſi iis permanentibus naturis, & viribus, quibus & ſingula entia, & totum ſyſtema conſtat. At ſi Deus tota ſua potentia in illud ageret, & ſingula entia, & totum univerſum eam vim ſentire & ſequi neceſſe eſſet; nihil igitur eſſet quod definitam & conſtantem naturam haberet; nullaque eſſe poſſet in mundo proportio, nullus ordo. Hoc vero quum pugnet cum Dei ſapientia; ſequitur ut a Deo effici nequeat (per prop. ant.)

Coroll. Quin nullus eſt poſſibilis mundus ordinatus, in quo Deus ex tota potentia ſua agere poſſit. Ratio eſt eadem.

Schol. Si Deus ageret in ſingula alicujus mundi entia tota ſua vi, ſingula entia vi agere deberent infinita: infinita vis ineſſe nequit niſi in ente infinitæ entitatis; ſingula igitur ejus mundi entia infinitæ eſſent entitatis. At pugnat ſyſtema plurium entium infinitæ entitatis (pr. part. prop. 9.)

Prop. XII. Deus eſt providentiſſimus.

D. Cuncta, quæ exſiſtunt, a Deo ſunt facta, atque ordinata, itaut Mundus hic ſit magnum ſyſtema ex parvis compoſitum, atque mirifico ordine digeſtum (pr. p. prop. 68.). Eodem ordine, quo ſunt facta, perpetuo conſervantur, & quidem ex ſingulorum præſcientia (ex demonſtratis); ea autem eſt providentia (ex Def. IV.); Deus ergo providentiſſimus eſt.

Schol. I. Confirmant id res naturæ omnes, quarum nulla eſt, quæ non ſit velut machina ex aliis machinulis affabre contexta, itaut ſingulæ ad communem quemdam

finem

finem factæ intelligantur, ad quem conſtantiſſime pergunt, quem denique conſequuntur; quod ſine directione ſupremæ cujuſdam mentis nec eſſe, nec concipi poteſt. Vide dicta in Schol. generali capitis 1.

3. Ad hæc accedunt argumenta alia deſumta aut a natura humana, aut a civilium ſocietatum fatis. Ut hoc in loco nihil dicam de natura hominis phyſica, de qua ſuperius dictum eſt; certe regnorum ortus, & interitus, rerum humanarum viciſſitudines, & periodi, etiam contra conatus prudentiſſimorum hominum, miracula, quorum teſtes extant omni exceptione majores, prophetiæ, & id genus multa, ſatis valida ſuppeditant providentiæ Divinæ argumenta, quæ ex hiſtoriæ humanæ lectione quivis colligere poteſt. Accedit quoque omnium nationum univerſalis, & perpetuus conſenſus. Antiquiſſimi Græciæ Poetæ ſingulis ferme paginis divinam providentiam prædicant. Jovis voluntate omnia fieri, ſæpiſſime canit Homerus, qui & illud ſubinde uſurpat θεος δια παντα τελευται, ideſt *Deus perſiciebat omnia*; apud Deos eſſe ſummam bonorum malorumque canit Heſiodus verſ. 1438. *Quid enim abſque Jove a mortalibus perficitur? quid horum Juppiter non gubernat?* Idem canit Ennius vetuſtiſſimus Latinorum Poeta. *Quod niſi ita eſſet* (ſunt verba Tullii) (*a*) *qui potuiſſet aſſenſu communi dicere Ennius, aſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Jovem?* Virgilius quoque (*b*).

. . . . . O qui Rex hominumque, Deumque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres.

Idem nobiliſſimi Philoſophi docuerunt, Pythagorici, Platonici, Peripatetici, Stoici. His poſtremo accedit conſenſus omnium præſentium, etiam barbararum Nationum (*c*); nulla enim eſt hucuſque detecta tam moribus efferata, ut non ſibi perſuaſum haberet, ſupremo aliquo numine hæc gubernari. Democritici tantum, & Epicurei adverſus omnium hominum, & naturæ vocem obſtipi fuerunt. Nempe jugum divinæ legis reformidabant, ac excutere volebant homines voluptuoſi & perditi. *Impoſuiſtis*, inquiunt, *cervicibus noſtris ſempiternum dominum. Quis enim non timeat omnia* pro-

(a) *Lib. 1. de nat. Deor.*
(b) *Lib. 1. v. 234.*
(c) *Vide Huet. q. Alnet.*

providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum, & plenum negotii deum? Hinc illæ lacrumæ! Nempe ſunt eorum vota, qui exleges vivere cupiunt.

Duo adverſus hoc theorema oppoſuere olim Epicurei. Primum Providentiam pugnare cum Dei beatitudine. *Nam quod æternum & beatum eſt* (inquit Lucilius Epicureus apud Ciceronem) (*a*) *id nec habere ipſum negotii quidquam, nec exhibere alteri: itaque neque ira affici, neque gratia teneri, quod quæ talia eſſent, imbecillia eſſent omnia & mutabilia: Deum vero quid niſi quietum dicere licet? at ſi Deus regit curſus aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſque conſervat, terras & maria contemplans hominum commoda vitaſque tuetur, næ ille eſt implicitus moleſtis negotiis, & operoſis.* Sed puerile eſt argumentum & plebejum: Deus enim qui pura mens eſt, quique infinita ſapientia, & potentia præditus eſt, cujus ſapientia, potentia, voluntas unum idemque ſunt, ut ſine ullo negotio atque ſollicitudine omnia intelligit, ita eadem tranquillitate omnia vult, & volendo continet gubernatque. Næ igitur Epicurei ſtulti, qui Divina humanis metiuntur; quibus Virgilianum illud occinere poſſis

Urbem, quam dicunt Roman, Melibœe, putavi
Stultus ego huic noſtræ ſimilem, quo ſæpe ſolemus
Paſtores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos
Noram, ſic parvis componere magnam ſolebam.

Alterum eſt hujuſmodi: ſi eſt providentia, cur boni homines miſeria affliĉtantur, mali felicitate laſciviunt? Vetus eſt hæc querela, quam in libris Hebræorum, Græcorum, & Latinorum ſæpe legas. Hinc illa apud Auĉtores Veteris Teſtamenti, *cur via impiorum proſperatur?* &, *Zelavi pacem videns peccatorum: quaſi commotus eſt pes meus.* Diogenes Cynicus dicere ſolebat. Harpalum, qui temporibus illis per plurimos annos Pirata fuit, multoſque expoliaverat, & occiderat, felix ad extremam uſque ſeneĉtutem, *contra Deos teſtimonium dicere.* Dionyſius Syracuſanus quum templum Proſerpinæ Locrenſis expilaviſſet, hinc ſecundiſſime remigraret Syracuſas, *videtis ne*, inquit, *amici, quam bona a Diis immortalibus navigatio ſacrilegis detur.*

(a) *In* 1. *de Nat. Deor.*

tur. *Thelamon autem* (ſunt verba Cottæ apud Ciceronem) *uno verſu locum hunc totum confecit, cur Dii homines negligant: nam ſi curent, bene bonis, male malis eſt; quod nunc abeſt: ſcilicet debebant illi quidem omnes bonos efficere, ſiquidem hominum generi conſulant: ſin id minus, bonis certe conſulere debebant*.

Reſpondemus 1. id non ſemper verum eſſe: nam ſceleratorum infelices exitus magnam faciunt hiſtoriæ humanæ partem. Deinde quamquam quidam videatur in ſceleribus felicem vitam degere, tamen ſi pectora pandantur, fortaſſis omnium miſerrimi appareant. Parva ne miſeria eſt ſcelerum conſcientia dilacerari, quæ ultio prima eſt & maxima? Præterea non ſemper qui apparent boni, revera boni ſunt: ob occulta ergo peccata pœnis affici poſſunt. Sed demus tantiſper, bonos homines miſeria afflictari, eſſe id poteſt magnum bonitatis Dei & Providentiæ argumentum, ſi hujuſmodi malis aut purgentur a veteribus criminibus, aut inſtituantur ad virtutem, & alterius ævi felicitatem. Præclare Auguſtinus (*a*). *Placuit quippe Divinæ providentiæ præparare in poſterum bona juſtis, quibus non fruentur injuſti; & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Iſta vero temporalia bona & mala utriſque voluit eſſe communia: ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur: nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur.*

Intereſt autem plurimum, qualis ſit uſus vel earum rerum, quæ proſperæ, vel earum quæ dicuntur adverſæ. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur: malus autem ideo hujuſcemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Oſtendit tamen Deus ſæpe etiam in his diſtribuendis evidentius operationem ſuam. Nam ſi nunc peccatum manifeſta plecteret pœna, nihil ultimo judicio ſervari putaretur: rurſus ſi nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas, nulla eſſe providentia Divina crederetur. Similiter in rebus ſecundis, ſi non eas Deus quibuſdam petentibus evidentiſſima largitate concederet, non ad eum iſta pertinere diceremus: itemque ſi omnibus eas petentibus daret, non niſi propter talia præmia ſerviendum illi eſſe arbitraremur; nec pios nos faceret talis ſervitus, ſed potius cupidos & avaros. Hæc quum ita ſint, quicumque boni & mali

(a) *Lib.* 1. *de Civit. cap.* 8.

mali pariter afflicti ſunt, non ideo ipſi diſtincti non ſunt, quia diſtinctum non eſt quod utrique perpeſſi ſunt. Manet enim diſſimilitudo paſſorum etiam in ſimilitudine paſſionum; & ſcilicet ſub eodem tormento, non eſt idem virtus & vitium.

Eſt autem hoc in loco animadvertendum, murmurationes ferme omnes humanas & convicia adverſus providentiam Dei ex falſa univerſi ac noſtri cognitione, quam animo gerimus, originem habere. Nam plerique omnes ita ſibi perſuaſere, ſui tantum ergo Mundum hunc a Deo oportere eſſe creatum. Inde conficiunt, nihil in univerſo eſſe debere, quod felicitati ſuæ faciendæ non ferviat. Quumque id tum falſum eſſe intelligant, cum plurimis naturæ malis affliguntur, rurſus in id convertuntur, ut Mundum aut nulla providentia regi arbitrentur, aut non ab uno bono Deo gubernari. In quo ratiocinio pluries illi & turpiſſime hallucinantur. Nam Deum hominum felicitatem velle, id omni vacat dubio: ſed noſtri tantum ergo Mundum eſſe conditum, id vero eſt, in quo de nobis quidem arrogantiſſime, de Univerſo vero imperitiſſime judicamus. Si totam rerum univerſitatem, ejuſque genericum finem plane intueri poſſemus, nec de nobis tam ſuperbe, nec tam abjecte de Dei operibus ſentiremus. Intelligeremus enim ea ipſa, quæ nos mala, & ordinis perturbationes appellamus, omnia eſſe ſapientiæ, ac propterea bonitatis Dei plena. Providentiæ Divinæ accuſatoribus judicium ſuper hac re hominis infenſiſſimi Divinitatis hoſtis proferam: nequit hoc illis eſſe ſuſpectum. Spinoza enim in Tract. Polit. ſic ſcribit: *Quidquid ergo nobis ridiculum, abſurdum, aut malum videtur, id inde eſt, quod res tantum ex parte novimus, totiuſque naturæ ordinem & cohærentiam maxima ex parte ignoramus, & quod omnia ex præſcripto noſtræ rationis ut dirigerentur volumus. Quum tamen id quod ratio noſtra malum eſſe dictat, non malum ſit reſpectu ordinis, & legum univerſæ Naturæ, ſed tantum ſolius noſtræ naturæ legum reſpectu* (a).

CA-

(a) *Cap.* 2. §. 8.

CAPUT IV.

De Attributis Dei Moralibus.

Prop. XIII. DEus nullis affectibus animalibus, ideſt affectibus proprie dictis, obnoxius eſt.

D. Nam affectus hujuſmodi, amor, ex. gr., timor, ira, odium, miſericordia &c. argumentum ſunt naturæ mutabilis, aut alicujus externi boni indigentis, aut quæ alicunde ſibi timet; ideſt non infinite perfectæ, nec ſibi ut ſit, & bene ſit, ſufficientiſſimæ; eſt autem Deus natura immutabilis, perfectiſſima, & ſibi ad beatitudinem ſufficſentiſſima (ex ſupra demonſtratis); hujuſmodi igitur affectibus minime ſubjectus eſt.

Schol. Conſulto dixi *affectus animales:* nam, utcumque minus proprie, duo tamen affectuum genera diſtingui poſſunt, ut alii ſint naturæ commotiones, & agitationes, quos brevitatis gratia *animales* voco; alii rationis decreta immota natura, ex quibus effecta bona, vel mala conſequantur, quos *rationales* dicere poſſumus. Et primos quidem affectus ſempiternæ & perfectiſſimæ naturæ nullo modo convenire poſſe, perſpicuum eſt. I. Non eſſet illa immutabilis & ſimpliciſſima, ſi hujuſmodi affectibus agitaretur. II. Neceſſe eſſet illam aut indigere bonorum externorum, in quæ hujuſmodi commotionibus raperetur (affectus enim animales ſunt naturæ impetus vehementiores in ea bona, a quibus perfici poſſe putamus); aut ea timeret, ſi inde ab illis averteretur. Ceterum utrum etiam affectus rationales, qui ſine commotione naturæ ſunt, reſpuat perfectiſſima illa natara, id nunc diſquirendum eſt. Affectus illi, ſi ex natura noſtra æſtimemus, ad duas etiam claſſes referri poſſunt, ut alii ſint cum voluptate conjuncti veluti amor, alii cum dolore, ut odium, ira, timor, miſericordia.

Prop. XIV. Recte Deo tribuuntur voluntates efficientes ordinis, pulchri, boni; & *noluntates* (utamur eo Wolfiano vocabulo compendii gratia), quibus prava aut vetat, aut punit.

D. Deo competit ut ſit prima & immutabilis rectitudo (pr. par. p. 127. & 128.); ergo ei convenit ut ſit ſecundum ſubſtantiam ut appetens ac volens boni, ita abhorrens ab

omni pravitate. Præterea Deus eſt providus (prop. 13.); eſt igitur volens ordinis, nolens pertubationis.

Prop. XV. Affectus rationales, qui cum voluptate conjuncti ſunt, in primis amor, recte Deo tribuuntur, ſed modo eminentiſſimo, ideſt ſine ulla naturæ agitatione.

D. Deo tribui debent voluntates ordinis, boni, pulchri (propoſit. ſup.); ergo & affectus rationalis amoris. Sane hujuſmodi affectus cum nullo Dei attributo pugnant, & præterea conſentanei ſunt naturæ perfectiſſimæ, & beatiſſimæ: recte igitur Deo tribuuntur. Ceterum non ex noſtris notionibus, verum eminentiſſimo modo, & qui cum perfectiſſima Dei natura conſentiat.

Scholion. Itaque Divinæ Scripturæ *Deum eſſe ignem*, ideſt amorem, & *caritatem* docent: *caritas eſt Deus*, inquit Johannes Apoſtolus in Epiſt. 1. Meliores quoque Philoſophi, in primis Platonici, id comprobant. *Deus*, inquit Plato, *bonus eſt*, *& beneficus*. *Bonum*, inquit Pſeudo-Dionyſius, *ſui eſt diffuſivum*: eſt autem Deus bonus, & optimus, ergo maxime ſui diffuſivus. Diffunditur autem per amorem, & beneficentiam; ergo plenus amoris eſt, & beneficentiæ.

Ceterum hoc eſt maximum inter amorem Dei, & hominum diſcrimen, quod in nobis amor ab extrinſeca bonitate & pulchritudine accenditur, eſtque boni, & pulchri effectus, qui nos in externa rapit objecta velut naturæ & felicitatis noſtræ complementa: in Deo vero ex intrinſeca ſui bonitate & pulchritudine exſiſtit, illi eſſentialis, atque idem ſemper, & immutabilis, cauſſa totius bonitatis, & pulchritudinis, quæ eſt in univerſo.

Prop. XVI. Deo tribui quoque debent affectus rationales, qui in nobis cum dolore conjuncti ſunt, ut odium, ira, invidentia, zelotypia, timor, ſimiles; modo translate capiantur, ut ſint decreta rationis, immota natura.

D. Deo tribuendæ ſunt noluntates mali (prop. 14.) ergo affectus averſantes. Quum hi nequeant eſſe animales, ideſt naturæ perturbationes (prop. 13.) ſunt rationales.

Schol. At enim, in Divinis Scripturis tribuuntur Deo ira, & odium, item zelotypia, triſtitia, dolor intrinſecus, pœnitentia &c.; ergo hujuſmodi affectus ſunt proprii & animales. Reſpondemus, Scripturas Divinas & multa de Deo dicere humano ſenſu, & loqui linguam filiorum hominum, ut poſſint ab hominibus intelligi: quæ omnia incommuta-

bil ter

biliter ſunt interpretanda, & conſentanee Divinæ Naturæ. Sic quum Scriptura memorat oculos Dei, aures Dei, manus Dei: quum dicitur Deum deſcendere, aut adſcendere, ea omnia rationaliter capienda ſunt, non carnaliter, inquit Auguſtinus. Ira, quæ in Scripturis tribuitur Deo, nihil aliud eſt, quam decretum rationis Dei, quo irrogatur pœna peccato, ut loquitur idem S. Auguſtinus. Pœnitentia item eſt voluntas Dei, qua quod factum eſt, ne amplius ſit, vult, ſed vult tamen incommutabiliter, & ſempiterne. Quæ actiones contra leges Dei fiunt, aut homines, qui faciunt, dicuntur odio eſſe Deo, quia ſecundum decreta Dei ſunt puniendi. Ita cetera humano more dicta, ut facilius ab hominibus caperentur.

Prop. XVII. hujuſmodi affectus *iræ*, *odii &c.* nequeunt eſſe primæ Naturæ ſempiternæ & beatiſſimæ voluntates.

D. Primus affectus Dei, quo hic mundus exſiſtit, totius boni ac pulchritudinis fons, eſt amor, beneficentia, bonitas (prop. 15.); cum eo autem pugnant ii affectus, quos ſuperiori propoſitione memoravimus; nequeunt igitur eſſe primi Dei affectus, prima voluntas, prima ejus appetitio.

Coroll. Deus igitur nequit velle mala *voluntate ſed appetitione antecedente*.

Scholion. Enimvero, velit Deus mala antecedente & prima appetitione; ſequetur eum ſuapte natura ferri in mala. At ea natura quæ ſuapte vi, ac prima & antecedente fertur in mala, nec perfecte bona eſſe poteſt, nec beata; non eſt igitur Dei natura. Deus igitur *non vult mala, quia vult*, ut aut Dei naturæ imperiti, aut impii dicere auſi ſunt; nam *ſi vult, quia vult*, vult quia appetit; ſi vult quia appetit; vult quia natura ſua malus. Non eſt autem, nec eſſe poteſt natura malus; nullo igitur modo vult; quamquam ex iis, quæ ſumma cum ratione & bonitate vult, ea ſequantur. Atque idcirco punit, quia non vult. Ira igitur Dei & odium potius ſunt *noluntates*, quam *voluntates*.

Prop. XVIII. Quum Deo tribuuntur virtutes morales, nequeunt ei tribui ex rerum noſtrarum ideis, ſed eminentiſſimo modo, & qui eſt naturæ infinitæ, & immutabili conſentaneo.

D. Virtutes in hominibus morales ſunt moderationes affectuum animalium concupiſcibilis & iraſcibilis appetitus. & ex oppoſitis vitiis æſtimantur, fortitudo ex imbecillita-

te, patientia ex animi impotentia, bonitas ex malitia. Præterea virtutes in nobis exercitatione acquiruntur actuum, idque ſæpe reluctante natura. Ad hæc, nunquam perfectiſſimæ ſunt, & immutabiles. Non ergo poſſunt ex ideis noſtris divinæ Naturæ tribui, quin tota evertatur. Quocirca quum dicitur, *patiens eſt Deus*, cave putes, eum mala ſentire, & fortiter ferre, quæ in nobis eſt patientia, & fortitudo. Præterea quum dicitur, *juſtus eſt Dominus*, cave arbitreris, aut ex ſuperiori alterius lege ejus juſtitiam æſtimari, aut quidquam ex jure & rigore ulli debere, quibus binis notionibus juſtitia in nobis definitur. Cetera eundem in modum accipe.

Prop. XIX. In Deo voluntas nequit ab ejus intellectu diſſentire; adeoque eſt ei immutabiliter & perpetuo conſentanea.

D. Deus eſt omnino ſimpliciſſimus (prop. 4.); nequit igitur eſſe in illo ulla attributorum pugna. Eſſet autem, ſi ejus appetitus, ſeu voluntas ulla in re ab ejus intellectu diſſentiret. Eſt ergo Dei voluntas æternæ Dei rationi per omnia, perpetuo, & *eſſentialiter* conformis.

Schol. Cur, inquit aliquis, non potius dicamus, intellectum eſſe voluntati conſentaneum? Quia nempe in entibus intelligentibus intellectus origine prior eſt voluntate, ſeu appetitu.

Coroll. Quum Dei intellectus ſit lex æterna, Dei voluntas diſſentire nequit a lege æterna.

Schol. Qui igitur Deus eſt liber, inquit aliquis? Videlicet, quia ita extra ſe operatur, ut poſſit non agere: ac ita hæc, aut illa efficit, ut nihil vetet alia efficere, ac alia via & ratione, modo quæ efficit ratione & ſapientia conſtent omnia: omnia enim, quæ ratione & ſapientia conſtant, cum lege æterna congruunt adamuſſim.

Prop. XX. Deus eſt eſſentialiter juſtus.

D. Dei voluntas eſſentialiter eſt æterno intellectui conformis (prop. 19.); ergo eſt ordinatiſſima: eſt autem hæc Dei juſtitia, Deus ergo eſt eſſentialiter juſtus.

Schol. Eſt in Deo æterna veritas idearum (prim. part. prop. 127.) & propoſitionum, ſeu relationum idearum (ibid. prop. 128.). Hæc Dei voluntas nec mutare, nec perturbare poteſt. Hæc eſt æterna Dei juſtitia. Jam rerum hæc univerſitas illi æterno & intelligibili mundo reſpondere debet; voluntas igitur Dei hujus rerum univerſita-

ſitatis effectrix & gubernatrix æternum illum ordinem perpetuo ſervat. Hæc eſt Dei juſtitia reſpectu hujus mundi.

Prop. XXI. Deus non poteſt velle voluntate antecedente miſeriam creaturarum rationalium, quin mereantur.

D. I. Id eſt contra æternas rerum relationes; quia ſi ſecundum eas ſit relationes, merentur (contra hypoth.) Deus autem nihil efficere poteſt contra æternas rerum relationes, ideſt contra legem æternam (coroll. prop. 19.) nequit ergo velle creaturarum rationalium miſeriam, quin mereantur. II. Velle miſeriam creaturarum rationalium, niſi mereantur, aut iræ animalis eſt, aut odii, aut malignitatis naturæ, & quidem appetitus antecedentis, quemadmodum per ſe eſt perſpicuum; talia vero in Deum non cadunt (ex ſuperioribus); ergo Deus nequit miſeriam velle creaturarum rationalium, niſi ipſæ mereantur. Præterea Deus amor eſt, & ſui diffuſivus (ex prop. 15.); creaturæ rationales opus ſunt Dei, quas idcirco non poteſt non amare, & bonitatem ſuam in illas velle effundere, præſertim quum & ut ſint, efficit, & conſervat; ergo non poteſt antecedente voluntate earum velle miſeriam, quin mereantur; quia hæc cum illo amore pugnant.

Schol. Opponunt. In infinitis mundis intelligibilibus eſſe in Deo poteſt aliquis, in quo miſeria creaturarum rationalium earum ſequatur relationes; id ſi ſit, erit ſecundum æternum ordinem & legem. Reſpondeo, naturam intelligentem, quæ ſui non ſit conſcia, quamque non ſequatur appetitus beatitudinis, eſſe inter ἀδύνατα impoſſibilia, hæc igitur eſt ejus intrinſeca natura, relatio, lex, ut ad beatitudinem tendat. Quæ ſi ad miſeriam ordinetur, adverſus ejus ſit naturam; ordo igitur æternus perturbatur.

Reponunt, ita confici, ut belluæ quoque ad felicitatem a Deo creari debuerint; ſunt enim, prorſus ut homines, voluptatis & doloris patientes & conſciæ: nec ex corpore ſolum lætari, aut dolere videntur, verum anima: nam quibus rapti ſint filii, eæ gemunt: & quædam ſunt, quibus idem gemitus ex dominorum amiſſione, ut canes. Quum igiter natura ita ſint comparatæ; qua vi conficitur, mentes non poſſe ad miſeriam deſtinari, eadem conſequetur ne belluas quidem poſſe.

Huic argumento non uno modo adverſum itur a Philoſophis. Fuere veterum quidam, qui ab iiſdem mentibus

brutarum animantium corpora informari arbitrarentur, a quibus homines: id vero factum, ut eorum peccatorum, quæ in anteacta vita admiſerunt, pœnas darent. Ea fuit Pythagoreorum & Platonicorum doctrina. Id commenti videntur, quo profanum hominum genus refellerent, aut non curare humana Deum exiſtimantium, aut factarum rerum malis gaudere.

Aliquot vetuſti ſemichriſtiani in brutorum machinis cacodæmones incolere ſibi perſuaſerunt. Ita Dei providentiæ & juſtitiæ rationes ſibi conſtare putantes. Non fuit ea ſententia patronis deſtituta, atque ad ætatem prope noſtram.

Plurium Theologorum opinio fuit, bruta velut humanæ familiæ mancipia iiſdem pœnis ſubjecta fuiſſe, quibus domini, poſtquam ſcilicet hi adverſus Deum perduelles eam ſibi miſeriam conſciverant. Id ſi ita factum eſt, ſecundum naturæ ordinem factum eſt, non eum quidem, qui primus conſtitutus eſt, ſed hunc, qui ex primorum hominum perduellione manavit. Parum probabilis eſt ea opinio.

Ariſtoteles pleriſque in locis Metaphyſicæ, animantium, ut cetera mundi mala, ex univerſali *oppoſitionis & conflictus lege* videtur derivare. Mundus eſt ordinata entium ſimilium & diſſimilium, ſtantium, ac fugientium compages: ex reciproca eorum actione & reactione manat ordo. Ea oppoſitio, is conflictus, indeque eſſloreſcens ordo ad minima quæque naturæ entia pertingit. Ea ex lege fit, ut quæ voluptatis ſunt capacia, ea debeant eſſe irritationis & doloris. Talia quum creantur bruta, non in miſeriam deſtinantur, ſed potius in eam felicitatem, cujus ſunt illa capacia: ei enim felicitati ſervit dolor; eſt igitur in ordinis relationibus.

Prop. XXII. Deus antecedente voluntate ſeu appetitione vult creaturarum rationalium beatitudinem.

D. I. Deus non poteſt velle creaturarum rationalium miſeriam, niſi illæ mereantur (ex prop. 21.); præterea earum habet curam, & providentiam (ex ſuperioribus); poſita autem eſt providentia in eo, ut ſingula ad ſuos fines dirigantur (ex Def. IV.); creaturas ergo rationales ad conſentaneos naturæ ſuæ fines dirigit Deus. Eſt autem finis creaturarum rationalium beatitudo: quia eo ſuapte natura contendunt; ergo beatitudinem creaturarum rationalium vult Deus.

II.

II. Deus Creaturas rationales efficit beatitudinis capaces, & neceſſario beatitudinis appetentes, miſeriam averſantes; naturalia vero creaturarum in Deum immediate refunduntur; ergo Deus creaturarum rationalium vult beatitudinem. Ac vero niſi vellet; dum in iis neceſſarium beatitudinis amorem imprimit, profecto deluderet, tantoque vellet miſeriores, quanto felicitatis appetentiores creat, quod cum natura Dei pugnat. Mirifice autem hoc theorema cum divinis Scripturis conſentit. Nam præterquamquod eæ aperte docent, *Deum non velle mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat*; &, *non eſſe voluntatem Patris, ut unus hominum pereat*; &, *Deum velle, omnes homines ſalvos fieri*; &, *Deum non eſſe acceptorem Perſonarum*; *&c.*: tota quoque œconomia divinarum Scripturarum eodem ſpectat, ut homines ad beatitudinem divina ſapientia inſtruantur.

Scholion. At enim, quod Deus vult, ut ita efficiatur, ut vult, neceſſe eſt: nam niſi ita fiat, aut imbecillis eſt, cujus voluntas non conſequitur quod vult; aut miſer, qui appetitu fruſtratur. Quare ſi Deus vult creaturarum rationalium beatitudinem, eæ bonæ & felices ſunt omnes: non ſunt autem felices; non igitur earum vult felicitatem. An enim id non fieret, quod Deus fieri vult? Huic argumento hoc præcipue modo occurri poſſe exiſtimat S. Thomas (*a*) hanc Dei voluntatem eſſe *antecedentem*, non *conſequentem*. *Unumquodque*, inquit, *ſecundum quod bonum eſt, ſic eſt volitum a Deo. Aliquid autem poteſt eſſe in prima ſui conſideratione, ſecundum quod* ABSOLUTE CONSIDERATUR, *bonum, vel malum* (quæ eſt antecedens conſideratio, atque hinc manans *antecedens appetitio & voluntas*); *quod tamen, prout cum aliquo adjuncto conſideratur, quæ eſt conſequens conſideratio ejus* (atque hinc nata voluntas, *conſequens*) *e contrario ſe habet. Sicut hominem vivere eſt bonum, & hominem occidi eſt malum, ſecundum abſolutam conſiderationem. Sed ſi addatur circa aliquem hominem, quod ſit homicidia, vel vivens in periculum multitudinis, ſic bonum eſt eum occidi, & malum eſt eum vivere. Unde poteſt dici, quod judex juſtus antecedenter vult omnem hominem vivere; ſed conſequenter vult homicidam ſuſpendi*.

Hæc potuere paucis atque clarius efferri. Deus non vult

(a) *I. p. q. 19. art. 6. ad 1.*

voluntate antecedente, niſi quæ cum lege æterna conſentiunt; quum autem cum lege æterna conſentiat, ut omnes mentes beatitudinem appetant, antecedente voluntate vult beatas. At qua voluntate vult quæ ſunt legi æternæ conſentanea; eadem non vult quæ ab ea ſunt enormia. Jam mentes iniquæ, ac pravæ ipſæ ſuapte vi & libertate a lege æterna deflectunt; conſequente igitur voluntate non vult beatas. Vult ergo beatas, ſi virtutem colant & ſequantur; non vero ſi ab ea exorbitent. Dei igitur voluntas plene ſemper efficitur, ſeu beati ſimus, ſeu miſeri.

Ajunt, qui nos vult beatos, quique ſit omnipotens, quum efficere poſſit, ut ne deflectamus, niſi efficiat, is non videtur re vera velle. Quod Thomas dicere videtur, qui eodem loco hanc Dei voluntatem, *velleitatem* potius dici debere, quam *abſolutam voluntatem*, ſcribit. Reſpondeo, voluntatem Dei eſſe legi æternæ *eſſentialiter conſentaneam* (prop. 19.); ergo rerum a Deo intellectarum naturæ & relationibus eſſentialibus. Quum autem mentes ſint eſſentialiter liberæ; ſit ut ita velit, ut eorum convenit naturæ. Ita ergo vult, ut vim & poteſtatem nolit auferre. Atque hoc eſt, ut ego quidem arbitror, quod Thomas *velleitatem*, non *abſolutam voluntatem*, appellandum præcipit.

Explicemus exemplo. Velit Deus mille globos per lineam rectam moveri ad datum aliquem terminum X, ea lege ut ſi ipſi inſita vi ac natura ab ea recta quandocumque deflectant per curvam quamlibet, ea ſequantur, ſe nolente quidem, curvam, ſed volente tamen vim ac naturam; erit prior illa voluntas antecedens, hæc conſequens.

Quærunt, utrum hoc velle naturam, quæ deflectere poſſit, ſit velle bonum? Hoc poſſe exorbitare libertas eſt; ecquis autem erit, qui libertatem inter maxima naturæ bona non cenſeat? Niſi fortaſſe ii, qui, ademta ſibi libertate, non conquerantur.

Prop. XXIII. Deus non poteſt efficere creaturas rationales infinite intelligentes, & perfectas, adeoque malum metaphyſicum, ideſt *deficientia a ſumma perfectione*, neceſſario creaturis adhæret.

D. Infinite perfectum eſt neceſſarium eſſentiæ, atque exſiſtentiæ (ex I. P.); eſt autem impoſſibile intrinſecum, ut creaturæ, ideſt contingentia, ſint entia neceſſaria eſſentiæ, & exſiſtentiæ, quia nequit idem ſimul eſſe

con-

contingens, & neceſſarium, ideſt conſtare ex iis, quia ſe mutuo deſtruunt; nec poteſt Deus efficere impoſſibilia intrinſeca; non poteſt igitur creatura efficere infinite intelligentes, & perfectas; ergo creaturæ ſuapte natura a ſumma & infinita perfectione deficiunt, quia ejus incapaces: ex quo ſequitur, ut malum metaphſicum, ideſt deficientia ab infinita perfectione, neceſſario iis adhæreat.

Schol. Hic *perfectionem* pro *entitate* accipimus, non pro *ordine*. Ens creatum infinitæ entitatis, ex communi ſapientum calculo, eſt inter pugnantia; fieri ergo a Deo nequit. Sed ne ſi *phyſice* quidem poſſet, rationes legis æternæ ſinerent, ejuſmodi nimirum ens, quod pars ſit alicujus univerſi: pugnat enim rem aliquam eſſe & infinitæ entitatis, & eamdem partem totius alicujus. Quod vero pertinet ad alteram illam perfectionem, quæ ordinis eſt & artis, ea in Dei operibus nequit eſſe finita, ideſt nequit eſſe minor, quam ordinis rationes poſcunt: id enim ſi eſſe poſſet, alicubi ars divina deficere poſſet; quod pugnat cum ſumma Dei ſapientia.

Prop. XXIV. Creaturæ rationales ſunt eſſentialiter legi morali ſubjectæ, & ut poſſint recta ſuum finem perſequi eam cognoſcere debent.

D. Creaturæ rationales ſunt partes hujus mundi; ergo idem ordo eas eſſentialiter regit, qui mundum totum; ſunt igitur eſſentialiter legibus totius obnoxiæ. His legibus quælibet res pro ſui natura paret; corpora mechanice, mentes libere. Niſi pareant, extra ordinem evagantur, quod eſt in totius ordinatione turpiſſimum, & ab eorum fine alienum; pareant ergo oportet, & ut in ordine ſint, & ut bene ac beate eſſe poſſint.

Coroll. I. Eſt impoſſibile morale, ut in univerſo ordinato ſint creaturæ rationales exemtæ ab ordine totius, ideſt a lege æterna.

Coroll. II. Quum providentiæ Dei ſit proprium, ut ſingula ordinatiſſime ad ſuos fines regat, providentiæ Dei erat, legem creaturis rationalibus promulgare, qua illæ ducerentur ad ſuos fines. Niſi enim eam legem promulgaſſet, nec bonus fuiſſet nec ſapiens. Enim vero ut eas creaturas ad ſuos fines perduceret, nec legibus mechanicis uti poterat, quin regulas ſapientiæ ſuæ violaret; nec eas infinite perfectas efficere. Scilicet poſterius & cum natura ipſa creaturarum pugnat, & cum ordine mundi: prius vero, quoniam eſſet

vim

vim libertati hujuſmodi creaturarum inferre, ac propterea earum naturas pervertere, pugnat cum regulis divinæ ſapientiæ. Præclare Pſeudo-Dionyſius (*a*) *corrumpere naturam non eſt divinæ providentiæ*.

Prop. XXV. Deus eſt bonus, & beneficus.

D. Deus omnium, quibus conſtat univerſum, curam gerit, & providentiam, præcipue hominum (ex prop. 12.), quorum non ſolum non vult miſeriam, ſed vult beatitudinem (ex prop. 21. & 22.); eoſque lege morali, cujus illi, ut ſint in ordine, indigent (ex prop. 24.), regit (ex prop. 78. pr. p.). Præterea quoniam & ut ſint, & ut conſerventur, efficit; profecto quidquid boni habent, Dei donum, & beneficium eſt; ergo bonus eſt, & beneficus.

Schol. Sed quæritur, quum Deus ſit bonus, & beneficus, ſapientiſſimus, & potentiſſimus, unde mala, quibus homines perpetuo affliĉtantur, originem ducunt? Leibnitius tria malorum genera fecit, *metaphyſica*, *moralia*, & *phyſica*. Malum Metaphyſicum eſt deficientia a ſumma, & perfectiſſima entitate: morale eſt legis tranſgreſſio, ſeu peccatum: phyſicum ſunt dolores cum animi, tum corporis. Oſtendemus nunc ex nullo horum malorum divinam beneficentiam, niſi ſtulte, oppugnari poſſe, ſimulque eorum malorum originem ita explicare ſtudebimus, ut ea naturæ divinæ aut conſentanea eſſe intelligantur, aut non adverſa.

Prop. XXVI. Mali metaphyſici origo in natura ipſa creaturæ ineſt, nec pugnat cum Dei ſapientia & bonitate.

D. Malum metaphyſicum eſt deficientia a ſumma entitate (ex Schol. prop. ſuperioris); ſummæ autem, ideſt infinitæ entitatis, creaturæ capaces non ſunt, quia ſunt entia dependentia, & contingentia, ac mundi pars; ergo in earum natura poſitum eſt, cur eas infinite perfectas Deus efficere nequeat; ac proinde origo mali metaphyſici in ipſa creaturarum natura ineſt, nec pugnat cum Dei beneficientia. Quin quum tanto majus beneficium ſit, qualemcumque eſſentiam & entitatem habere, quam nullam; quanto majus bonum eſt eſſe, quam non eſſe; fit ut, unde alii argumentum deſumunt contra Dei bonitatem, ubertiſſima argumenta ſumi poſſint divinæ beneficentiæ, & benignitatis. Ac vero vix hominem reperias, in maximis

(a) *De divinis nominib. lib.* IV. *apud B. Th.* I. *part. q.* XXII. *art.* IV.

mis etiam animi corporiſque cruciatibus, & doloribus conſtitutum, qui non malit eſſe potius qualiſcumque, quam nullus: quotus enim quiſque eſt, qui in maxima etiam calamitate, vitam peroſus, velit animam projicere?

Prop. XXVII. Mali moralis origo in natura entium rationalium finita, ejuſque libertate poſita eſt, nec pugnat cum Dei ſapientia & bonitate.

D. Quoniam enim nulla creatura infinite perfecta eſſe poteſt, adeoque ei malum metaphyſicum neceſſario adhæret (ex prop. 26.); ſitque præterea ſuapte natura & eſſentialiter libera; fit ut omnis creatura rationalis errori ſubjecta eſſe poſſit, atque a rectitudine deflectere; adeoque ut ſanctione morali indigeat, qua poſſit recta finem ſuum perſequi (ex propoſ. 24.), cujus idcirco ſanctionis promulgatio inter maxima Dei beneficia connumeranda ſit. Quum igitur creaturæ rationales ut ſunt *eſſentialiter* intelligentes, & potentes, ita ſint *eſſentialiter* liberæ, quum libertatis radix in ratione ſit poſita; adverſus vitæ regulam beneficentiſſime eis a Deo latam agere poſſunt. Hoc vero eſt malum morale (ex Schol. prop. 25.); ergo mali moralis origo in ipſa natura creaturarum rationalium finita & libera poſita eſt. Porro id Dei benignitati non adverſatur. Quid enim? Cum ordine totius concatenatas creaturas rationales non efficeret? Id legi æternæ adverſatur (prop. 24. coroll. 1.). Legem non eis promulgaret? At id nec poſſibile eſt, & cum ejus bonitate, & providentia pugnat. Nam pugnat creaturas intelligentes non eſſe ejus ordinis ſuapte natura conſcias, in quo ſunt eſſentialiter poſitæ; nec ſi id fieri poſſit, divina providentia patitur. An libertatem auferret? Abſtuliſſet etiam naturam, ut præclare ratiocinatur Beatus Baſilius; id quod ſapientiæ divinæ regulis contrarium eſt. An ita inſtruxiſſet primum & ornaſſet, ut nihil eis deeſſet, quo in ordine ſtare poſſent? At id feciſſe ejus ſapientia & bonitas dubitare nos non ſinunt. An auxilia dediſſet majora, quam quibus indigebant? Id eſt extra regulas ſapientis artificis, majoribus ſcilicet viribus partes totius ordinati inſtruere, quam quibus eæ indigent. An tandem nullas creaturas rationales feciſſet? Sed ita nulli rei, ſui ac Dei intelligenti & conſciæ, ſuam bonitatem communicaſſet, nec proinde bonus & beneficus fuiſſet. Nullo ergo modo malum morale cum Dei benignitate pugnat; quia

quia cum ea non pugnat, creaturas rationales procreare, quæ ſuapte natura poſcant, ut in ordine primævo ſtare poſſint, aut ab eo deflectere. Quinimmo quum his malis moralibus Deus in bonum finem utatur, nam ea quoque in finem univerſorum ordinata ſunt, ut diſputat S. Auguſtinus (*a*); inde magis etiam, ac magis divina beneficentia apparet.

Schol. Librorum deguſtatores, quique generica diſciplinarum ſyſtemata aut ignorant, aut præ mentis brevitate a capite ad calcem proſpectare nequeunt, non animadvertentes, me hic generatim loqui, nec creaturas rationales, niſi in prima ſui origine ſpectare, mirum in modum hanc ratiocinationem vexarunt. Quærunt, potuerit ne Deus ita primorum hominum libertatem moderari, ut numquam deflecteret? Quod ſi potuit, videtur bonus non fuiſſe; qui non fecit. Quibus primum reſpondeo, multa quidem efficere Deum poſſe, quæ tamen efficere non decet, quod id ſuſcepti ordinis ratio vetet. Fingamus Deum velle globorum concatenationem efficere, qui inter ſe eam habeant rationem, quæ eſt inter hos numeros ∺ 3. 9. 27. 81. 243. 719. &c. Quæris an poſſit quartum globum 81. efficere majorem, aut minorem? Quis id poſſe neget? Sed nego tamen id ei licere per ſuſcepti ordinis rationes, idque omnes ſani ſincipitis mecum negabunt.

Deinde ab his quæro, ea libertas, quam ita, ut poſtulant, Deus moderatur, libertas adhuc eſt finitæ mentis, nec ne? Si non eſt, deſcivimus jam a natura; nec in ea amplius quæſtione verſamur, de qua agimus. Si eſt, deflectere poteſt. Facultas ergo deflectendi a rectitudine eſt ei naturalis, nec tamen cum Dei ſapientia & bonitate pugnat. At ea eſt origo mali moralis.

Ajunt, libertati auferri non poſſe *facultatem* deflectendi; poſſe tamen auferri actum. Poſſit, inquint, aberrare; ſed ita gubernetur, ut numquam aberret. Id ego quoque fieri poſſe ajo. Sed contendo, ſi Deus ea & naturæ & gratiæ præſtiterit adjumenta, quibus libertas ipſa per ſe, ſine aliis ſubſidiis, ſtare potuiſſet, non idcirco Deum nos odiſſe, quod non ea largitus ſit, quibus certo ſtaret. Nam hæc utcumque minora, ſunt adhuc beneficia; beneficus igitur qui dat, idemque ſapiens, ſi ita naturæ indigen-

(a) *In libris de Ordine.*

digentiæ attemperet, ut ſufficiant. Quis a bonitate, atque ſapientia majora audeat poſcere beneficia, quam quæ ſint ſatis? Sed enim fuiſſent illa primis mortalibus, ac nobis meliora, quia utiliora. Ego non inficias ibo, futura nobis fuiſſe utiliora: nego tamen Deo ex æternis rationibus agenti fuiſſe aut meliora, aut ſapientiora. Sed ea de re alibi copioſius dicetur (*a*).

Prop. XXVIII. Mala phyſica eſſe poſſunt inſtrumenta ſummæ noſtræ felicitatis.

D. Nam dolores ſunt certum argumentum, nos aliquando fore perituros; adeoque nos admonent, ne in hac tantum vita ſperemus, ac propterea ut eas nobis virtutes comparemus, ſine quibus ſumma alterius vitæ felicitas non obtinetur; ergo eſſe poſſunt inſtrumenta veræ noſtræ felicitatis. Accedit, quod ne in hac quidem vita eſt ulla aptior virtuti comparandæ ſchola, quam dolorum diſciplina & conſtantia quædam, ut nulla major virtutis peſtis, quod Archyta Tarentinus dicere ſolebat, quam perpetua voluptas.

Prop. XXIX. Mala phyſica ſunt argumentum Dei bonitatis.

D. Mala phyſica ſunt media, quibus natura nos revocat a nimio præſentis vitæ, ejuſque bonorum amore (prop. ſup.), quo amore fit, ut æterna bona contemnamus, atque legem violemus: ſcilicet ſunt aut præparationes ad virtutem, ut non peccemus: aut juſtæ punitiones, quia peccavimus, ut a peccatis recedamus: ergo mala phyſica ſunt media, quibus natura utitur ad noſtram perfectionem, & felicitatem faciendam: tales vero nos procreare, quum finiti, & errori ſubjecti naſcamur, argumentum eſt Dei in nos benignitatis, & amoris; ergo mala phyſica ſunt argumentum Dei in nos amoris, & beneficentiæ.

Scholion. Præclare Salomon: *meliora ſunt verbera diligentis, quam oſcula odio habentis*. Scilicet niſi Deus hujuſmodi animi, & corporis doloribus perpetuo nos admoneret, non eſſe hanc, quam incolimus, noſtram patriam, eſſe hoſpitium, æternorum bonorum obliti, præſentium æquo juſtius amatores, terræ proni, & ventri tantum obedientes viveremus. Quemadmodum enim diſſerit B. Auguſtinus (*b*), *duo amo-*

(a) *Vide* Lettere Filoſofiche ad un amico provinciale, lettera 1.

(b) *De Civit. Dei*.

amores duas civitatates fecerunt: amor noſtri ad contemtum Dei, civitatem diaboli: amor Dei ad contemtum noſtri, civitatem Dei. Providentiæ ergo divinæ eſt, & beneficentiæ, quod nos his malis admonet, & revocat. Seneca ex natura Dei, & hominis (*a*) cogitate pronunciat, *Deum, quos amat, ſibi indurare, & præparare*. Tacitus quoque præſentem naturæ humanæ genium reputans, ſcribit: *ſecundæ res acrioribus ſtimulis nos exagitant; quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur*.

CAPUT V.

De religione generatim.

Prop. XXX. DEo debetur perfecta Religio.

D. Perfecta Religio eſt cultus ſummi amoris, ſummi obſequii, & ſummæ ſervitutis, ei exhibitus, cui natura debetur (ex def. v.): Deo autem debetur ſummus amor, quum ſit ſumme bonus, atque totius noſtræ bonitatis, & felicitatis cauſa; & ſummum obſequium, quum ſit ens perfectiſſimum, & infinitum, & noſtri amantiſſimus parens; & ſumma ſervitus, quum jure creationis, & conſervationis ſit omnium abſolutus dominus; ergo Deo debetur religio.

Præterea fundamentum Religionis eſt relatio realis inter homines & Deum; tam igitur neceſſario conſequitur homines, quam ea relatio; poſitis ergo terminis, Deo videlicet & homine, ponatur neceſſe eſt. Ii ergo Deo religionem denegare poſſunt, qui aut eum eſſe negant, aut negant univerſitatem rerum creaſſe, & conſervare.

Prop. XXXI. Religio debet eſſe conſentanea tam naturæ divinæ, quam humanæ.

D. Religio manat ex relatione reali inter homines & Deum (prop. ſuper.); ergo debet eſſe conſentanea terminis relationis, alioquin abſurda eſt, & falſa. Sunt autem ii termini Deus & homo; utriuſque igitur naturæ congruere debet.

Corollaria. I. Homo ſtudere debet ut Dei naturam, ac jura in homines, & in totum univerſum, quoad capaces ſumus, agno-

(a) *In lib. de Provid.*

agnoſcat, ejuſque divina attributa & jura animo & ore profiteri. Scilicet ſine hac cognitione ſcire nequit, utrum cultus, quem Deo præſtat, ſit ejus naturæ conſentaneus. Eſt ergo hoc præcipuum religioſi hominis officium. Hæc prima pars eſt theoriæ Religionis.

II. Cultus, quem Deo præſtare debemus, nulli Dei proprietati, nulli juri eſſe poteſt adverſus, quin ſit falſus & abſurdus. Erit autem iis proprietatibus atque juribus conſentaneus, quum homines 1. nullam mentem Deo majorem & præſtantiorem, non animo ſolum, ſed opera in primis ipſa agnoſcent. 2. Si nihil melius, magiſque appetibile ſecum cogitent. 3. Si nihil nec prius, nec vehementius eligant. Porro nullam mentem nec majorem, nec præſtantiorem profitebuntur, quum in veri inquiſitione & contemplatione nulla re alia magis nec obleſtabuntur unquam, nec ſibi ſatisfacient, quam principe illa ac ſumma, veritatis totius fonte ac regula. Nihil autem magis ducent appetibile, quum nullam rem nec vehementius amabunt; ambientque, nec in alia majorem habebunt ſpem; nec quidquam prius timebunt. Brevi; ſi nulli rei omnes ſuos affectus ita ſacrificent, ut Deo. Poſtremo optione facta, ſi omnia contemnant, quam de amore atque obſequio in Deum quidquam minuant, tum nihil prius, nec magis eligant. Hæc eſt prima pars Religionis practicæ.

III. Homo ſeipſum noſcere debet, ſi pius ac religioſus eſſe velit: religio enim vera debet cum utroque termino conſentire: quod fieri nequit, niſi uterque noſcatur. Itaque ſcire debet quæ ſui ſit natura, rationem nempe, appetitum, libertatem, immortalitatem, quantaque ſit ſupra belluas dignitate collocatus. Hæc & cogitatione ſæpe volutare ſecum debet, & quum animo, tum factis ipſis profiteri. Quæ eſt pars altera theoriæ Religionis.

IV. Cultus religioſus ne ſit & falſus, & abſurdus, & huic hominis naturæ conformis eſſe debet: nam ſi ab altero terminorum diſſidet, nec vera eſt, nec conſentanea. Eſt hæc pars altera Religionis practicæ.

Prop. XXXII. Religio debet eſſe conſentanea ordini univerſi.

D. Fundamentum Religionis eſt relatio inter homines & Deum, quæ ſi nulla eſſet, ſupervacanea eſſet; debet ergo eſſe utrique naturæ conſentanea. Quum autem homo ſit pars univerſi, ejus cum Deo relatio pertinet ad ordinem

univerſi. Jam hanc relationem ſequitur religio; ſequitur ergo ordinem univerſi; ei igitur congruat, oportet.

Schol. Ac vero ſi cum ordine univerſi pugnet religio, ea pugnat cum lege æterna; itaque cum Dei natura; religio ergo non eſt, ſed illata injuria.

Prop. XXXIII. Vera Religio non debet eſſe homini noxia, ſed utilis.

D. Vera Religio debet eſſe conſentanea quum Dei, tum hominis naturæ (prop. 31.); id autem non eſſet, ſi alterutri eſſet noxia, aut injurioſa.

Schol. Religio ergo, quæ humana imperat ſacrificia, atque homines ſibi mutuo interficiendis aſſuefacit, vera eſſe non poteſt. Pertinet huc illud Chriſti Domini noſtri graviſſimum epiphonema, *Sabbatum propter homines*. Quo igitur ſpectat illud Lucretii

Tantum Relligio potuit ſuadere malorum?

Nempe non ad veram Religionem, ſed ad falſas atque exſecrandas ſuperſtitiones, quæ & Deo ſunt injuriæ, & generi humano trucidando repertæ. Nam quod ait ille, quid immanius facient hominibus irati Dii, ſi hæc faciunt pacati? (*a*)

Corollaria. I. Religio quæ intellectum humanum non ſolum non perficit Dei & hominum cognitione, ſed fœdis fabulis & abſurditatibus inficit, vera eſſe nequit.

II. Quæ religio nec perficit, nec regit hominis appetitum ad ſummum bonum, ſed falſis bonis applicat, falſa eſt, & hominum commentum.

III. Quæ religio odium atque internecionem generis humani profitetur, ut Muhammedana, falſa eſt.

IV. Religio vera non poteſt hominem omnibus præſentis vitæ bonis interdicere, ſed ita tamen ea elargiri, ut contendentibus ad ſumma non officiant. Nam ſi interdicit, vetat homines hic vivere, id quod pugnat & cum hominis natura, & cum divina providentia.

V. Religio vera non ſpoliat hominem naturæ affectibus, ſed eos moderatur, ne ſint falſi, ac noxii. Nam qui hominem omni omnino affectu privare ſtudet, quod Stoici contendiſſe videntur, is funditus hominis naturam extirpare

(a) *Vide inſignem Plutarchi libellum* De atheiſmo, & ſuperſtitione.

re nitirur; quod neque ulla diſciplina obtineri poteſt; neque ſi poſſet, faciendum eſſet.

Prop. XXXIV. Vera Religio eſt homini neceſſaria, adeoque utilis.

D. Religio eſt profeſſio relationis dependentiæ creaturæ a Creatore (prop. 30.); tam eſt ergo ei neceſſaria, quam ea relatio. Ea autem relatio eſt ei neceſſaria, & ut hic ſit, & ut hic bene ſit, & ut tandem aliquando beata eſſe poſſit, ideſt ut ſit, ut ſit in ordine, ut ordinis finem conſequatur, a quo poteſt voluntate deſciſcere; ergo neceſſaria eſt ei conſtans ac perpetua ejus relationis profeſſio, ſeu religio.

Sed & utilis eſt ei religio. Superius enim demonſtratum eſt, homines, ut recte vivere poſſint, vitæ regula indigere. Præterea inferius demonſtrabitur, ſolam legem, & religionem naturæ ſufficere non poſſe; ex quo conficiemus neceſſariam eſſe revelationem; utilis igitur eſt ei religionis profeſſio. Ergo quum Deus legem, ac religionem, & naturæ via, & via revelationis promulgat, noſtræ felicitati conſulit, atque in eo ſe bonum, & beneficum oſtendit. Sed bonum, ac beneficum magis etiam oſtendit, dum pœnas acres minatur rebellibus; quia pœnæ ſunt neceſſaria motiva, quibus creaturæ liberæ ad legem colendam impelluntur.

Accedit, quod ſine religione ne in hac quidem vita homines tranquille vivere poſſunt. Enim vero homines vivunt tranquilli, quum ex recta vivunt vitæ regula, quum juſtas rerum, quibus circumdantur, opiniones habent, ut ſciant, quantum exiſtimationis, & amoris, & ſpei mereantur; quum officia cuilibet debita præſtant; cum conſpirant in eumdem omnes finem: quum tandem & in proſperis rebus utili timore continentur, ne diffluant & laſciviant; & in adverſis tutum habent perfugium. Hæc autem omnia, nec ſine certa regula homines ſcire, & exequi poſſunt, nec poſſunt ſola naturæ lege, & religione, ut paullo poſt oſtendemus. Itaque quum ex naturali, tum ex revelata religione didicerunt homines, quantum rebus hujus vitæ confidere liceat, qui earum ſit uſus, qui omnium hominum finis, quæ honeſta, & juſta, quantopere ceteros amare debeamus. Quæ quum præſtant, tum amice conſpirant, & vivunt. Præterea inde quoque didicerunt, & ut ne ſuperbirent in proſperis, quum Deus omnibus imperet, om-

niumque actiones expendat, vindicemque habeat oculum; & ut non deſperarent in adverſis, dum ſub juſto potentiſſimi, & amantiſſimi Patris imperio ſumus.

Ex quibus patet, delirare eos, & furere, qui docent, ſine ulla omnino religione beatiores futuros homines, quam nunc ſunt ſub religione. Id contendit Lucretius (1). Enim vero ſub religione homines ſecum Dei ſapientiam, providentiam, amorem reputantes, & in adverſis alacres vivunt, atque ſpe futurorum bonorum læti; quod exemplo primæ reipublicæ Chriſtianæ & in tormentis beatiſſimæ, comprobare poſſumus. At impii, ſiquidem in adverſis ſint, nullum reperiunt fortunæ ſuæ præſidium; ſi in proſperis, quum in hac tantum vita confidere poſſint, quam mortalem eſſe ſciunt, anguntur miſerrimæ mortis expectatione. Itaque delirat, ut iterum dicam, Lucretius, quum conatur docere, non poſſe hominum vitam eſſe tranquillam, dum omnia inſpectans atque puniens Numen timetur. Nam Numen hoc non Tyrannorum more gubernat, ut utilitatem tantum ſuam ſpectet, ſed more Patris optimi, qui amat, & qui ſi punit, id efficit, ut morigeri ſint filii, atque idcirco ut boni.

Accedit eodem, quod ſublato Numine, & providentia, ne leges quidem ullæ eſſe poſſunt, niſi quas utilitas imperat; nulla eſſe poteſt juſtitia, ſed *id juſtum, quod validius*. Quocirca homines lege brutorum vivent, ut id juſtum, & honeſtum habeant, quod fames, quod libido, quod ira, quod vis imperaverit. Eſt autem quiſquam, qui in hac ferarum ſocietate ſe poſſe eſſe tutum & tranquillum putet? aut quis potius non hanc vitam exhorreat? (2) Po-

(1) Fuit & Petri Bælii inſigne hoc paradoxon, eſtque hodie laſcivientium aliquot ingeniorum, *Voltaire*, *de l'Ametrie*, *Rouſſeau*, aliorum; qui item, ut olim Lucretius, genus, ut ajunt, humanum commiſerati, ſuppetias tulere; ut quum nos omni ſupremi numinis reverentia & metu liberaſſent, tum demum juſtitia, probitate, humanitate ſoluti, læti, ac beati viveremus. Hos ego ut ratione informatos exiſtimem?

(2) Nulli animantium majores eſſe a natura vires tributas, quam homini, accurate demonſtrat Buffon in *hiſtoria naturali hominis* tom. IV. hiſt. nat. edit. in 8. Sed & nulli aciores & vehementiores affectus inſitos aperte hominum hiſtoria docet. Præterea ingenium habent homines verſatile & peracutum. Ita fit ut nihil ſit in tota natura homini infeſtius, quam aut alii aliis, aut nobis ipſi. Nihil tam luculenter hominis pravitatem oſtendit, quam tot leges, totque ſeveriſſimæ legum ſanctiones. Nam quam

Poſtremo id ex eo quoque oſtendere poſſumus, quod eæ gentes, eæ nationes & juſtius, atque inter ſe amicius vivere ſunt repertæ, quæ & aliqua continentur religione, & minus humanis erroribus fœda: veluti in America Meridionali Peruani, in Septemtrionali Mexicani: quum ceteræ aut religione ſolutæ, aut obſcena, & truculenta depravatæ, per omnem immanitatem ac fœditatem vagarentur.

Schol. Quæret fortaſſe hic aliquis, cur religionem Deus a nobis poſtulet, pœnaſque acres minetur, niſi præſtiterimus, & quidem incorrupte, & ſancte? Quum Deus ſit ens perfectiſſimum, ſibique ad beatitudinem ſufficientiſſimum, minime noſtri indigum, profecto ob nullam ſuam utilitatem, aut voluptatem, quæ inde ei accedere poſſit, obedientiam, & religionem ab hominibus exigit; ſed ob noſtram: *nobis enim prodeſt colere Deum, non ipſi Deo*, inquit S. Auguſtinus (*a*). Eam tamen illi nos deberemus, etiamſi minime exigeret, ac præciperet, quum ſcilicet ob eminentiſſimam ejus naturam, tum ob infinita beneficia, quæ ab illo continenter excipimus; tum ob ſupremum ejus in res omnes imperium; tum tandem ob noſtri ab illo derivationem, ſine qua homines nec intelligi, nec eſſe poſſunt. In primis hoc ab eo dependere neceſſariam inter nos, & Deum relationem conſtituit, ex qua porro fit, ut illi nos ſervitutem, & religionem debeamus. Quocirca ut eſſe nequit homo niſi a Deo; ita abſurdum eſt, ut ſine auctoris ſui cognitione, & cultu vivat. Uno verbo, religio adverſus Deum, naturam Dei, & noſtram neceſſario conſequitur, ut etiam ſi ille non poſceret, deberemus. Sed ille poſcit, atque imperat, non quia utilis eſt ei, aut neceſſaria, ſed quia neceſſaria, & utilis nobis, adeoque quia bonus, & beneficus.

(a) *S. Auguſt. q. 3. Ad Paganos.*

quam ob cauſam expediri dicamus furcas, ſecures, culeos, rogos, atque tot alia immania tormenta, quibus excruciemur, excarnificemur, comburamur, membratim ſecemur? Nempe quia nullius animantis magis ingenii pravitatem, & vires ad nocendum paratas exhorreſcimus. Hoc animal religione ſolutum, nullo naturæ vinculo continebitur. Id igitur ut quiſquam tum beatum dicat, quum omnibus ſolutum frænis nihil ſibi non licere exiſtimet? Hoſne ego homines humano generi ſuppetias venire cenſeam? Quin nemo arbitror, erit, qui non hoſtes humani generis exiſtimet.

Coroll. I. Summa & plēna hæc Religio ſoli Deo debetur. Nam debetur ei, qui ſummo amore, ſummo obſequio, ſumma ſervitute eſt dignus: is autem eſt ſolus Deus, quippe is tantum eſt ſumme bonus, ſumme perfectus, ſumme Dominus.

Scholion. Interim hoc nihil prohibet, quominus Angelos, aut ſanctos viros, Deo ob virtutum merita cariſſimos, pia veneratione colamus, non quidem ut Deos habentes, in quo errarunt Gentiles, ſed ut Dei amicos, & ſervos religioſe venerantes. Ceterum perfectus ille, & ſummus cultus impartibilis eſt; ut idcirco quicumque illum alteri, quam Deo tribuerit, magni criminis læſæ Divinæ majeſtatis reus ſit.

Coroll. II. Omnis Religio, in qua aut ſummus animi cultus, ideſt maximus, cujus eſt homo capax, Deo non tribuitur: aut plures Dii æquali religione & cultu adorantur: aut in qua non recte de Deo ſentitur: aut ex qua ea bona ſperantur, quæ corporea ſunt & fugacia, falſa eſt. Patet ex ſuperioribus.

Schol. Hinc ſequitur Ethnicam, & Muhammedanam religiones falſas eſſe: ſunt enim fœdiſſimæ ſuperſtitiones. Superſtitio autem quamquam ſpeciem religionis mentiatur, tamen eo eſt Atheiſmo deterior, quo ſpecie pietatis aut Atheiſmum continet, aut ad Atheiſmum ducit, & quidem ita ut incautos facillime fallere poſſit. Audiendus eſt Plutarchus, qui in libello de ſuperſtitione copioſe hoc explicat. *Superſtitio*, inquit, *Atheiſmo ut naſceretur principium præbuit, & nato præbet defenſionem, non veram quidem, neque honeſtam, prætextu tamen non carentem. Non in Cælo quidquam reprehenſibile, neque in ſideribus circum Terram, quæ diem noctemque efficiunt, neque in animalium victu, neque in fructuum fœneratione quidquam erroneum & inordinatum conſpicientes, Divinitatis abnegationem in Univerſum decreverunt: ſed ſuperſtitionis facta, ridiculaque perturbationes, & verba, & præſtigia, & incantationes, & circumcurſationes, & cruciatus, & impuræ purificationes, immundæque mundationes, barbaræque & iniquæ prope Templa punitiones, & injuriæ, quibuſdam cauſam præbent, ut dicant, ſatius eſſe non exiſtere Deos, quam exiſtere talia probantes, talibus gaudentes, & ita injurioſos, & ita ſordidos, parvaque de cauſa iraſcentes*. Hæc ille. Plurima in eandem rem ſcribit ſæpe Auguſtinus *de Civitate*

Dei,

Dei, & Antonius Wandalius in libris de origine & progreſſu idololatriæ.

§. 2. Superſtitio autem omnium fœdiſſima Ethnicismo continetur. Et cum duplex ſit ſuperſtitio, una *cultus falſi*, altera *cultus indebiti*, ut in Scholis loqui amant, utraque apud Paganos late regnavit, regnatque etiamnum. Demonſtrarunt id copioſiſſime antiquiſſimi illi & eruditiſſimi Chriſtianæ religionis Apologiſtæ, Juſtinus martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Auguſtinus, aliique. Nos rem in pauca conferemus verba. Ut autem dilucide diſſeramus, Gentilem Theologiam poſt Varronem in tria genera diſpeſcemus, *Philoſophicam*, *Poeticam*, & *Civilem*. Quod pertinet ad primam ea quod ad partem theoreticam vera quidem continet aliqua, ſed ita ut plurimis falſis depravata ſit. V. g. Philoſophi, ſaltem nobiliores, Dei exſiſtentiam, ſapientiam, potentiam, bonitatem, providentiam, unitatem; tum & leges naturæ, & animorum immortalitatem, adeoque pœnas, & præmia alterius vitæ agnoverunt, & Theologiam Poeticam atque Civilem corruptiſſimam eſſe, ut ex ſolis libris Ciceronis de Nat. Deor. abunde patet. Sed errarunt in graviſſimis capitibus partis theoreticæ, & in practica omnes populi errores amplexi ſunt. Ita Philoſophi omnes materiam Deo coævam poſuerunt, & Deum Fato ſubjecerunt. Eorum quidam Deum malum bono aſſociarunt, ut demonſtrat Plutarchus in lib. de Iſide & Oſiride. Plurimos quoque errores circa animam promulgarunt, præſertim *metempſychoſin*, ſeu tranſmigrationem. At in practica, ne rigido quidem Socrate, & Divino Platone exceptis, omnes populi cœno volutati ſunt: aliud ſcilicet *in templis cum populo adorabant, aliud in Scholis docebant*, inquit Auguſtinus. Moribus præterea fuerunt corruptiſſimis, ut de Pythagora, Socrate, Platone, Catone, Zenone, Seneca, & aliis celebrioribus demonſtrat Auctor hiſtoriæ philoſophicæ Paganorum (*a*). Itaque de omnibus omnino Gentilibus intelligenda ſunt verba Apoſtoli ad Rom. I. 18. & ſeqq. *Revelatur*, inquit, *ira Dei de Cælo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent; quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſta-*

 vit:

(*a*) *Cap. 36.*

vit: inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas. Ita ut inexcuſabiles ſint; quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Toto ergo Cælo ab auctoritate Pauli aberrare ii videntur, qui Philoſophos quoſdam paganos ſalvos eſſe putant (1).

§. 3. Illud quæſitum eſt, utrum Philoſophi Gentiles fuerint Athei? Gentiles omnes Atheos appellat Apoſtolus, hoc ſenſu, quia ſine cognitione veri Dei, cujus ideam fœdis commentis depravaverant, vixerunt. Clemens Alexandrinus in Stromatis, & Euſebius Cæſarienſis in Præparatione Evangelica ex inſtituto conantur probare, Gentiles fuiſſe Atheos, quod nullum alium Deum adgnoverint, præter Naturæ partes, aut omne Univerſum. B. Athanaſius in eadem fuit ſententia, eo permotus argumento, quod *pluralitas Numinum nullitas ſit Numinum*: nam perinde eſt, ſeu plures Deos æquales colas, ſeu nullum, cum verus Deus non poſſit eſſe niſi unus. Sed quidquid ſit de imperito Gentilium vulgo, certum eſt Philoſophos plures unum ſupremum rerum omnium opificem & Dominum adgnoviſſe; atque de eo in ſcriptis ſuis luculentiſſime teſtificatos fuiſſe, quod ipſe adgnoſcit Apoſtolus in loco ſuperius laudato, Deique ipſius manifeſtationi adſcribit, *Deus*,

---

(1) Ajunt, eam cognitionem, quam Philoſophi de Deo, ac naturæ lege habuere, a Deo ipſo fuiſſe illis patefactam, ὁ γαρ Θεος αυτοις εφανερωσε, inquit Apoſtolus loc. cit. v. 19., nec falſa igitur eſſe potuit, nec manca. Qui igitur ex ea vitæ rationes inſtituerunt ex divina virgula vixerunt; qui igitur ad beati ordinis finem, ſeu felicitatem non eos perveniſſe dicamus?

Nempe hanc revelationem; de qua hic loquitur Apoſtolus, ſatis ex ejus verbis conſtat, natura fieri, non verbo. Ut igitur demus Deum & vere & plene loquutum eſſe, longe tamen abeſt, ut eum plene ceperint Philoſophi: quid enim vetat non vere nec plene audiri, quæ vere ac plene dicta ſunt? Sed ut plene Deus natura ipſa loquatur, id in controverſiam Philoſophis adduco. Verum ea de re paullo poſt. Agam tamen liberaliter, & hoc concedam tantiſper, & Deum plene per naturam loquutum, & plene a Philoſophis auditum; ſupereſt tamen ut perquiramus, an ii ita, ut perceperint, vixerint. Id vere factis ipſis revincit Paulus. Sed & ſunt Philoſophorum ipſorum eadem de re frequentes exprobrationes, imprimis Tullii. Lucianus idcirco ſæpe & ſalſe totam philoſophiam, velut turpiſſimam impoſturam, atque gravi ſapientia indignam traduxit, atque ipſos primipilos Philoſophos Pythagoram, Platonem, Socratem, Ariſtotelem, Zenonem magnis cachinnis deriſit.

Deus, inquit, *illis manifeſtavit*; unde intelligi poteſt, primam Dei revelationem eſſe creationem. Interim quoniam Philoſophi omnes Deum, & materiæ coævum, & Fato ſubjectum fecerunt, atque alia doctrinæ illi admiſcuerunt, quæ cum natura veri Dei pugnant, ſuſpicione liberari nequeunt. Præſertim cum ſi voluiſſent ſibi eſſe conſentanei, procul dubio omnes fuiſſent Pantheiſtæ, quod ego alias animadverti. Quare ſi Atheus dicatur is, cui nulla cognita eſt Divinitas mundi hujus effectrix & gubernatrix, vix ego aliquem ejus generis commemorare poſſem extra Democriticam & Epicuream ſcholam. Si eo vocabulo is dehoneſtatur, qui aut non per omnia recte de Deo ſentit, aut in practico cultu a vera theoria exorbitat, non illos tantum veteres eo albo complectendos cenſeo, ſed plures etiam reliquarum ætatum, omniumque gentium.

§. 4. Jam Poeticam & Civilem Gentilium Theologiam fœdiſſimam fuiſſe ſuperſtitionem, doctiſſimi veterum Philoſophorum adgnoſcunt. Quamquam quid neceſſarium eſt ad Philoſophorum auctoritatem adpellere, cum extent Poetarum & Hiſtoricorum libri, qui abunde id demonſtrant? Quum Homerum, alioſque Græcos Poetas lego, non poſſum non mirari, qua fronte homunciones tanta de Diis ſuis mentiri ſint auſi, atque tanta illis humana vitia tribuere, ita quidem, ut bonus Plato in III. de Republica coactus ſit, Poetas e Republica ſua exterminare velut corruptores religionis, ipſoſque coryphæos Poetarum, Homerum, & Heſiodum inferis addicere. Quis enim vero ferat Jovem, hominum Deumque Patrem, puellarum & puerorum raptorem, bellorum architectorem: Mercurium latronem, Martem adulterum, Venerem meretricem? Quis Spartæ in Veneris honorem Meretrices magno ſumptu ali, quæ rem ſacram tanto Numini facerent? Porro quis ferat ſacrificia Bacchi, Cereris, Priapi, quæ enarrare homines paullo honeſtiores pudet? Præterea Deos omnes Deaſque fecere vinolentos, helluones, iracundos, invidos, plebejorum in morem rixantes, malorumque facinorum ſuaſores (*a*).

§. 5. Ad hæc, animantia bruta, elementa, fontes, fluvios, tum vitia, aut morbos, velut impudentiam, febrim, pallorem, venerem, inter Deos retulerunt: itaut Lucianus falſe Momum facit clamitantem, ſe, niſi cælum tot mon-

(a) *Vide Cic. de Nat. Deor, & Aug. de Civ. Dei*.

ſtris purgetur, abiturum. Porro quis ferat adoratos ut Deos ſpiritus malignos, & ſceleſtiſſimos homines? Nec dicant Gentilium Patroni, eſſe hæc Poetarum commenta. Primum enim Arnobius lib. 4. adverſus gentes ſolide probat, Poetas hæc a populo accepiſſe (*a*), Ac ſane veriſimile non eſt, Poetas populis probari potuiſſe, niſi eadem cum populis docuiſſent. Deinde quidam Philoſophi, velut Anaxagoras, Socrates, Protagoras, Ariſtoteles, quod hæc riſiſſent, aut morte, aut exilio mulctati ſunt.

§. *6*. Illud vero ſtupiditatem omnem ſupergreditur, quod aut Deos ignotos adoraverint, quos ne nomine quidem vocare ſcirent, aut certe vocabula inania, ſeu nihili. Quod ſpectat ad primum, teſtificatur Lucas in Actis cap. XVII. 23. Athenienſes Aram poſuiſſe ignoto Deo. Habebant præterea Græci Aras poſitas Diis exteris & ignotis; habebant & Romani, ut Diis Aſiæ, Diis Europæ, Diis Lybiæ. Nempe quum plerumque ignorarent a quo potiſſimum Deo res aliqua eſſet petenda, ne aberrarent in precationibus, ignotis etiam Diis, ne videlicet ullus exciperetur, ſacrificabant. Quod ad alterum, adorabant modificationes quaſdam rerum, ut Tempus, Ventos, Sanitatem, Fortunam, Amorem, Metum, & ſimilia, de quibus copioſe diſſerit Voſſius in Theologia Gentili. Clemens Alex. oratione ad Gentes, Arnobius adverſus Gentes, & Auguſtinus de Civitate Dei infinita hujuſmodi deridicula Numina ſuppeditabunt. Proferamus aliquot animi gratia ex Arnobio, & Auguſtino, qui ea ex Varronis libris deſcripſerunt.

Portunus præſtat commeatibus navigationes.
Conſus ſalutaria & fida conſilia ſuggerit.
Flora curat, ut arva floreſcant.
Segetia, ut ſegetes felices proveniant.
Unxia praeſt unctionibus.
Cinxia cingulorum replicationi.
Victua, & Potua, ſanctiſſime victum potumque procurant.
Laverna furum protectrix.
Bellona diſcordiarum, bellorum, & rixarum.
Fluviona præeſt fluviis.
Pomona hortis.
Februttis febribus.

Pan-

(a) *Vide & Aug. de Civit. Dei lib.* IV.

Panda, vel Pantica viis aperiundis.
Pellonia hoſtes pellit.
Lateranus præeſt focis & laterculis.
Perfica Venereas voluptates perficit.
Portunda thoris genialibus praſto eſt.
Puta putationes curat.
Peta petitiones.
Nemeſtrinus nemora.
Terminus agrorum limites.
Nodutis ad nodos perducit ſata.
Vibilia ab erronibus viarum liberat.
Oſſilao oſſa infantibus durat.
Mellonia apum mel.
Vertunus humanis cerebris patrocinatur &c.

Pauca hæc ſatis ſunt ſuperque ad fœdiſſimam veterum Romanorum ſuperſtitionem intelligendam. Quam enim Divinitatis notionem habebant ii, qui iis rebus plura Numina præficiebant, quas apud nos unus homo procurat, ut perſpecte ratiocinatur Auguſtinus?

§. 7. Sed videamus quid ad hæc Gentilium patroni Celſus, Porphyrius, Julianus protulerint. Poſſunt, inquiunt, omnes Gentilium Dii Deæque ad quinque claſſes referri. Prima continentur Elementa, & Aſtra: 2. Plantæ. 3. Bruta: 4. Homines: 5. Dæmones. Ut a prima exordiamur, Cælum, & Tellus primi Dii poetis vetuſtiſſimis habentur, ex quorum connubio ceteri ſunt orti. Cælum faciunt antequam homines vitiis vitam depravaſſent verſatum cum Tellure, unde minores alii Dei ſint geniti. Id vero non aliud ſignificat, niſi primos mortales, & res alias, e Tellure genitos, ſuppeditante Cælo humorem & calorem. Ad Tellurem referuntur Ceres, quæ Græcis Δημητηρ, quaſi magna mater dicebatur, teſte Platone in Cratilo, & Ops, & Pluto, ideſt partes Telluris inferiores. Veſta quoque & Juno, & Venus idem ac Terra (*a*). Proſerpina quoque idem ac Tellus (*b*). Præterea. Maja, Faunus, Flora, Pales, Puta, Pomona, Segetia, Tutulina, Nodinus, Nodutis, Lactucinia, Hoſtilina, Volucrina, Deverrona, Runcana, Spinenſis, & maxima pars eorum Numinum, quæ ſuperius memorata ſunt, Terræ erant aut partes, aut vires,

(a) *Voſſius in 2. de idololatria cap.* 59.
(b) *Voſſius ibidem cap.* 60.

vires, quæ nominibus divinis adpellabantur, quod primum Chryſippus in lib. de Nat. Deor., nuper Voſſius in laudato loco demonſtravit.

§. 8. Ad Cælum infinitos Deos tanquam Cæli partes referebant. Sol omnibus ferme nationibus cultus, idque ab antiquo, ut Moſes Deuter. cap. IV., & Jobus cap. XXXI. teſtantur, infinitam Deorum turbam complectitur. Bal & Bel (quæ verba Dominum ſignificant) Phœnicum, & Chananæorum Dii, Solem referebant, ut idem demonſtrat Voſſius. Tradit Servius, Aſſyrios pro eodem habuiſſe Solem, Saturnum, Bal, & Bel. Hinc inferunt docti, Saturnum Carthaginienſem eundem eſſe ac Solem. Quum vero Moloc Chananæorum idem ſit ac Saturnus Carthaginienſis, Moloc idem ac Sol. Hinc Infanticidia Saturno apud Carthaginem, & Moloco apud Chananæos eadem. Legatur Voſſius lib. 2. cap. 5. & Calmet in Diſſert. de Numinibus Chananæorum. Idem Voſſius demonſtrat, Adonem Phœniciorum, Priapum, Bacchum, alioſque Deos, Camum Mohabitarum, Mitram Perſarum, Oſirim Ægyptiorum, & alios Deos unum eſſe Solem. Plurimæ quoque Deæ Gentilium Lunam referunt, ut Iſis, Aſtarte &c.

§. 9. Quibus poſitis, Gentiliſmi Patroni ſic concludunt, tot nempe Deos, Deaſque, quæ aut ad Tellurem, aut ad Cælum pertinent, unum eſſe ſupremum Deum, pro diverſis adſpectibus, attributis, viribus, effectibus adoratum ſub diverſis vocabulis. Nec vero, ajunt, hæc interpretatio nudius tertius inventa eſt. Eam enim reperimus adhibitam a Platonicis & Stoicis. Audiendus eſt Maximus Gentilis epiſtola ad Auguſtinum ſcripta, quæ eſt 43. veteris editionis. *Equidem*, inquit, *unum eſſe Deum ſummum, ſive unicum, quis tam demens, tam mente captus neget eſſe certiſſimum? hujus nos virtutes per Mundanum opus diffuſas multis vocabulis invocamus.* Eadem dixerat Seneca pluribus locis.

§. 10. Veniunt ad alteram Deorum claſſem. Plantas nempe. Eas cultas eſſe non tanquam Deos, ſed tanquam humano generi utiles, & divinas potius, quam Deos habitas, contendunt. Veteres enim utilia omnia, & quæ in genere ſuo eſſent excellentiſſima, divina vocabant, quod præſentibus quoque nationibus in more eſt. Idem dicunt de animantibus brutis, quæ tertia eſt deorum claſſis. Præterea, addunt; quædam Plantæ atque animantes Diis quibuſ-

dam

dam ſacratæ, velut res ſacræ colebantur, quæ poſteriores veteris hiſtoriæ imperiti velut numina traduxerunt. Pleraque etiam animantia, plurimæque plantæ erant arcanarum rerum Symbola. Plutarchus in lib. de Iſide & Oſiride audacter adfirmat: *in Sacris Ægyptiorum nihil inſtitutum eſſe a ratione alienum, nihil fabuloſum, nihil a ſuperſtitione profectum, ut nonnulli cenſent; ſed alia habere morales utileſque cauſas, alia vero expertia non eſſe ſignificationis cujuſdam aut hiſtoricæ, aut naturalis. Id declarant Ægyptii Sphyngas ante Templa collocantes, ut oſtendant eorum Theologiam ænigmaticam eſſe.*

§. 11. Tres Deorum recenſitæ claſſes adpellantur Deorum naturalium, & animalium. Superſunt nunc Dii rationales, Homines nempe, & Dæmones. Quod ſpectat ad homines, quæ eſt quarta Deorum claſſis, aperte dicunt veteres Gentiles, eos inter Deos relatos virtutum merito, quemadmodum Sancti apud nos, quos & novendialibus Sacris, & omni pompa colimus, Divoſque & ipſi adpellamus. Legi poteſt Cicero de Legibus in 3. Sed tantum abeſt, ut hos Divos ſummo Jovi æquiparaverint, ut potius aperte docuerint, eos omnes Jovis numen revereri, & timere, quod ex Homero colligas facillime. Reſtant Dæmones. Hi referuntur ad duas claſſes, bonos ſcilicet, & malos. Utroſque in rerum gubernatione, potiſſimum humanarum, & ut homines regantur, & ut exerceantur a Deo adhiberi, Scripturæ quoque noſtræ docent, & Beatus Thomas aperte ponit. Legem ipſam, & omnem Reipublicæ Hebraicæ œconomiam Deum per Angelos gubernaſſe aperte dicit Paulus ad Galatas III. verſu 15. & Stephanus Actorum VII. verſu 38. Auguſtinus ex inſtituto hanc ſententiam libro III. de Trinitate cap. XI. demonſtrat. *Illa omnia*, inquit, *quæ Patribus viſa ſunt, quum Deus illis ſecundum ſuam diſpenſationem temporibus congruis præſentaret, per Creaturam facta eſſe manifeſtum eſt ..... Sed ait aliquis, cur ergo ſcriptum eſt, Dominus dixit ad Moſem? quia quum verba judicis præco pronunciat, non ſcribitur in geſtis, ille præco dixit, ſed ille judex*. Hæc ipſa credidere Gentiles. *Sunt quædam Divinæ mediæ poteſtates* (inquit Apulejus in libro de Deo Socratis) *inter ſummum æthera & infimas Terras, in iſto interſita aeris ſpatio, per quas & deſideria noſtra & merita ad Deos commeant*. Idem docuerunt Plato & Platonici omnes, aliique Philoſophi, quemadmodum

modum Petavius, Cudworthus, & Petrus Daniel Huetius obſervant (*a*).

§. 12. Huic tam longæ orationi paucis reſponſum ſit. Nempe non negamus origines Idololatriæ acute & docte ab his explicari. Sed tantum abeſt ut ſubtiles haſce interpretationes vetus popellus intellexerit unquam, ut potius Atheos eos habuerit, qui hæc prædicabant. Tum poſteriora multo ſunt hæc Philoſophorum interpretamenta, ut Epicureus ille apud Ciceronem in I. de Natura Deorum peracute dicat, ſtatui ea non poſſe, niſi ſimul ſtatuatur, veteres homines Homeri & Heſiodi tempore Stoicos fuiſſe & Platonicos. Præterea negari non poteſt & plures homines ſceleſtos atque ſanguinarios inter Deos relatos, & multa indigna de ipſo ſummo Jove conficta, quum ſint ea manifeſta, adgnoſcantque Plato, Tullius, Seneca, Lucianus. Tandem perſpicuum quoque eſt adoratos Dæmones malos ne nocerent, quod Beatus Auguſtinus in libris de Civitate Dei, & Grotius de veritate religionis Chriſtianæ lib. IV. cap. 3. pluribus probant. Non ſolum igitur theoretica, verum etiam & practica Gentilium Theologia fœdiſſima fuit ſuperſtitio. Itaque Varro Latinorum doctiſſimus ne ipſam quidem Romanam Theologiam probabat, in qua ille natus, & educatus erat. *Non ego* (inquit apud Auguſtinum de Civitate lib. IV. cap. 31.) *Illa judicio meo ſequor, quæ Civitas Romana inſtituit: nam ſi eam Civitatem novam conſtituerem, ex naturæ potius formula Deos, normamque Deorum eſſem dedicaturus*. Poſtremo, hoc, totam rerum naturam in Deos convertiſſe, Aſtra, Aerem, Mare, Plantas, Montes, Flumina, Bruta denique, & Homines, non longe a Pantheiſmo differt; aut ſi progrediatur, eo tandem tendit, nihil omnino eſſe divinitatis præter univerſum. In Religione igitur Gentili nulla fuit veritas; itaque cum deflexiſſent a naturæ ordine, exciderunt a virgula, quæ ad felicitatem ducit; in ea igitur ſalus nullo modo eſſe potuit. Quumque præſentes Gentiles veteribus illis ſimillimi ſint (*b*), ſunt & hi, ut illi, extra veram Religionem. Neque nobis opponant, eam Religionem miraculis & Prophetiis confirmatam fuiſſe; nam ea qualia ſint inferius dicetur,

§. 13.

(a) *Vide & Plutarch. de ſilent. orac.*

(b) *Vide Laſitau ſuperius memoratum, & Sinas Duhalti*.

§. 13. Dicamus jam pauca de Muhammedana ſuperſtitione. Habet Muhammedana religio auctorem Mahummed. Is natus eſt Meccæ ex conſpicua inter ſuos familia circa finem ſæculi ſexti epochæ Chriſtianæ. Pater ejus Abddallah filius Abdalmitalid qui inter Arabiæ Reges refertur, de tribu Koreiſchitarum, qui Meccæ imperitabant. Natus eſt poſthumus duobus a patris morte menſibus. Quum autem eſſet ei res familiaris admodum tenuis, adoleſcens factus mercaturam exercuit, & *Caravanarum* caput egit, unde nata inter noſtros fabella, fuiſſe eum Camelorum paſtorem. Ea ex occaſione Cadigæ locupletis viduæ conjux evaſit. Ab adoleſcentia magnos animos, & dominandi effrænem cupiditatem præ ſe tulit. Sed cum diſſimulandi artifex a natura videretur factus, caute omnia agebat. Cum tandem ad maturam fraudibus ætatem perveniſſet, longo cum Judæis, Gentilibus, & Chriſtianis commercio edoctus, aptus evaſit, qui novam religionem comminiſceretur, ut fruſtra tentatum ambitu ac largitione Imperium, ſuperſtitionis via adquireret. Magnam ergo ſanctitatem ſimulare occœpit, & cum Angelo Gabriele congreſſum; & quia morbo comitiali laborabat, perſuaſit id primum uxori, quippe fœminæ, mox ceteris amicis & clientibus, ſeu id ſtupiditate gentis crederent, ſeu, quod ſua intereſſe putabant, credere ſimularent.

§. 14. Interim religionis novitas, & vetus ſuſpicio, adfectari ea via regnum, ita populares ſuos offenderunt, ut impoſtor de vita periclitaretur. Ergo anno Chriſti 622. die 16. Julii fugam arripuit, quam Hegiram Arabes vocant; quæque celeberrima eſt Mahummedanorum epocha. Quum conceſſiſſet Medinam, ſceleſtorum manu collecta, ſpecie propagandæ religionis finitimis bellum intulit, & incredibili celeritate, quaſi belli fulmen, Arabias ferme omnes pervaſit, atque occupavit. Nec multo poſt ſeu occulto veneno, ſeu morbo lentiori laborare cœpit. Poſt ejus mortem inter præcipuos gregales ſuos Regni & ſuperſtitionis cura diviſa. Tanto autem cum ſucceſſu ea ſecta pervagata eſt, maxime poſtquam Turcæ e Tartaria oriundi immenſo propemodum numero ei nomen dedere, ut ab ultimis Sinarum oris ad Hiſpaniæ, & orbis tum cogniti fines, cuncta nationum gentiumque in Mahummedanorum ritus, mores, linguam, corrumperentur. Atque niſi inſuperabilis Caroli Martelli virtus obſtitiſſet, ruptæ impetu Galliæ,

totuſque Occidens occupatus fuſſet, cum jam immenſis copiis in Pyrenæos effuſi uſque ad Ligerim, & Turonum urbem cuncta Francorum invaſiſſent. De vita Muhammedis legatur Humphridus Prideaux: de Religione Mahummedanorum Relandus (*a*).

§. 15. Mahummedanorum religio, leges, inſtituta, dogmata libro continentur, quem Alkoran Turcæ vocant. Ejus libri ſtamina prima, prout ſors offerebat, aut res poſcebant, Mahuummedes ipſe ſcripſit, adjutoribus, ut eſt fama, docto quodam Perſa, & transfuga Monacho. Sed & multa traditione veterum, atque doctorum ſuorum interpretatione tenent Mahummedani, Elmacinus in initio hiſtoriæ Saracenicæ circa duodecim recenſet capita, quæ Mahummed in exordio prædicationis ſuæ potiſſimum ſpectavit. Nempe, quod credere homines juſſit in ſolum Deum: eum colere & adorare: quod deſtruxit cultum Idolorum: præcepit circumciſionem: inſtituit jejunium menſis *Ramadam*: quinque orationes: peregrinationes ad templum Meccanum: prohibuit eſum ſanguinis, morticinii, & carnis porcinæ: voluit credi Prophetis, & Apoſtolis: Chriſtum Filium Mariæ Prophetam fuiſſe, ſe vero majorem illo: Legem & Evangelium a Deo eſſe tradita. Quæ demonſtrant Mahummedanam religionem novam eſſe interpolationem Hebraicæ & Chriſtianæ. Gaſpar Calvorius *de variis orbis Religionibus* lib. 18. cap. 7. §. 11. in quinquaginta capita Mahummedanam religionem confert.

Revelationem eſſe neceſſariam.

II. Deum proinde myſteria ſua Prophetis, ac in primis Moſi & Chriſto manifeſtaſſe.

III. Legem Moſi, Pſalterium Davidi, Jeſu Evangelium a Deo datum.

IV. Hinc & illos, qui Moſi & Jeſu crediderint tunc temporis, ſalvari potuiſſe.

V. Moſis autem Legem, Davidis Pſalterium, Jeſu Evangelium hominibus fuiſſe nimis difficile, ac importabile onus.

VI. Judæos porro, aut Chriſtianos Scripturas corrupiſſe.

VII. Mahummedem igitur miſſum, qui Scripturas reſtitueret, novamque legem ferret.

VIII. Ipſum Deum propterea Mahummedi revelaſſe, quid docere deberet.

IX.

(a) *Vide & Gagnier in vita Machomedis.*

IX. Conſignatas eſſe revelationes iſtas divinas in Alkorano.

X. Secundum has divinas Alkorani revelationes unum tantum eſſe Deum.

XI. Non dari proinde Trinitatem in Divinis.

XII. Nec Jeſum filium Mariæ eſſe verum Deum, ſed eſſe Dei Apoſtolum, Verbum Dei, & Spiritum de Deo.

XIII. Deum porro eſſe corporeum ac finitum (*a*).

XIV. Creatum autem eſſe mundum a Deo ſine Filio & ſine Spiritu Sancto.

XV. Et quidem Diabolum factum eſſe ex igne peſtilente.

XVI. In formatione autem hominis Deum ex luto collegiſſe pulverem multicolorem, indeque quædam hominis individua ex albedine, quædam ex nigredine; quædam ex colore medio formaſſe, unde orti ſint varii variarum gentium colores. Quædam etiam de malitia, quædam de bonitate participaſſe.

XVII. Animam hominis eſſe portionem divinæ ſubſtantiæ.

XVIII. Angelos non eſſe Spiritus ſed Corpora.

XIX. Hinc & generare poſſe.

XX. Et lapſui eſſe obnoxios.

XXI. Attamen pœnitentiam agere, ac ſalutem denuo adipiſci eos poſſe.

XXII. Fatali neceſſitate omnia a Deo regi.

XXIII. Vitæ proinde terminum adeo fatalem eſſe conſtitutum, ut nec anteverti poſſit, nec prolongari.

XXIV. Hominem porro neceſſario vel bene vel male agere.

XXV. Adeoque neceſſario vel ſalvari, vel damnari.

XXVI. Hominem conſtitutum eſſe a Deo Chalifam ſive Vicarium Dei in terris.

XXVII. Hominem obligatum eſſe ad legem Hebraicam ſervandam.

XXVIII. Hinc & circumcidendos eſſe maſculos.

XXIX. Offerenda etiam Sacrificia.

XXX. Nec non ſervanda tempora ſacra.

XXXI. Eaque tam privata quam publica.

XXXII. Uti ſunt quotidianæ preces.

XXXIII. Et Sacra hebdomadaria, præcipue in die Veneris.

XXXIV.

(a) *Sed hoc negat Mahummedanis jure tribui Relandus.*

XXXIV. Et Anniverſaria, quorum præcipuum eſt jejunium *Ramadam*.

XXXV. Obſervandos porro eſſe ritus privatos, & primum lotiones.

XXXVI. Et diſcrimen ciborum.

XXXVII. A vino abſtinendum.

XXXVIII. Et ab uſuris. Hinc Sura ſeconda, *qui lucrantur fœnus, non reſurgent, niſi ſicut reſurgit, quem corripuit Satan*.

XXXIX. Juramenta eſſe ſervanda.

XL. Magiſtratum ſummo honore eſſe afficiendum.

XLI. Adeoque quæ Imperator & Lex jubet eſſe facienda.

XLII. Quod ſi trangreſſus ſit homo legem, pœnitentia expiari poſſe.

XLIII. Hominem qui ita vitam inſtituat ſalvari.

XLIV. Antequam vero homo ad vitam alteram perveniat interfici ab Angelo mortis.

XLVI. Purgari quoque hominem priusquam Cælum ingrediatur a peccatorum ſcoriis & reliquiis.

XLVII. Juvandas igitur eſſe animas precibus atque ſatisfactionibus.

XLVIII. Futuram quoque reſurrectionem mortuorum & extremum judicium.

XLIX. Et quidem incredulos & impios ad Infernum detruſum iri.

L. Fideles contra & pios Paradiſum ingreſſuros. Hæc eſt analyſis doctrinæ Mahummedanæ, cujus ſingula capita ex Alkorano, & doctoribus Mahummedanis confirmat laudatus Calvorius. Conſuli poteſt & Catechiſmus Mahummedanorum, quem Relandus exhibuit.

Coroll. II. Religio Mahummedana eſt falſa. Nam Religio ea nec naturæ Dei eſt per omnia conſentiens, quem veluti corpus exhibet concipiendum: nec hominis naturæ perficiendæ apta, cui non animi, ſed corporis bona traduntur ſperanda.

Schol. Sed id copioſius oſtendet Chriſtianus Theologus. Videlicet in Alkorano Religio Chriſtiana vera eſſe ſtatuitur: quod autem veritati opponitur falſum eſt; Mahummedana igitur Religio in iis quæ docet Chriſtianæ contraria falſa eſt. Eſſe autem plurima in Mahummedana ſuperſtitione Chriſtianæ religioni contraria mox oſtendemus, quum majorem propoſitionem demonſtraverimus. Religio Chriſtiana

ea eſt, quæ in libris Prophetarum, & Apoſtolorum continetur: Prophetæ autem, Chriſtus, & Apoſtoli quum fuerint a Deo miſſi, ut Mahummedes ipſe docet, eorum doctrina vera ſit oportet. Enim vero, Moſem aliosque Prophetas a Deo miſſos adgnoſcit Mahummed, Sura v. & xxi. Item Jeſum Chriſtum, Sura v. & xii.. Viros Sanctos fuiſſe, qui primi Jeſu diſciplinam propagaverunt, Sura v. & 71. Jeſum fuiſſe Meſſiam illum in Lege & Prophetis promiſſum, Sura 29. Vocat etiam Jeſum Dei Verbum Sura 5. & 11. & Mentem Dei, Sura 4. 11. 29., & Sapientiam, ibidem. Præterea Sura 31. ſcribit, Jeſum nullum ex hominibus Patrem habuiſſe. Sura 5. & 13. adgnoſcit, Jeſum viſum cæcis, claudis greſſum, vitam mortuis reſtituiſſe, & Sura 11. in Cælum evectum eſſe. Ex Mahummedis igitur ſententia divina eſt & vera Chriſtianæ Religionis doctrina. Nec reſpondeant Mahummedani non amplius extare veteres Hebræorum & Chriſtianorum libros, ſed hos, quos habemus, interpolatos eſſe & depravatos, adeoque præſentem Chriſtianorum doctrinam longe eſſe diverſam a doctrina Prophetarum & Apoſtolorum: eſt enim hæc exceptio puerilis & inepta, nec locum ullum habere poteſt niſi apud gentem barbaram, imperitam, & vetuſtatis incurioſam, quales ſunt Mahummedani. Vide quæ ſuper ea re inferius dicta ſunt.

§. 16. Veniamus ad argumenti aſſumptionem, atque demonſtremus plurima eſſe in Alkorano Chriſtianæ Religioni contraria. Principio Deum facit Mahummed corporeum & finitum, quod manifeſte ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum adverſatur. Præterea negat Trinitatem, & Meſſiæ Divinitatem, quæ in libris Apoſtolorum prædicantur aperte. Deinde Deum fato ſubjicit, quod omnem Dei naturam ſubvertit. Jam vero Jeſum non fuiſſe mortuum, ſed clam ſubductum in Cælum, cruci autem affixum quoddam ejus ſimulacrum, ſcribit Sura 9. quod Evangelio contrarium eſt. Accedit quod magnam religionis partem in cæremonialibus ponat Hebraicis, quæ ſunt ab Apoſtolis rejecta. Polygamiam ſimultaneam probat, quæ exemplo ipſius Mahummedis, qui xv. circiter uxores ſimul habuit, hodie defenditur, quam rem Chriſtus diſerte improbat. Non adgnoſcunt fidem in mediatorem neceſſariam eſſe ad ſalutem, quæ in toto novo Teſtamento prædicatur. Tandem Alkorani præceptum eſt, religionem fer-

ro & igne propagandam, quod toti doctrinæ Jeſu Chriſti adverſatur. Et vidit hæc Mahummedes, atque, impoſturæ conſcius, moriens dixiſſe fertur: *tamdiu legem ſuam duraturam, quamdiu victoriam ſuorum*, quod retulit Ludovicus Vives de verit. Religionis lib. 4., confirmatque Scultetus in Eccleſia Mahummedana pag. 22..

§. 17. Tandem quum Mahummedes nullis argumentis miſſionem ſuam probaverit, non miraculis, non Prophetiis, non vitæ integritate & ſanctitate; ſequitur merum fuiſſe impoſtorem. Profecto quis ſibi perſuaſerit, virum raptorem, iracundum, fraudulentum, mulieroſum, Dei fuiſſe Prophetam ad religionem reformandam miſſum? Sed extant, inquiunt, Mahummedis miracula. Quæ nempe? De Camelo nocte ei locuto, de ſubvectione in Cælum, de ſciſſione Lunæ, eique reddita integritate; quæ omnia præterquam ludicras fabulas eſſe ipſa per ſe manifeſtant, nullis teſtibus probari poſſunt. Bene autem habet, quod ipſe Mahummed in Alkorano paſſim dicat ſe non fuiſſe miſſum ut miracula faceret, ſed ut vi armorum Religionem propagaret; quare nulla fingi poteſt abſurdior & Dei providentia indignior: religio enim in animi obſequio poſita eſt, quod obſequium cum ex intellectus perſuaſione naſcatur, non externa vi, ſed ſanæ doctrinæ prædicatione, miraculis, aliiſque veritatis argumentis obtineri poteſt. Itaque Chriſtus & Apoſtoli etiamſi divina virtute potentiſſimi eſſent, nunquam tamen vim in religione perſuadenda adhibendam eſſe cenſuerunt, memores, vi, ſine intellectus emendatione, ac ſine vera doctrina, non pios fieri, ſed hypocritas.

Corollarium III. Atheiſmus eſt hominis adverſus ſupremum mundi imperantem perduellio, iſque pugnat & cum natura rerum, & cum hominis ipſius natura. Nam Deus, mundi artifex & providentiſſimus gubernator (prop. 12.), exſiſtit (prop. 1.): nolle ergo eum agnoſcere eſt ſupremi Imperantis detrectare velle imperium, perduellio ſcilicet; quod erat primum.

Jam natura rerum & Deum eſſe oſtendit, & omnia ejus imperio parere. Quum autem hujus rerum univerſitatis pars ſit homo, oportet ut ordinem totius ſectetur. At Atheus ab eo deſciſcit; itaque cum natura rerum pugnat Atheiſmus.

Tum Religio eſt homini neceſſaria & utilis (prop. ſupp.); quum

quum ergo Atheiſmus religionem reſpuat, fit ut cum ipſa hominis natura pugnet.

Sed & pugnat cum gratitudine: nam ex omnibus telluris hujus rebus nulla eſt, quæ ſublimius locata ſit, quæque majora a Deo beneficia acceperit. Quum igitur ingratum eſt gratiam nolle referre, tum ingratiſſimum ne agnoſcere quidem velle. Siquidem, ut præclare diſputat Seneca, major ingratitudo eſt obliviſci beneficiorum, quam negare gratiam.

Corollarium IV. Atheorum Reſp. eſt perduellium Civitas ſine ullo vero civitatis vinculo, in qua nec juſtitia eſſe poſſit, nec humanitas. Nam quum animi humani ſint & utilitatis ſuæ nimium cupidi, & non juſti meritorum ſuorum æſtimatores, & ſuperbi, ideſt non modo ſuperioris, ſed ne paris quidem patientes, & facile irritabiles, & irritati omnium animantium truculentiſſimi, & ſubdoli, & ſtruendarum inſidiarum ſummi ſupra cetera animantia artifices; ii niſi interno vinculo cohibeantur, & colligentur, præſto ſunt turbare omnia, & a mutua ſocietate deſciſcere. Intellexere id, ut iterum dicam, Legislatores omnes, qui legum ſuarum nullum firmius fundamentum exiſtimaverunt eſſe poſſe, præterquam religionem: ſublata ergo religione, qua animi hujuſmodi intimius concutiuntur, & ſic afficiuntur, ut conjungi apti ſint, nullum eſſe aliud poteſt Civitatis nec fundamentum, nec vinculum.

Jam leges civiles ſunt velut ramuſculi, & propagines ejus legis, quæ cum animis humanis nata eſt, quæque ipſiſſima eſt naturalis religio; quam ubi deleveris, nullam illæ, niſi precariam vim habere poſſunt: ſublata igitur religione ne juſtitia quidem ulla inter homines eſſe poteſt. Poſtremo nulla eſſe inter homines humanitas poteſt, niſi animi humani cupiditatem illam utilitatis ſuæ effrænem, ac ſuperbiam moderentur, & parati ſint de ſuo eſſe benefici. Id fit dum reputant & omnes natura eſſe æquales, & ab eodem patre prognatos, ac fratres propterea eſſe: eſſe vero in hac tellure tanquam in hoſpitio, ut ſummam ſui felicitatem heic adipiſci nequeunt. Totum autem hoc niſi religio efficiat, quæ in ſuccum, & ſanguinem convertatur, nulla certe alia res poteſt. Nam extrinſecæ pœnæ timorem ingenerare poſſunt, eumque dum ne natura magnis affectibus agitetur: ſed amorem & humanitatem impertiri nequeunt.

Corollarium V. Politichiſmus, &, ut dicitur, Macchiavelliſmus & cum natura pugnat, & nullam habet in hiſtoria ipſa humana fundamentum. Primum: religio a natura ipſa imperatur, tamque eſt nobis naturalis, quam conſcientia noſtræ imbecillitatis, & derivationis a prima mundi cauſa; non igitur commentum eſt Politicorum ad homines in obſequio legum continendos. Alterum: vetuſtiſſimi Legiſlatores recepta inter ſuos religione uſi ſunt ad leges firmandas, ut tota vetus hiſtoria demonſtrat; religio ergo antiquior eſt legiſlatione. Confirmat id, quod nationes ſine imperio civili, ac ſine legibus civilibus deteximus plures in utraque continente: ſine ulla religione nullas, aut vix nomine nationis dignas. Religio ergo non eſt Legiſlatorum commentum.

Corollarium VI. Hypocriſiſmus & graviſſima eſt in Deum injuria, ac velut ſupremi illius imperii deriſio; & ſocietati perniciosiſſimus. Primum: Hypocrita religionem ſimulat, non habet: ergo animo perduellis eſt; eoque Deum, ejuſque imperium ſuſque deque habet. Quum vero habere ſimulet, quod in animo non habet, is Deum deridet, eique quaſi inſultat; quod graviſſimam eſſe injuriam ecquis ambiget?

Alterum. Religio ſimulari nequit, niſi utilitatis, aut voluptatis cauſa: hypocrita igitur religionem velut inſtrumentum ſuæ utilitatis & voluptatis habet. Quum autem hoc inſtrumentum ſit omnium potentiſſimum ad animos humanos commovendos, quippe ſumus omnes natura, ut originis noſtræ conſcii, ita religionis reverentiſſimi, fit, ut hypocrita omnium potentiſſimo inſtrumento abutatur ad ſuas cupiditates & voluptates explendas. Quod quam labem in ſocietate efficere queat, nemo eſt, qui ipſe per ſe non videat.

Corollarium VII. Superſtitio & Deo injuria eſt, & hominibus late noxia. Nam ſuperſtitio eſt religio falſa (def. 6.): falſus autem cultus nec naturæ Dei conſentaneus eſt; nec hominis. Itaque quod a Dei natura diſſidet, Deo eſt injurius; & quod cum hominis natura non convenit, duplici ex cauſa eſt noxia: nam & præſentem vitam turbat, ac mille modis ægram & miſeram efficit, id quod tota humana hiſtoria docet; & ab altera longe revocat.

CA-

CAPUT VI.

De Religione naturali; quodque ea curando atque gubernando homini minus ſit ſufficiens.

Pietas, ut inquit Lactantius, duabus partibus continetur, *ſapientia*, & *religione*: nam Deum & cognoſcere debemus, quod eſt ſapientiæ, & colere, quod eſt religionis. Prima via & ratio, eaque omnium temporum & locorum, qua Deum homines cognoſcere poſſunt, eſt rerum natura, ſeu tota, ſeu ſingulæ ejus partes. Nam quum tota natura, & ſingulæ ejus partes a Deo ſint procreatæ, & ab eodem gubernentur; ipſæ per ſe artificem ſuum produnt ac teſtificantur. Quæ res non hominum tantum omnium conſenſione, ſed divinorum quoque librorum auctoritate conſtat. Nam & gentes omnes in eo naturæ libro divina didicerunt: & divini vates aperte docuerunt; *cælos enarrare gloriam Dei* (*a*): & *lumen divini vultus eſſe ſuper nos ſignatum* (*b*): & *ab iis quæ facta ſunt Dei inviſibilia cognoſci*: &, *hanc eſſe Dei ipſius manifeſtationem* (*c*). Thomas Aquinas tota natura, omnibuſque partibus Deum explanaſſe contendit hæc duo, *eſſe nempe*, & *agere*. Ac principio quum nihil ipſum per ſe ac ſuapte natura ſit, præter Deum primam æternamque omnis *entitatis* cauſam, ſingulæ res, hoc ipſo, quod ſunt, Deum rerum omnium primam cauſam eſſe monſtrant. Tum ſingulæ ſuo quælibet modo agunt; quo oſtendunt & cauſam primam activam eſſe, & omnis eſſe activitatis atque virtutis principium. Itaque vires corporum motrices, vires plaſticæ, Dei potentiam abunde manifeſtant. Et vires ſentiendi, intelligendique, tum volendi, eligendi, Deum viventem naturam eſſe, & intelligentem, & liberam ſignificant. Quo pertinet illud Prophetæ, *nunquid, qui finxit oculum, non videt?*

Quæ quum ſint, hæc Dei cognitio, ac cultus huic cognitioni conſentaneus, *Religio naturalis* vulgo dicitur, quod videlicet utraque ejus pars, theorica nempe, & practica, e natura ipſa manet, atque in nobis informetur. Nunc

(a) *Pſalm.* 18.
(b) *Pſalm.* 4.
(c) *Ad Rom. cap.* 1.

illud diſputandum eſt, principio *vera ne ea ſit?* tum *ſufficiat ne homini ad veram felicitatem ducendo?* Veram eſſe Athei tantum pernegant, qui commentum eſſe humanum affirmare audent. Eſſe ſufficientem ſibi ii perſuaſere, qui *Deiſtæ*, & *Naturaliſtæ* appellari ſolent. Utramque nos heic cauſam dicemus, paucis tamen & more noſtro: nam brevitatem ſequi Elementorum natura jubet. Ac primam quidem quæſtionem leviter attingemus, velut quæ ex ſuperiori diſputatione pene tota ſit expedita: in altera paullo erimus longiores.

Prop. XXXV. Religio naturalis vera eſt, & ſancta.

D. Religio naturalis quum quod ad theoreticam partem, tum quod ad practicam, nihil docet, niſi quod recta ratio ab ipſa rerum natura informata omnibus hominibus præſcribit. In theoretica enim parte hæc continentur præcipua: I. exſiſtere mentem quamdam æternam: II. & incorpoream, atque immutabilem: III. & omniſciam, atque ſapientiſſimam: IV. potentiſſimam, univerſi hujus creatricem, & conſervatricem: V. optimam, & beneficam: VI. providam, & remuneratricem, ideſt bona bonis, mala malis repræſentantem: VII. animam eſſe immortalem, adeoque ſupereſſe alteram vitam, in qua poſſit eſſe beata, vel miſera: VIII. eſſe in natura legem vitæ moralis directricem divinitus promulgatam, cujus præcipuum caput ſit, *ut jus cuique ſuum, ſive innatum, ſive legitime quæſitum, tribuamus*. In practica vero parte ſequentia continentur: hanc mentem ut optimam amandam, & quidem puro, & ſincero amore: ut dominam timendam: ut patrem venerandam: ut gubernatricem invocandam, atque ab ea veram beatitudinem ſperandam: ejus legibus obtemperandum, atque idcirco omnes homines ſpectandos ut fratres, adeoque amandos: nullam illis propterea moleſtiam inferendam, nullam injuriam: omni potius officio colendos. Hæc vero, & plurima alia, quæ ex his conſequuntur, non ſolum ſuapte natura evidentia ſunt, ſed omnium gentium conſenſione firmata. Tum ſancta ſunt, hominum naturæ perficiendæ accommodata, ſocietatem inter ſe hominum efficientia & foventia, beatitudinem tandem noſtram continentia; ergo religio naturalis, quæ hæc docet, vera eſt, & ſancta.

Scholion. Hæc quæſtio, vera ne ſit, & ſancta ea religio, quam rerum natura omnes homines docet, bipartiri poteſt. Ac principio in quæſtionem adduci poteſt, *ſit ne*

reli-

religio iſthæc humano generi utilis? Super qua re conſulenda ſunt quæ ſuperius ediſſeruimus. Tam enim eſſe ea perſpicua exiſtimo, ut ii mihi extra ſenſum communem vagari videantur, qui civitatem ſine omni in Deum pietate præclare ſe habere poſſe dicunt. Quod ſi poſſet, ecquid cauſæ fuiſſe dicemus, cur nullibi gentium tam beata civitas conſtitueretur? Nam viatores noſtri effecere, ut ne de eo, quod cogitate Plutarchus ſcripſit, dubitaremus, *facilius eſſe gentem ſine ſole reperiri, quam ſine Deo, & religione*. Altera quæſtio eſt, *vera ne ſit hæc religio?* Id eo redit, *ſit ne ulla intelligens hujus rerum univerſitatis cauſa, an ſtulte id populi omnes ſibi perſuaſere?* In qua qui dubitant, incredibilis ii ſunt audaciæ; quandoquidem non modo cum toto hominum genere pugnare audent, quod eſt arrogantiſſimum; ſed cum tota Philoſophia, ac naturæ ratione, quod eſt hominis amentis & vecordis. Conſtat ergo, religionem, quam naturalem dicimus, veram eſſe, utilem, atque ſanctam.

Prop. XXXVI. Religio naturalis præſenti hominum naturæ curandæ, atque ad finem ſuum regendæ ſatis non eſt.

D. I. Primum: Religio naturalis accurato, acri, & recto uſu rationis diſcitur: non autem omnes homines hanc accuratam inquiſitionem inſtituere poſſunt; aut quia non omnes ea ſunt mentis perſpicacitate præditi, quæ neceſſaria eſt; aut quod ob vitæ neceſſitates non omnes huic ſtudio vacare poſſunt: itaque neceſſarium eſt, ut religio ad modum legis, non Philoſophiæ ſolum, omnibus promulgetur, quandoquidem religio omnium omnino eſt; non igitur ſufficit naturalis, quæ ope rationis diſcitur (*a*).

II. Ratio naturalis ſine revelationis ſubſidio in hominibus jam late corruptis, omnique modo depravatis, quales omnes ſunt nationes notæ, longe aberrare poteſt a vero: id exemplo omnium ferme Philoſophorum Ethnicorum comprobare poſſumus. Quum enim ſolam naturæ rationem ſectarentur ut religionis ducem, in quantam aut impietatem, aut ſuperſtitionem iverunt? Legatur Lactantius (*b*). Ratio ergo naturalis ad homines in religione vera continendos minime eſt ſufficiens. Utrumque hoc argumentum accurate perſecutus eſt Foſterus (*c*).

H 4 III. Non

(a) *Vide ut præclare hoc argumentum pertractat Origenes in* 1. *contra Celſum*; & *S. Thom.* 1. *p. q.* 1. (b) *Lib.* III. (c) *In opere de verit. Relig. adverſus* Tindal.

III. Nemo hominum eſt, qui non agnoſcat, naturam ſuam eſſe corruptam, in primis in eo, quod perpetuo contra rationem affectibus agitemur, quodque videamus bona probemuſque, mala ſequamur. Hinc facile conficere poteſt, genus humanum aliquo ſui crimine eo corruptionis evaſiſſe, tamque in eo alte deſcendiſſe. Ex quo illud etiam conficiet, indigere nos aliquo medio potentiſſimo, ut naturæ integritatem recuperemus. Quum autem illud nec ſola ratione noſtra excogitare poſſimus, nec viribus præſtare, id quod tot irriti Legislatorum, Myſtarum, & Philoſophorum conatus oſtendunt; a Deo utrumque, atque præter naturam, excipere debemus. Religio ergo naturalis ut ſit perfecta revelatione & gratia Dei indiget:

IV. Natura Dei incomprehenſibilis eſt finitæ rationi: ergo ſola naturæ ratione nec adæquate intelligere poſſumus, quæ Deo debemus, nec inter tot poſſibiles extrinſecos Deum colendi modos (nam & hi in ſocietate ſunt neceſſarii) quinam ſit divinæ naturæ accommodatior, eique gratior: quum autem religio debeat eſſe per omnia Dei naturæ conſentanea (prop. 31.), id ſola naturæ ratio præſtare nequit; itaque ad hæc omnino eſt neceſſaria divina revelatio. Theologica ſunt bina hæc argumenta, magnificeque ab Auguſtino pertractata.

Schol. Vetus eſt hæc inter ipſos chriſtianos Philoſophos quæſtio, an ſola lex, & religio naturalis ſufficiat homini ad æternam beatitudinem perducendo. Prolixam ſuper ea re diſſertationem edidit vir eruditiſſimus Diegho Payva. Fuere quidam veteres Theologi, qui exiſtimaverunt, eas gentes, quæ aut ante natum Chriſtum vixerunt, aut poſt natum, ſed inſciæ Evangelii, modo plene legem naturæ, & naturalem religionem ſervaſſent, ſalvari potuiſſe, quia ſcilicet vixiſſent ex ratione recta, quæ Dei λόγος eſt & ſapientia (*a*). Idem deinceps placuit quibuſdam doctis, in primis Toſtato (*b*). Alii opinati ſunt, veteres Sinenſes, qui ex recta ratione vitam duxerunt, naturalemque legem & religionem ſtrenue coluerunt, beatos eſſe potuiſſe. Sed hæc ignoſci poſſunt Philoſophis ex ſola ratione diſſerentibus: Theologus vero Chriſtianus qui affirmate

(a) *Vide Juſt. Mart. Apol.* 11. *Clem. Alex. l.* I. *& VI. Strom. Chryſoſt. hom.* 37. *in Matth. & Calmet in Diſſ. in ep. ad Rom.*
(b) *Toſt. in Gen. XVII.*

-mate docere poſſit non intelligo. Nam quantumvis hominis vitam ad rationem naturæ exactam ſupponamus, nec naturæ lex, nec vires hominum a peccato originali, illudque ſequuta depravatione liberare poſſunt. Hoc eſt chriſtianæ Theologiæ perpetuum ſyſtema, ſine fide in Chriſtum nemini æternam ſalutem contingere poſſe. Itaque Paulus Apoſtolus cum Hebræis diſceptans, concludit, ne Hebræos quidem per legem Moyſis ſalutem habere potuiſſe, tantum abeſt ut potuerint gentes per ſolam naturæ legem. Ac revera, ſi id fieri potuiſſet, fruſtra Chriſtus veniſſet, quod eſt Paulli ipſius ratiocinium. Hinc Petrus Apoſtolus rotunde pronunciat, *non eſſe in alio quoquam ſalutem, præterquam in Chriſto, nec aliud fundamentum poni poſſe, præterquam quod poſitum eſt*. Quocirca hujuſmodi Theologi ſi ſibi conſentanei eſſe volunt, ſupervacuam revelationem omnem pronunciabunt. Ea ergo opinio quum per ſe ipſa ſit falſa, tum eſt in Chriſtiano Theologo abſurdiſſima.

Jam vero Deiſmus, & Naturaliſmus, qui neſcio diſſerendi ne magis, an perdite vivendi libidine inter nos longe lateque graſſari cœpit, in hoc totus eſt, ut etiam inter Chriſtianos ſolam legem, & religionem naturalem ad ſalutem ſatis eſſe doceat. Primi hujus nefandi erroris & impietatis Auctores Pelagiani fuiſſe videntur, nimium elatis naturæ humanæ viribus: mox Sociniani longe provexere. Apud Anglos Tindal An. 1730. edito libro (*a*), *Chriſtianiſmus tam antiquus, quam creatio*, Deiſtarum ſignum publice erexit. Inde tot impiorum librorum ſeges nata eſt, quæ in dies longe lateque radices jacit, Philoſophorum nempe eorum, qui revelationem oppugnaverunt, atque etiamnum oppugnant, ſola, ut videri volunt, naturali religione contenti. Sed eum temerarium conatum viri plurimi doctiſſimi maſcule repreſſerunt, egregiis pro religione revelata editis libris; inter Anglos, Samuel Clarkus, Forſterus, Dicton, Sickes, Stackhouſe, Warburton, aliique plures: Inter Gallos, Heutius in *Demonſtratione Evangelica*, Abbadia, & Hutvillius. Sed Hutvillii liber in primis egregius, & doctus. Is enim & revelatam religionem ſtrenuiſſime adſerit, & Deiſtarum ſophiſmata evidentiſſime ac diſertiſſime diluit, magna & virili elegantia, & argumentorum vi.

CA-

(a) *Titulus eſt, Chriſtianity as old as the creation, or, e Goſpel a Republication of the Religion of nature.*

CAPUT VII.

De neceſſitate revelationis.

SUperioribus propoſitionibus rationis naturalis imbecillitatem demonſtravimus: in ſequentibus Theorematis religionis revelatæ neceſſitatem, eademque opera naturalis rationis anguſtias & aberrationes copioſius adſtruemus; brevius pro rei dignitate, ſed Elementorum anguſtiis accommodate: tirones enim inſtituimus, non Theologos docemus.

Prop. XXXVII. Revelatio eſt neceſſaria humano generi, ut exacte ex fine ſuo vivere poſſit.

D. Nam ad hoc neceſſaria eſt Religio, ut patet ex ſuperioribus: quum autem Religio naturalis utut vera minime tamen ſufficiens ſit (ex prop. ſuperiori); conficitur doctrinæ a Deo revelatæ hominem indigere.

Scol. Sed diſſeramus hac de re paullo fuſius: poſcunt enim id tempora noſtra, in quibus Deiſmus immane quantum provectus eſt, pervagaturque in dies, ut natura videatur, aut potius, naturæ depravatores cum Deo, veterum gigantum in morem, velle contendere.

§. I. Ex iis, quæ in ſuperioribus demonſtrata ſunt, ſatis ſuperque intelligitur, nec homines ſine communicatione divinæ rationis & ſapientiæ rite vivere poſſe, ideſt recte & conſtanter media ſequi, quibus conſtitutum ſibi a Deo finem conſequantur: nec bonitatem Dei decere, ſine ſuprema hac vitæ humanæ regula eos ſibi committere, & quaſi derelinquere. Hæc autem duo demonſtrant non *neceſſitatem* tantum divinæ Revelationis, ſed ipſius præterea *exſiſtentiam*. Ac neceſſaria quidem eſt, quandoquidem homo, qui infinitam ſapientiam per modum *proprietatis eſſentialis* excipere nequit; non poteſt regi, niſi eadem ſapientia *per modum legis* ei communicata (*a*). Exſiſtere vero, Dei bonitas & ſapientia nullo modo nos addubitare ſinunt: nam quia bonus, & ſapiens, quodcumque naturæ pulchritudini, ordini, & regimini operum ſuorum neceſſarium eſſe intelligit, id ne dubitemus eum efficere: nec enim ei aut voluntas deeſſe poteſt, quia bonus; aut potentia, quia maximus; aut ſapientia, quia intelligentiſſimus. Sed quo clarius res hæc tota expli ce-

(a) *Vide Diſſertat. de origine mali ad calcem hujus tomi.*

plicetur, unaque opera Deiſtarum inſcitia & arrogantia demonſtretur, altius repetenda eſt.

§. II. Qui aut humanam naturam attentius contemplantur, aut purgata mente Dei proprietates perpendunt, poſſunt ii facillime ex utroque, ut arbitror, fonte quum *neceſſitatem*, tum *exſiſtentiam* legis revelatæ cognoſcere. Exordiamur a natura humana. Poſſunt ejus duo ſtatus concipi; *integer*, & *corruptus*. Humanæ naturæ integrum ſtatum ſecundum Ariſtotelem ipſum appello eum, in quo hominis ratio, & quæ dicitur pars ejus ſuperior, Deo penitus ſubjecta eſt, ideſt æternæ legi, appetitus vero & ſenſus rationi rectæ. Nihil enim in hujuſmodi homine diſcors, nihil turbatum eſt. Nam ratio ſupremæ Dei rationi parens, ejuſque vehementi amore ſuſtentata, ab errore immunis eſt: appetitus vero & ſenſus rationi huic ſubjecti nec tumultuant, nec deſciſcunt, nec per devia præcipitem hominem agunt, Nihil hoc homine pulchrius, nihil tranquillius, nihil beatius concipi poteſt. Ac utinam tam facile eſſet eam naturam habere, quam intelligere. Statum vero hominis depravatum eum dico, in quo ratio humana ab appetitu & ſenſu illecta ab incommutabili ratione diſſentit, appetitus & ſenſus a ratione humana ita, ut ejuſmodi homo aut non ſemper recte judicet, aut ſi quandoque bona videt probatque, non ille ſupremo amore ſuffultus, deteriora ſequatur, toto vitæ ordine diſcors, ſecum ipſe perpetuo pugnans, atque perpetuo inquietus. Nihil hoc homine deformius, nihil turbulentius, nihil miſerius. Atque ejuſmodi nunc eſſe homines, teſtibus ego egere credam Deiſtas?

§. III. Hominem in ſtatu integro fuiſſe a Deo creatum qui dubitat, is etiam aut de Dei ſapientia aut bonitate, aut potentia dubitet neceſſe eſt. Nam quum is tantum ſtatus hominis ejus fini aptatus ſit, mirificeque ei conducat, quem finem natura ipſa ſectatur, & ad quem a Deo eſſe factum ſumma bonitas certos nos efficere debet: niſi in eo creatus homo ſit, id factum neceſſe eſt, aut quia neſcivit Deus, aut quia noluit, aut quia non potuit. Ac neſciviſſe Deum, ideſt non ante operum ſuorum fines, mediaque finibus iis aptata mente comprehendiſſe, quam procrearet, nemo dicet, niſi qui aut omnem divinam naturam ſublatam vult, aut ejus nondum infinitam intelligentiam ſibi perſuaſit. Jam & voluit, quia ſapiens, quia bonus. Scilicet quod ſapientiæ ſuæ regulis, quod bo-

nitati & ſanctitati ſuæ conſentaneum eſt, id Deus velit oportet, citiuſque id, quod conſtituerat, non efficit, quam ut regulis ſuæ ſapientiæ & ſanctitatis quidquam efficiat contrarium. Illud libertatis erat, nihil omnino rerum creare: hoc *hypotheticæ neceſſitatis*, nihil creare, niſi ex regulis æternæ ſuæ intelligentiæ & bonitatis. Tandem quum quæcumque exſiſtunt & ea ſint, quæ Deus ab ipſa æternitate intelligens *intelligibiliter creavit*, quæque ſuo tempore ut eſſent voluit: & is poſſit abſolute quidem quantum intelligit, ordinate vero quantum vult; dubitari non poteſt, quin & potuerit. Quoniam ergo intelligebat Deus ſtatum hominis integrum ſapientiæ & bonitati ſuæ eſſe conſentaneum, & quia talis volebat, & poterat; feciſſe conſequitur. Itaque in hoc capite rationi ipſi naturæ divina Scriptura conſentit, idque aperte omnes docet, quod ratio quoque ipſa, ſi in eam rem attente incumbat, intelligere poteſt, quum ex hominis, ut dixi, natura, tum ex natura & proprietatibus Dei. Nec quod ejuſmodi veritates animi indagine indigeant, ut comprehendantur, minus ſunt illæ veræ: niſi ea tantum inter rata & vera ponere velimus, quæ primo intuitu intelligimus, quod qui docet, næ is ſolemniter inſanit.

§. IV. Quid quod ejus ſtatus veſtigia quædam in ipſis quoque antiquis nationum traditionibus reperire eſt? Quod quum viri plures eruditi demonſtraverint, minus orationem noſtram deſiderat. Nam vix dubitare poſſumus, quin *ætas* illa Saturni *aurea*, *& ver æternum*, ut appellat Ovidius, primævum illum hominis ſtatum deſignent, quem deſcripſit Moſes. Accedit eodem ætas Deorum Ægyptiacorum, quæ non poteſt ad alium ſtatum ſpectare. Inſignis eſt apud Strabonem locus in xv. Geographiæ libro, quo in loco Calanum Indum loquentem introducit, ac utrumque hominis ſtatum delineat, integrum, & corruptum. Meminere & ejus ſtatus Huttentotti, qui in tanta morum barbarie, majorum ſuorum antiquiſſimas quaſdam traditiones velut e naufragio conſervarunt (*a*). Meminere & Americæ ſeptemtrionalis incolæ, quorum teſtimonium tanto minus eſſe debet ſuſpectum, quo minus antiquitus cogniti, minuſque ex

---

(a) *Andreas Kolbi in deſcriptione capitis bonæ ſpei.*

ex aliorum moribus habent (*a*). Obſervarunt hæc omnia Veteres rei Chriſtianæ Apologiſtæ, in primis Clemens Alexandrinus, & Euſebius Cæſarienſis. Plura eam rem attinentia collegére Grotius, Burnetius, Huetius, aliique (*b*).

§. V. Qui vero ſtatum hunc attente perpenderit, is intelliget & in hoc quoque ſtatu neceſſariam homini fuiſſe divinam Revelationem, ſeu communicationem divinæ ſapientiæ, legis, gratiæ. Nam quandoquidem hic ſtatus poſitus erat in ſubjectione humanæ rationis rationi & legi Dei, appetitus vero ac ſenſuum rectæ rationi; perſpicuum eſt, rationem & lege Dei perpetuo obverſari debuiſſe humanæ menti; ac perpetuo quoque appetitum animalem atque ſenſus interiori quadam & divina virtute in obſequium rationis contineri. At quoniam hic ſtatus non diu duravit, ſaltem nunc inter homines nullus eſſe deprehenditur, illique generalis hæc & intima hominis corruptio ſucceſſit, hanc primum paucis expendamus, mox demonſtraturi, quam præſenti hominum ſtatui neceſſaria ſit Dei Revelatio (*c*). Ac ab eo integritatis ſtatu, in quo homo conditus eſſe debuit, deſciviſſe, & in eum ſe conjeciſſe, quem corruptum diximus, teſtes, heu miſeri, tot ſumus, quot ſumus. Quamcumque enim hominis partem conſideremus, nihil in illo reperiemus, niſi intellectus tenebras, voluntatis inconſtantiam, & perturbationem, imperium ſenſuum in rationem, naturam ſecum diſcordem ac pugnantem. Hinc ſcelerata animi conſilia, furentiſſimi affectus, mores depravatiſſimi, vitæ quum privatæ tum publicæ longe lateque graſſantes calamitates. Uno verbo, hominem omnino alium, quam quem a Deo creari par fuit. Locus eſt egregius Leonis Magni, aut quicumque ejus operis ſit auctor, gravis certe, & perantiquus. *Hæc*, inquit, *voluntas* (hominis) *vaga, incerta, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca: honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloriæ quam virtutum avidior, famæ quam con-*

(a) *Voyages au Nort tom.* 5. *de la Luiſiane*. *Lafitau de moribus Americanorum*.

(b) *Grotius de Veritate Religionis Chriſtianæ lib.* 1. §. 15. *Burnetius in Archeologiis Philoſophicis*, *Huetius in Alnetanis quæſtionibus*.

(c) *V. Thomas Burnet Demonſtration of true Religion*.

conſcientiæ diligentior, & per omnem ſui experientiam miſerior fruendo his quæ concupiverit, quam carendo, nihil in ſuit habet viribus, niſi periculi facilitatem: quoniam voluntas mutabilis; quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni (*a*).

§. VI. Hic eſt hominum ſtatus poſt beatam illam integritatem, quam nunc animo ſolo delineare poſſumus. Inde vero mihi perſpicuum eſt, homines omnes, niſi eos manifeſtata a Deo doctrina & lex inſtituat, intimuſque vigor regat, & in præſente vita, & in altera pravos miſeroſque eſſe futuros. Ex quo conficio commentum humanum non eſſe, verſari inter eos divinam hujuſmodi inſtitutionem (1). Nam quum confero inter ſeſe quæ homines, ſola ſua ratione duce, de Deo, mundo, religione, officiis excogitarunt, aut doctrinarum, quas primum, quum conditi eſſent a Deo, accipere debuerunt, interpolationes & depravationes ex ſuo genio, cum iis, quæ, qui *divinitus docti* dicuntur, tradiderunt, tanto hæc illis præſtare intelligo, quanto lucem tenebris. Ex quo concludo, non ſolum neceſſariam homini eſſe hanc divinæ ſapientiæ ſcholam, verum etiam exſtare aliquam.

§. VII. Sed opponit Tindal novus ille Deiſtarum Patronus. Naturalis religio Deum auctorem habet; perfecta ergo eſt & omnibus numeris abſoluta, niſi dicere velimus, minus Deum providiſſe, quum illam homini daret, quid homini ad finem ſuum perducendum eſſet neceſſarium, idque deinceps experientia doctum. Præterea quum ea Religio in æternis & immutabilibus rerum eſſentiis fundata

(a) *De vocat. Gentium lib. 1. cap. 6.*

(1) Mihi ſic videtur, conſiſtere non poſſe Dei providentiam cum hoc, quod Deiſtæ noſtri humano generi perſuadere conantur, nullam inter homines Dei eſſe revelationem. Et conſtat inter Deiſtas ipſos, ſuprema Dei cura quum cetera, tum homines in primis conditos eſſe. Tanta eſt, ut demonſtravimus, humani corporis effectrix ars, ut a nulla alia cauſa, niſi ſapientiſſima & potentiſſima, ſtrui potuerit. Qui tantam ergo curam in hominis corpore machinando contulit, quique perpetuo ſervat ac tuetur, nullam is animi procurationem habebit? Quoniam ergo conſtat, mentem humanam ſuperiori quadam indigere ratione, quæ totam hominis naturam ſapienter regat, quis ſibi perſuaſerit, Deum, a quo dumtaxat hoc præſidium ſperare poſſumus, quum cetera hominum tanta diligentia accuret, in hoc, quod eſt potiſſimum, deſerere? Itaque aut utrumque hoc pernegandum eſt, id quod nullo fieri pacto poteſt, niſi ab iis, qui omni ratione deſtituuntur; aut agnoſcendum utrumque.

a ſit, tam eſt immutabilis, quam æternæ ille rerum eſſentiæ. Neceſſaria ergo nullo pacto eſt religio revelata (*a*). Quæ ille ita jactat confidenter, ut oracula fundere videatur. Nihil autem minus conſiderate, minuſque cogitate dici potuit. Nam quod dicitur perfectum & ſufficiens, id relationem habet neceſſariam non ad rei tantum naturam, ſed ad ſingulas quoque ejus περιςασεις: quæ ſi immutentur, poteſt minus eſſe illud perfectum, minuſque ſufficiens. Integro homini ac primævo Dei favore prædito, & facultatibus ſuis recte utenti, potuit lex ea & gratia, quam primum habuit, ſine nova fide, ſine novo favore eſſe ſatis: in eo hominis ſtatu perfecta erat. Sed eo ſemel immutato ſufficiens illa non fuit, ideſt omnibus numeris abſoluta. Eſt humana ratio oculo perſimilis. Is ſi nihil offiiciat, aut corrumpat, iis viribus, quibus primum eſt præditus, objecta intra ejus atmoſphæram poſita percipiet: ſi nervus opticus obſtruatur, ſi humor cryſtallinus denſior evadat, aut ſi ab objectis removeatur longius, & morbis purgari oportet, & novis indiget viribus ac mediis ut muneri ſuo ſatisfaciat. Itaque homini ratio in Adæ filiis & corpori mancipata, ab æternis objectis remotior evaſit; & vanis erroribus depravata medici indiget; & imbecillis facta corroborari & ſuſtineri debet. Quare quæ integro adhuc homini perfecta & ſufficiens fuit Religio, corrupto ſatis eſſe nequit (*b*).

§. VIII. Sed vero quæ ſit hominum eorum mens, qui hujuſmodi ſcholam aut non agnoverunt, aut velut confictum repudiaverunt, & quantum in ea ad beate vivendum ſit præſidii, opiniones & mores gentium abunde demonſtrant. Neque vero nunc hominum hujuſmodi errores in ſcientia naturæ perridiculos memoro, quod copioſe fecit Arnobius: nemo enim, qui in hiſtoria Philoſophiæ vel mediocriter verſatus eſt, ignorare poteſt, in quantis profana iſthæc Philoſophia ineptiat, quot contineat abſurda, quot ſecum pugnantia, quam in ipſis rebus, quas ſenſibus contrectamus, cæcutiat. Operam eſſet perdere, in his revincendis occupari. Socrates, quo nemo inter Græcos doctior eſt habitus, majorum Phyſicorum opiniones ac diſputatio-

(a) *Chriſtianity as, old., &c. cap.* 1. *&* 2.

(b) *Vide Stackouſe le ſens litteral de l'Ecriture Sainte cap.* 23.

tationes conſiderans, *vaticinari eos ac furere* dicere ſolebat, quemadmodum retulit Xenophon *in memorabilibus* (1). Eos tantum hoc in loco errores ſpecto, qui ad *Religionem*, & *Moralem* adtinent. Si ab inſtitutione divina diſcedamus, non dico nunc in populo, ſed in ipſis Philoſophis, errores reperiemus, quibus naturalis illa Dei notio, quæ ex humanis mentibus penitus deleri nequit, fœde depravata eſt, atque totius pietatis, raligionis, ſcientiæ moralis principia corrupta. Id nunc demonſtrandum nobis eſt, quo intelligamus, quantopere homini ad recte de Deo cogitandum, recteque vivendum, quibus tota continetur pietas & religio, hujuſmodi divina inſtitutio ſit neceſſaria.

§. IX. Origo Mundi Philoſophis, qui ſolam rationem naturæ conſulebant, aut ignota, aut infinitis erroribus commaculata, id quod ſatis patet ex iis, quæ ſæpe diſſeruimus. Mundus æternus ac ſine principio Democriticis & Eleatenſibus fuit: neceſſitate æterna procreatus Peripateticis: caſu pluries genitus Epicureis. Homines ipſi e Tellure nati veluti fungi, quibuſdam: aliis animi delaſi ex aſtris, aut e mundana anima hauſti: & mortales quidem plurimis cum corpore: aliis longævi quidem, ſed aut vagi per corpora etiam brutorum, aut tandem interituri: aliis incertæ naturæ & originis. De natura Dei nihil apud hujuſmodi Philoſophos ſani. Chaldæis, Heracliticis, Stoicis igneus eſt, & quidem anima Mundi: immenſus Phythagoreis, ſed item Mundi anima informans, ex quo animi noſtri capiantur. Fato illigatus pene omnibus, ut ne poſſit quidem, quod vult: cum

(1) Valde ego vereor, & ne de noſtris idipſum æquiori quiſquam jure dicat. Nam eſſe nos in naturæ cognitione majorum noſtrorum ſtudio & laboribus longe progreſſos, non abnuero. Sed dum in dies audacius procedimus, efficere id cœpimus, ut ne ea quoque nepotes noſtri ſciant, quæ noſtri incredibilis diligentia detexerunt. Ita videlicet nova eorum, qui ſe aliquid in phyſicis ſapere credunt, & ſubtiliora, quam natura patitur, ſyſtemata phyſicas diſciplinas perpetuo turbant, ut dediſcere hodie debeamus, quæ nudius tertius nos ſcire opinabamur, nec vero de tubis capillaribus, de gemmarum generatione, de offium origine, aut ſi quæ ſunt minutiora loquor: ſed de naturæ totius ortu, compage, legibus. Quamquam ſi ego exiſtimo, nihil eſſe in natura parvum, nihil contemnendum; ut ſi quis abſurde de minutis, quæ videntur rebus ſenſerit, ſi contra quam rerum natura patitur philoſophari, ſi aut in herbuſcula, aut culice variare cœperit, eum ne in maximis quidem rebus ſibi ac mundo conſtare poſſe. Luxata vero ſemel natura, ac turbatis rerum originibus fieri non poteſt, ut de mundi Auctore recte ſentiamus.

cum pervicaci & obſtipa materia, ac mundana anima perpetuo decertans ipſis quoque divinis, ſi Diis placet, Platonicis. Providentia aut imbellis, quia Fato acta, ipſis Stoicis, qui providentiæ vindices videri volebant; aut noſtra, ideſt ſublunaria, non attingens, ut Ariſtoteli; aut nulla, ut Epicureis; aut cum fortuna & caſu conjuncta, ut Politicis & populo. Jam ne Monarchia quidem Dei, niſi admodum paucis cognita. Et deriſere Philoſophi Deorum turbam popularium, ſed aut Deo malorum Principium coæternum coæquarunt, aut Mundi fabricam, & regimen in plures diviſere, ut ſcilicet ignari homines originis ſuæ, ignari finis, per plura & incerta vagarentur, nec quid colendum ſibi eſſet ſcirent. Uno verbo; *qui Deos eſſe dixerunt, tanta ſunt in varietate ac diſſenſione, ut eorum moleſtum ſit dinumerare ſententias*, inquit Cicero (1). Agnoverunt id Potamonici Scholæ Alexandrinæ alumni, poſtquam videlicet diſputationibus Chriſtianorum ad incitas redacti fuerunt. Itaque ut ſuppetias labenti Philoſophiæ ferrent, diſtinguendum cenſuere inter *Philoſophos*, & *Philoſophiam*, ut ſic honeſtius & Philoſophos coarguerent, & defenderent interea Philoſophiam, quaſi aliud illa ſit, quam Philoſophorum opiniones & diſputationes (2).

§. X. Quid nunc errores in Morali Philoſophia recenſere attinet? tot ſunt ac tales, ut merito Philoſophiam pudere poſſit imbecillitatis ſuæ. Ac quum ea potiſſimum Philoſophiæ parte genus humanum indigeat, ut recte & præclare vivat, intelligitur quam parum ſit in ſola humana ratione ab omni divina inſtitutione, & vi deſtituta ad beate vivendum præſidii. Principio de fine bonorum & malorum incerta omnia apud Philoſophos, qui ſolam ſunt naturam ducem ſequuti. Unus Cicero in iis libris, quos ſuper ea re conſcripſit elegantiſſimos, id copioſe docebit, &

(1) *Epictetus ad Arianum*. Quod ad Deos, *inquit*, adtinet, ſunt qui negant ullum numen eſſe: ſunt qui eſſe docent, ſed ignarum, injurium, & nullæ rei providere. Sunt tertii, qui & eſſe, & providere, ſed non niſi magnis & Cæleſtibus: terrenorum autem nulli. Quarti & Cæleſtibus & terreſtribus, ſed univerſis dumtaxat, non autem ſingulis & unicuique ſeorſim. At quinti, in qua parte Ulyſſes & Socrates, aſſerunt ſtatuuntque, quod Te, o Deus, nec in minimo motu lateam, aut fallam.

(2) Vide Moſhemium in diſſertatione *de turbata per recentiores Platonicos Eccleſia*, ad calcem ſyſtematis intellectualis Cudworthi.

Laertius qui in nulla veteris philoſophiæ parte enarranda copioſior fuit, quam in hac, quæ de *fine eſt*. Ignorato autem ultimo hominis fine, quod & recte Ariſtoteles dixit, & quiſque ipſe per ſe videt, neceſſe eſt, ut & in mediis eligendis hæſitemus, ac incerti perpetuo ſimus: ex quo illud etiam efficitur, ut tota hominum vita perplexa ſit & vacillans. Deinde illud etiam accedit, quod de vitæ humanæ norma aut nihil docuerunt certi, aut omnino eam abſtulere, aut, quod tantundem eſt, eas conſtituerunt regulas, quæ perdendæ vitæ aptiores ſunt, quam regendæ, id quod conſectarium eſt ignorationis *ſummi boni & finis*: nam vivendi regulas humana ratio, niſi divinitus hauriat, ex fine tantum inveſtigare poteſt. Itaque nihil eſſe natura *juſtum*, aut *injuſtum*, *honeſtum*, aut *turpe*, ſed omnia ea conſuetudinibus & legibus humanis originem debere, plures horum Philoſophorum, magiſtrorum nempe humanæ naturæ, dixerunt. Celebre eſt illud Calliclis *in Gorgia Platonis*, qui quæ Philoſophi de juſtitia & injuſtitia velut ex naturæ fontibus diſſerunt, vocat hominum *deliramenta, & nugas*. Eadem vox fuit Ariſtippi perpetua, qui ad mollem ſuinamque vitam deriſionem honeſtioris addidit: eadem Epicureorum, qui juſtitiam & injuſtitiam ſola utilitate metiendam eſſe docebant, quo quid humanæ ſocietati perniciosius excogitari poteſt? Et diſſeruere quidam Philoſophorum de Jure naturæ, & Officiis. Platonici, Stoici, Peripatetici: ſed incerti de norma, ſibique non conſtantes. Præterea aut ea excogitarunt, quæ, quod ſuperiora natura humana ſint, inutilia prorſus ſunt, ut Stoici, & Platonici, quorum præcepta non iis hominibus qui ſunt: ſed iis, quo illi comminiſcebantur, magna ex parte aptata erant: aut omnia ad inane quoddam civilis honeſtatis idolum accommodarunt: aut in Cive formando intenti, pietatis negligentes impium fecere, quod de Ariſtotele adnotavit Picus Mirandulanus comes (*a*). Hanc igitur ut ego Philoſophiam vitæ magiſtram habeam? Equidem nihil incogitantius unquam ſcriptum reperio, quam illud Ciceronis (*b*), ſi ad hanc Philoſophiam pertineat, *o vitæ Philoſophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum!* Quod ſi eſſet verum, qui idem Cicero ſcribere potuit (*c*), *quotus*

(a) *Lib.* IV. *de Notionib.* (b) *Lib.* 5. *Tuſculanarum c.* II.
(c) *Ibid. Lib.* II.

quotus quiſque Philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus, ita animo, & vita conſtitutus, ut ratio poſtulat? qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi & decretis ſuis pareat? Qui Juſtinus Trogi, *profuiſſe plus apud Barbaros ignorationem vitiorum, quam apud Græcos cognitionem virtutum* (*a*)? nam Philoſophi, ut eleganter Auguſtinus loquitur, *ad loquendum faciles; ad efficiendum ineptiſſimi erant* (*b*).

§. XI. Jam, quod plenius id quod volo demonſtrat, inter ipſos Hebræos & Chriſtianos, qui paulo liberius philoſophari voluere, & hanc rationem ſecuti ab inſtitutione Prophetarum & Apoſtolorum diſceſſere, in iiſdem ſe erroribus implicuerunt, in quibus Ethnici ſine revelatione. Cujus quæ eſſe alia poteſt cauſa, niſi quod ſola humana ratio, quæ ex naturæ notionibus informatur, homini ad pietatem plene inſtituendo inepta ſit? Enim vero ut apud Ethnicos abſurdiores de Deo, pietate, natura in ſcholis Philoſophorum reperias opiniones, quam in vulgo ipſo Philoſophis & Poetis antiquiore, quod nempe veterum traditionum tenaciores populi, ut non innovare, ita ne corrumpere quidem facile ſciant; ita inter Hebræos & Chriſtianos peſtilentium dogmatum ii fuere Auctores, qui plus ex jecinore ſuo ſcire voluerunt, quique majori Philoſophiæ ardore, quam *divina regula*, ſe rapi paſſi ſunt. Ac mitto nunc Hebræos, quorum Cabaliſtæ, Caraitæ, aliique ex quo tempore Ariſtotelis & Platonis Philoſophiam admiſerunt, dici nequit quanta aut inanium ſomniorum ſarragine, aut ſuperſtitione, aut impietate doctrinam Dei fœdaverint (*c*): Chriſtianorum, ut videri voluerunt, quoſdam ſpectemus, qui ſua ratione inſanientes id comprobaſſe videntur, quod Cicero inter probabilia olim de Græcis Philoſophis retulit (*d*), *nempe eos, qui philoſophiæ dent operam, non arbitrari Deos eſſe.* Nam unde nata deliria Valentini & Marcionis? Quorum qui apud Irenæum, & Tertullianum legit ineptias, atque delirantium ægrorum formas, ſe tædeat

(a) *Lib.* II. *cap.* 21.

(b) *Lib.* VIII. *de Civit. Dei. Vide Lactantium Lib.* III. *& Lucianum ſæpe.*

(c) *Buddeus in introductione ad Hiſtoriam Philoſophiæ Hebræorum.*

(d) *De Inventione lib.* I. *cap.* 29.

rationis humanæ, neceſſe eſt. De eodem fonte prodiere Pelagiani, quos Semi-Epicureos dicere poſſis, aut primum inter Chriſtianos, quod cenſuit Bodinus, Deiſtarum germen. Quum in Italia XIV. & XV. ſæculo Peripatetica & Platonica Philoſophia nimis pleriſque admirationi eſſet, in quot deridicula, abſurda, impia ivere Patricius, Coſmus Rugerius, Brunus Nolanus, Vaninus? Unde autem & Macchiavelliſmus, & Hobbeſianiſmus, peſtilentiſſimæ Philoſophorum ſectæ? Jam quum in tota Europa hæc philoſophandi ratio non ita pridem invaluiſſet, qua revelationis incurioſi ſola naturæ ratione niti homines cœperunt, inde Socinianiſmus, Deiſmus, atque Atheiſmus denique longe invaluerunt. Nempe omnibus eadem cauſa: una ſola & corrupta ratio dux: una nimia Philoſophiæ admiratio: unus divinæ inſtitutionis contemptus. Intelligo nunc, qui factum ſit, ut divina oracula breviter ac munde proponerentur. Scilicet non ſolum, *quod non decebat aliter, ut quum Deus ad hominem loqueretur argumentis aſſereret ſuas voces, tanquam fides ei non haberetur; cujus eſt non argumentari, ſed pronunciare verum*, quod cenſuit Lactantius (*a*): ſed ut ne occaſionem curioſius inveſtigandi animantium omnium maxime curioſo homini ſuppeditaret: ut doceret, quod Germanicus apud Tacitum graviſſime pronunciat, *ſanctius eſſe de Deo credere, quam ſcire*: poſtremo ut noſtræ rationi diffidendum aſſueſaceret in iis rebus, unde vitæ beatitudo pendet: ut rationem noſtram divina inſtitutione rectam efficeremus.

§. XII. Dicet aliquis, non eſſe errata, quæ tot ſunt viſa philoſophis, ſed veritates: nam & rectæ rationis judices non imperitum vulgus, ſed ſapientes eſſe debent; & non ii certe ſine ratione docuere, quæ nobis abſurda & perridicula videntur; quod autem ratione nititur id conſtat eſſe verum: quod non anticipatis præjudiciis liceat refellere, ſed manifeſtiori & probatiori ratione: alioquin tota hæc noſtra ratiocinatio erit, ut Dialectici Græci inquiunt, *verſatio piſtilli*, & ineptus circulus. Huc enim ferme redit: revelatio eſt neceſſaria, quia ſola ratio quum docuiſſet philoſophos, impios fecit; tales vero feciſſe inde conficimus, quod eorum dogmata noſtra revelatio averſatur.

§. XIII. Reſpondeo me, quum impia & ridicula philoſopho-

(a) *Lib.* II. *cap.* I.

ſophorum dogmata appello, nondum revelationis virgula ulla uti, ſed communis rationis. Communem generis humani rationem lapidem hic lydium eorum dogmatum habeo: in eoque philoſophos ipſos conſentientes eſſe oportere id demonſtrat, quod nulla eſt ſine ratione philoſophia. Ex communi hominum ratione conſtat eſſe aliquem hujus univerſi parentem & opificem ſummum & prudentiſſimum: omnia divina ejus providentia regi: ſua cuique eſſe jura a natura ipſa tributa, eaque ſarta & tecta, ut ajunt, ex mundi ipſius ordine & lege ſervari oportere: vitam hominis felicem aut in virtute eſſe, aut non eſſe ſine virtute. Hæc qui philoſophi commentis ſuis deſtruere nituntur, ii cum communi hominum ratione pugnant; ſunt igitur impii, neſandi, perridiculi, idque ex ipſa ratione. At enim rectæ rationis judices [illegible] indoctum vulgus, ſed ſapientes eſſe decet. Quaſi vero qui hujuſmodi philoſophos coarguunt, non & ipſi & Philoſophi ſint, & ſapientes: non enim hic vulgus cum vulgo committimus, ſed ſapientes cum iis, qui philoſophati quidem ſunt, ſed quorum aberrationes ipſæ per ſe ſunt manifeſtæ, ut ne philoſopho quidem animadverſore indigeant.

§. IX. Opiniones hominum de Deo, de Natura, de Legibus, perridiculæ, abſurdæ, impiæ perſpicue demonſtrant, quam inepta ſit inter Adæ pronepotes humana ratio, niſi divinis notionibus informetur & regatur ad hominum vitam pietati conformandam. Mores nunc ſpectemus populorum, ut inde videre poſſimus, quo tandem fœditatis ſine divina inſtitutione evadere queamus. In duplici claſſe ſunt mores omnes poſiti: nam aut vitam civilem ſpectant, aut religionem. Quod pertinet ad poſteriores, eæ nationes, quæ ſine divina revelatione vixerunt olim, aut nunc etiam vivunt, in tam perridicula, neſanda, impia ſuperſtitione fuere, aut nunc ſunt, ut cum animo mecum reputo, ſatis mirari non poſſim, animantes rationales tot numero, tamdiu, ac in tanto mentis ſtupore eſſe potuiſſe; itaut verendum eſſet, ne commentitiæ ſabulæ videantur, niſi tanta conſenſione graviſſimorum teſtium narrarentur, ut ſtupidius eſſet non credere. Civilem & Poeticam Theologiam apud Ethnicos unam eandemque fuiſſe, Poeticam nempe theoricam, Civilem vero practicam, ut quod illa de Diis narrabat, hæc publice exhiberet, & Ethnica hiſtoria cum Poetis collata demonſtrat, & pluribus evicerunt veteres

 Chri-

Chriſtianæ Religionis Apologiſtæ, in primis Arnobius, & Auguſtinus (*a*). Itaque qui Poeticam noverit, Civilem quoque novit. Deorum, Dearumque amores ſceleſtiſſimos, raptum puerorum ac puellarum, mendacia, iras, ac omnem vitæ depravationem & fœditatem in ſcenis exhibebant Poetæ, populo belle plaudente. Ac graviores Philoſophi quidam fuiſſe videntur, qui hæc non ſine ſtomacho improbarunt (*b*), quam Dii ipſi, Deorumque adminiſtri, quibus Auctoribus hæc publice credebantur, & exercebantur.

§. XIII. Jam vero quis myſteriorum Eleuſinorum, Orphicorum, Dianæ, aliorumque temporum recentiorum obſcœnitatem enarret, quamquam eſſent ea ad hominem purgandum inſtituta? Clemens quidem Alexandrinus ſe pudere ſcribit minutatim illa narr[illegible], quæ tot gentes facere non puduit (*c*). Bacchanali[illegible] ludos fuiſſe Baccho ſacros ignorat nemo: quum tamen ebrietatis, impudicitiæ, omnigenæque ſpurcitiæ exercitatio eſſent, ut jure Varro apud Auguſtinum (*d*) *emotæ mentis homines* bacchantes appellaverit, Senatuſque Romanus quum primum Romam inducerentur, velut fœdam Civitatis corruptionem vetuerit (*e*). Jam quis ferat ſceleratiſſimos homines inter Deos relatos? Eſt quod magis cum Religione ac Religionis fine, idest vitæ honeſtate, ſanctitate, felicitate pugnet? Ut ecce meretrices ipſæ publice cultæ, Læna ab Athenienſibus, Lupa, Faula, & Flora a Romanis, quas Lupanaris magiſtras fuiſſe ex veteri hiſtoria demonſtravit Lactantius (*f*). Nihil ego nunc dicam de Venere; cujus impuriſſimos amores theatra omnia perſonabant. Pudet quoque me *Floralia* deſcribere: nam *præter verborum licentiam, quibus obſcœnitas omnis effundebatur, exuebantur etiam veſtes, populo flagitante, meretrices, quæ tunc Mimorum fungebantur officio, & in conſpectu populi uſque ad ſatietatem impudicorum luminum cum pudendis moribus detinebantur*, quæ Lactantius ita narrat, ut ad tempora uſque ſua continuata indicet. Interim honeſta hæc dicere poſſis, ſi cum re-

(a) *Arnobius Lib.* II. *Aug. in* VI. *de Civit.*
(b) *Plato de Legib. l.* III. *Cic. lib.* II. *de Nat. Deor.*
(c) *Exhortat. ad Gentes.*
(d) *Aug. de Civit. lib.* VI. *cap.* IX.
(e) *Livius lib.* XXXIX.
(f) *Lact. lib.* II. *cap.* XX.

recentiſſimis Græcorum myſteriis compares. Præterea qu Mutuni, aut, ut Arnobius vocat, Tutuni Dei, ſeu Priapi, obſcœna facta, quæ illi ſacrificia habebant, commemoret libenter? *In cujus ſinu* (Lactantii verbis potius dicam) *pudendo nubentes præſident, ut illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur* (a). Id quod calumniæ loco quiſquam habere poſſet, niſi hodieque plures Aſiæ Nationes idipſum efficerent (b). Et eſt præterea, qui vitæ humanæ regulam, qui veram religionem ab hominibus ſibi ſuæque rationi & affectibus commiſſis expectet? Potuiſſent gentes illæ obſcœniora & profaniora exercere ſacrilegia, ſi uni huic rei tota vita ſtuduiſſent? Quæ igitur pietatis & religionis in hujuſmodi animis notio verſabatur? Itaque ego non miror publice Atheos a Paulo Apoſtolo, mox etiam a vetuſtis Patribus habitos. Hæc igitur ut ſuperſtitio late proſcribatur pleno gutture clament Deiſtæ: ſed primum ſecum ſtatuant, eſſe hæc non Dei dogmata, ſed ejus naturæ commenta, quam ii regulam felicitatis habent (1).

§. XIV. Sed eſt præterea quod magis exhorreamus. Nemini ignotum & hoſtiis humanis ſacrificatum apud Ethnicos, & etiamnum ſacrificari, ut religio, quæ hominibus conſervandis de Cælo delata eſt, in fœdam ſuperſtitionem verſa iis extirpandis incubuiſſe videatur. Mirum dictu eſt, quot gentes in hæc parricidia velut furioſæ irruerint. Pluſquam triginta nationes his ſacrilegiis ſe polluere ſolitas enumeravit Euſebius *in Præparatione Evangelica*, pluresque alias novelli viatores detexere (2). Inter Romanos ipſos Lactantii tempore Latialis Jupiter ſanguine humano colebatur, ut merito is exclamaverit, *O dementiam inſanabilem! Quid illis iſti Dii amplius facere poſſent, ſi eſſent iratiſſimi, quam faciunt propitii? Quorum ſuos Auctores parricidiis inquinent, orbitatibus mactent, humanis ſenſibus ſpolient? Quid poteſt eſſe his hominibus ſancti? Aut*

(a) *Vide & Aug. lib.* VI. *de Civit. cap.* IV.

(b) *Voyages de la campagnie orientale de l'Indie.*

(1) Ita ſcilicet declamat la Mettrie in *Syſteme d'Epicure, Antiſenecque*, & alibi ſæpe, quem operæ erat pretium aureum Plutarchi opuſculum attente legiſſe, *quod beate vivere nequeamus ex Epicuri dogmatibus.*

(2) Vide Lomejerum de gentium luſtrat. cap. XXII. Joan. Spencerum ad Origenem pag. 22. & 23., & Petrum Petitum lib. II. de Antropophagis cap. IX. & X.

ſti? Aut quid in profanis locis facient, qui inter Aras Deorum ſumma ſcelera committunt? Nonne ſatius eſt pecudum more vivere, quam Deos tam impios, tam profanos, tam ſanguinarios colere? Enim vero Religionis eſt homines manſuefacere, alios in aliorum opem excitare, virtutem in pectoribus humanis gignere, non de hominibus belluas immanes reddere. Itaque inſigne hoc criterium veræ & divinæ religionis eſt, quod Euſebius adnotavit. Cujus locum, cum egregius ſit, etſi paulo longior, producam tamen, ſed ſemel tantum.

§. XV. *Ex quo ipſius* (Servatoris noſtri) *doctrinæ per univerſum orbem diffuſæ verbis & concionibus hominum aures afflari cœpere, continuo factum eſt, ut qui ferini prius ac barbari nationum omnium mores fuerant, iidem lenioribus, & humanioribus inſtitutis manſueſcerent. Itaque nec Perſæ, qui ſemel ejus diſciplinæ nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt, nec Scythæ, quod in eorum quoque regionem Chriſti ſermo penetravit, humana jam carne paſcuntur: nec alia barbarorum genera inceſto filiarum ac ſororum concubitu polluuntur: nec ad mares furioſa libidinis æſtu mares ipſi rapiuntur: nec cæteras, quæ naturæ leges violant, corporis voluptates perſequuntur: nec canibus atque vulturibus neceſſariorum ac propinquorum ſuorum cadavera, quibus id quondam in more fuerat, adjiciuntur: nec ſenio jam confectis, ut antea, laqueos injiciunt: nec ſibi amiciſſimorum carne poſt obitum antiquo ritu ſaginantur: nec majorum inſtituto dæmonibus tamquam Diis homines immolant, nec ſibi cariſſimos jugulant falſa pietatis opinione deluſi. Hæc nimirum illa ſunt, aliaque id genus propemodum infinita, quibus infeſta quondam hominum vita habebatur.* Hæc Euſebius. Qui hæc barbara facta cum Chriſtianæ Religionis præceptis comparaverit, is duo intelliget. I. quam imbecillis ſit natura humana ad ſe formandum & regendum ſine cæleſti doctrina. II. Religionem Chriſtianam, quum brevi tam immanes mores diuturnitate temporis firmatos deleverit, e cælo vim ſuam atque ortum habere.

§. XVI. Nec vero nunc nobis quiſquam opponat, etiam ſi Chriſtiana religio prædicata non fuiſſet, paulatim tamen Gentes ad ingenii, opinionum, ac morum culturam perventuras fuiſſe: nam hoc eſt, quod omnino conficit, rationem naturalem nullo modo ſine divina inſtitutione ad hæc pertingere poſſe, quod nulla temporis diuturnitate meliores homines efficiat: id quod etiam probat, niſi Chriſtiana Re-

na Religio prædicata fuiſſet, nos tam immanes, & publice corruptos futuros fuiſſe, quales veteres ante Chriſtum nationes fuere. Videamus, ut hæc demonſtremus, qui mores, quæ dogmata apud præſentes nationes, quæ Chriſto non adhuc dedere nomen. Idololatria in omnibus: cæremoniæ nefandæ ac impiæ. In Philippinis Inſulis Sacerdotes fœminæ: quæ, ut olim in Floralibus, nudæ, ac pudorem, quod majus quoque, exutæ, quæque apud Orientales Indos, & Tartaros ſe publice præterea proſtituunt, eumque Deorum cultum habent. Naſingæ in India fruſta carnis ſuæ obtruncant, ac palpitantia intrepide Diis ſacrificant. Sacrificia humana pluribus in locis uſitata, ut in Inſula Ceylon, Mexico, Peru, Terra Firma, Virginia. Solem, Lunam, Aſtra apud omnes ferme culta: & Elephanti in Ceylon, Serpentes ac Tigres in pluribus Africæ locis; aves ac piſces in Guinea. Nec minus abſurda dogmata. Alibi duo Dii crediti, alter Cæli, Terræ alter, velut in Tartaria: in Inſula Formoſa, ut inter Huttentottos, boni ac mali Dii ſtatuti. Siamenſes quemdam Deum agnoſcunt, ſed non natura, verum vi ſua ac merito factum, poſtquam ſcilicet per infinita propemodum corpora pertranſierit. Apud Malabares mutabiles Dei, ac, ut Romani Conſules, minime perpetui: providentia præterea præcipuarum, non omnium rerum, ut videantur Principum jura ac poteſtatem tranſtuliſſe ad Deos. Metempſychoſis vulgata apud Orientales omnes, nec quidpiam aliud confidentius aſſertum. Plerique apud Malabares & Indos perpetuo veſci Deos, ut antiqui Caldæi, ſibi perſuaſum habent, ſeu veteri diſciplina, ſeu Sacerdotum vafritie. Tartari, Guineenſes, Canadenſes defunctorum quoque animas vitæ omnibus ſubſidiis indigere credunt. Quid ego nunc Auſtrales incolas belluis ſimiliores, quam hominibus memoraverim? Nihil apud illos non nefandum, nihil non ferinum (*a*). Sed Lectores obtundo.

§. XVII. Quid mores? Minime illi quidem meliores. Apud Orientales Indos ut & Guineenſes uxores viventes cum corporibus virorum igni traditæ (*b*). Quum occumbunt Reges, familiares occiduntur, qui illis in altera vita adminiſtrent. Pluribus in locis Americæ eorum, qui vulnere morinn-

(a) *Dampier voyages.*
(b) *Bernier Itinerarium Indicum.*

riuntur, ſcatentem ſanguinem exſugunt, ut ita ſcilicet ferociæ aſſueſcant. In Africa, Braſilia, & Hiſpaniola humana carne veſci non exhorreſcebant. Relatum quoque eſt, Canadenſes humanis prædis velut venatione victitare ſolitos. Sint hæc viatorum fabellæ (1): liberaliter ago: Sed illud certum, quod infantes, ut apud veteres, multis in locis hodie exponantur, ac in primis apud Sinenſes: alibi ut in tota Colchide, in commercio ſunt (a). Quod mihi non humanitatis modo leges omnes violare videtur, ſed naturæ quoque animanti adverſari: ſiquidem video id inter feras ipſas nunquam uſurpatum, quæ pro partubus ſuis ita ut pro vita dimicant. Mitto alia feritatis exempla, quæ copioſe collegit Epiſcopus Londinenſis (b). Hæc niſi oſtendant, quam imbecillis ſit humana ratio ac natura ad vitam & pietatem conformandam, non video quid evidentius in rebus humanis reliquum ſit.

§. XVIII. His nunc addo, quod etiamſi conſtituere velimus, rationem humanam, quæ ad Religionem & Moralem pertinent, plene omnia intelligere poſſe, ut nihil omnino, quod ſcitu ſit neceſſarium, eam lateat; inutilem eam adhuc reperiemus in genere humano ad mores & pietatem inſtituendo. Neque enim idem eſt, purgatam hominum exercitatorum rationem intelligere quidquam poſſe, & eandem aut omnes generatim poſſe ad idem inſtituere, aut eorum etiam flectere naturam, & quaſi ad agendum inducere, qui id intellexere. Principio ratio utcumque clara & diſtincta intellectum coget, naturam aut non omnino, aut vix commovebit. Vix ea momentum aliquod vel exiguum habet ad naturam emolliendam, atque ad pietatem, juſtitiam, honeſtatem inflectendam. Naturam doctrina meliorem non effici, tota hominum doctiſſimorum vita me docet. Quantumvis enim perfecta ſit ratio, haud tamen minus odio, amore, ira, metu, ambitione, avaritia, ſuperbia, aliiſque affectibus perturbamur. Iis ſemel excitatis, æque ſtulti ac docti, aut prope eundem in modum

(a) *Chardin Itinerarium Perſicum.*

(b) *Preſervatif contre l' incredulité & le libertinage lettre paſtorale II.*

(1) Velut fabulas habet Dampierius quæ de Anhtropophagis narrantur. Vid. tom. 2. itinerarii. Sed P. Hennepin in Itinerario Americæ Septemtrionalis, vir magnæ ingenuitatis, eorum plura teſtis oculatus narrat. Vide & Lafiteau.

dum agitantur: addo, æque plerumque homines ac belluæ. Ratio ergo intellectum cogit ad aſſenſum, naturam non movet, niſi admodum imbecilliter, ad actionem: ac quum movet, non ipſa per ſe, ſed affectuum inſtrumentis utens, movet. Ad vitam igitur & pietatem ipſa per ſe ſola non ſufficit. Opus eſt ergo doctrina, quæ vigorem præterea naturæ tribuat, quæ nos emolliat, quæ ad virtutes promptiores efficiat. Intellexere Veteres quidam, in primis Plato, qui in Menone virtutem non acquiri, ſed a Deo demitti docet. Eſt & Epicteti locus ſuper hac re egregius, quem alibi nos deſcribemus (a).

§. XIX. Sed & illud ante omnia præclarum, quod nulla pene vetus natio fuit quantumvis barbara, nulla hodie ſit extra nomen Chriſtianum, quæ naturæ hanc fœditatem atque intimam depravationem non agnoverit, & ſit profeſſa. Ei enim rei inſtituta fuerunt *caſta*, τελεται, οργια, μυςηρια, quo ſcilicet natura purgaretur, quod ſæpe Cicero, aliique veteres docent (1); etſi deinceps novæ pravitatis Scholæ & collegia evaſerint. Huſmodi orgia & myſteria fuiſſe apud Græcos vetuſtiſſima id probat, quod veterum omnium conſenſione Hercules in pravis myſteriis Eleuſi fuerit initiatus. Sed & longe antiquiora fuere apud Phryges, atque Ægyptios, quorum celebratiſſima ſunt. Sunt hodieque in caſta juxta & barbara Ethnica Aſia apud omnes ferme gentes. Americanos etiam agreſtes, & ſylvis ſparſos, eadem myſteria magna non ſeveritate tantum, ſed immanitate frequentare docebit Lafiteau, qui copioſe & velut ex inſtituto eam rem proſequitur. Id ego in his factis aperte video, naturam ipſam hanc gentibus confeſſionem expreſſiſſe, qua ſe & fœde naſci profiterentur, & purgatione indigere. At ea myſteria tantum abeſt, ut naturam humanam inteſtina labe purgaverint, ut magis potius depravaverint, quemadmodum ex iis conſtat, quæ de Orgiis ſui-

(a) *Part. III. Append. ad cap. ult.*

(1) *Cic. lib.* II. *de legibus*: nam mihi quum multa eximia divinaque videntur Athenæ tuæ peperiſſe, atque in vitam hominum attuliſſe, tum nihil melius illis myſteriis, quibus ex agreſti immanique vita exculti ad humanitatem & mitigati ſumus, initiaque, ut appellantur, ita revera principia vitæ cognovimus.

ſui temporis Clemens Alexandrinus, aliique veteres Chriſtiani ſcriptores memoriæ prodiderunt.

§. XX. Deinde demus tantiſper, eam eſſe humanæ rationis vim, ut & ſingula divini cultus officia, officia vitæ quum privatæ tum publicæ docere poſſit, & voluntatem præterea ipſam permovere, atque perturbationes compeſcere; concedent profecto nobis Deiſtæ, id præſtari non poſſe, niſi a mente exercitio & ſtudio exculta: omnino enim ignorantes naſcimur omnes, nec niſi exercitio & ſtudio rationem augemus & perficimus, ut ad id, quo natura tendimus, habiles eſſe poſſimus. At nunc quotus hominum quiſque eſt, qui ita intellectum ſtudio & exercitio excolere poſſit, ut his omnibus ſit aptus? In ea quam vivimus vita humana, plures in artes vitæ neceſſarias incumbere neceſſe eſt, quam in meditationem. Ita maxima hominum pars, ut non excolere mentem, ita ſibi ad pietatem & juſtitiam ſatis eſſe non poteſt. Ex quo conficitur, ſi genus humanum his in rebus inſtruendum, ſine generali quadam & ſuprema inſtitutione, rationem humanam aut nullam, aut admodum exiguam vim habere (*a*). Eſt porro Deus bonus & beneficus, ut hominibus deeſſe in neceſſariis minime eum deceat; dubitari ergo nequit inter tot, quæ jamdudum vulgatæ ſunt, extare aliquam divinam revelationem, qua homines ad pietatem & juſtitiam informentur, ac divinitus vigorem accipiant, quo pii & juſti ſint.

§. XXI. Sed illa nunc ſunt audienda, quæ noſtri temporis Deiſtæ crebro jactare ſolent. Ajunt, hanc cauſam, naturæ rationem & legem ſatis eſſe & ad hic beate vivendum, & ad alteram felicitatem adipiſcendam, & tota divina Chriſtianorum Scriptura eſſe definitam, & a veteribus Chriſtianæ Eccleſiæ Apologiſtis explicatam uberrime. Naturalis Religio, duobus præcipue comprehenditur, pietate adverſus Deum mundi totius conditorem, & juſtitiæ atque humanitatis cultu. Quicumque caſte ac Sancte Deum rerum hujus univerſitatis parentem colit, qui neminem lædit, qui ſuum cuique jus ſervat integrum, qui ſe hominem adverſus homines profitetur, is eſt, quem Deiſtæ ajunt naturæ religionem pietatem, legem ſervare. At hunc eumdem eſſe quem *juſtum*, & *ſanctum*, & *beatum*

(a) *Eſt hæc præclara Origenis ratiocinatio in I. contra Celſum, cujus locum vide.*

tum divini Codices vocant, nec uno, aut altero loco, ſed a capite ad calcem, cui poteſt eſſe ignotum? Hinc enim Abel juſtus, injuſtus Cain judicatur: inde ſectæ diſcretæ *filiorum Dei*, & *filiorum hominum*, id eſt Sethi, & Caini ſtirpes. Hinc Mathuſala, hinc Noemus juſti coram Deo. Ex eadem regula veteres alii poſt diluvium Patriarchæ juſtitiæ & ſanctitatis famam ſunt apud Deum adepti. Certe ex ea virgula vixit Jobus omnium mortalium ſanctiſſimus, idemque Deo probatiſſimus. Sed & in Prophetis, & in Pſalmis ſimpliciter juſtus & dicitur, & habetur, *qui non abiit in conſilio impiorum, & via peccatorum non ſtetit* (a): *qui ambulat in lege Domini:* is enim eſt *immaculatus* (b). At quæ eſt *lex Domini immaculata convertens animas?* Nempe, *unum cole Deum*: nihil adverſus illius effice majeſtatem: *honora parentes: non occides*: *ne furtum facito*: *ne adulterium*: nihil denique a te humani alienum eſſe exiſtimato. Jam vero eadem docet Chriſtus: eadem Apoſtoli. *Nolite putare*, ait ille (c) *quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere*. Sed quam legem, quos prophetas dicit? *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & Prophetæ* (d). Eo omnis ille ſermo, quo homines ad juſtitiam & ſanctitatem adhortatur, collimat. Apertius idipſum alibi (e) eloquitur. Nam quum alter interrogaſſet, quid ſibi facto opus eſſet, ut vitam æternam poſſideret, *ſerva*, inquit ille, *mandata*. At ille, *quæ? Jeſus autem dixit, non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum: non falſum teſtimonium dices: honora patrem tuum & matrem tuam: & diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Alibi vero brevius: *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo .... & proximum tuum ſicut teipſum .... In his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ* (f). Id eſt perpetuum ejus prædicationis exemplum: eo ſpectant omnia ejus dicta, factaque. Ad ſimplicitatem ergo naturæ nos revocat, præſertim omnibus profligatis cæremoniis, omnique impedimento

(a) *Pſal.* I. (b) *Pſal.* 118.
(c) *Matth.* V. *v.* 17.
(d) *Matth.* VII. *v.* 12.
(e) *Matth.* XIX. *Marc.* X. *Luc.* XVIII.
(f) *Matth.* XXII.

to & Hebraicæ legis, & ſuperſtitionis reliquarum gentium ſublato.

Accedunt Apoſtolorum ſententiæ plures eamdem in rem. Certe Paulus in epiſtola ad Romanos gentes reprehendit, non quod aut Deum ignorarent, aut naturæ legem, sed *quia cum cognoviſſent juſtitiam Dei* (a), eam factis reprobaverant: converterunt *veritatem Dei in mendacium* (b). Ait *Deum reddere unicuique ſecundum opera ejus* (c) sine ullo Judæi aut Græci diſcrimine: opera autem dijudicaturum ex lege: qua autem lege? nempe ex ſcripta lege opera Judæorum: ex lege naturæ & inſita gentes, quæ legem ſcriptam non habent; quandoquidem *ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis* (d).

Poſtremo veteres illi Chriſtianiſmi Apologiſtæ Juſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Minutius Felix, Tertullianus, Lactantius, Euſebius quoque Cæſarienſis, pluresque alii in hoc unum tendunt, ut doceant, hanc eſſe Chriſtianam Religionem, *unum Deum tota mente complecti, juſtitiam ſervare, humanitatem colere*: eam qui pure ſervat, nulla temporum, vel locorum differentia, juſtum eſſe, Chriſtianum, ac beatum denique futurum. Hæc enarrare omnia ego non inſtituam, etſi iis Deiſtæ noſtri ſuperbiant. Pauca proferamus exempli gratia, quo videlicet eorum argumentatio conſtet. Tertullianus, ajunt, in opuſculo *de Teſtimonio animæ* ſit inſtar omnium. Ait autem a pluribus ſui temporis doctis & curioſis fuiſſe demonſtratum, *nihil Chriſtianos aut novum, aut portentoſum ſuſcepiſſe, de quo*, inquit, *non etiam communes & publicæ litteræ ad ſuffragium nobis patrocinantur, ſi quid aut erroris ejecimus, aut æquitatis admiſimus.* (e). Addit ſe *teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ*, ut vocat in Apologetico (f), non ab iis expetiturum, qui Scholis formati ſunt, & bibliothecis exercitati, quique *Academiis & Porticibus Atticis pavitam ſapientiam ructant. Te*, inquit, *ſimplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam* (animam) *compello, qualem habent illam*

(a) *Ad Rom.* I. *v.* 32.
(b) *Ibid. v.* 25.
(c) *Ibid. cap.* II.
(d) *Ibid. v.* 14. *&* 25.
(e) *Cap.* I.
(f) *Cap.* XVIII.

illam ipſam de compito, de trivio, de termino totam ... Ea expoſtulo, quæ tecum in hominem infers; quæ aut ex temetipſa, aut ex quocumque auctore tuo ſentire didiciſti. Quid autem expoſtulat? primum nempe, *Deum aliquem eſſe, eique omnem eſſe poteſtatem*, ideſt unicum verum eſſe, cui tota natura pareat. Deinde totum *bonum eſſe & beneficum*. Tum *naturalem animæ in Deum timorem* & reverentiam (*a*). Poſtremo naturalem alterius vitæ præſenſionem, miſeræ quidem, ſi inſitam juſti & honeſti legem violaverit; beatæ, ſi rite excoluerit. Hæc teſtimonia & *communia* vocat: *& quia communia, naturalia*: & quia *naturalia, divina*. *Magiſtra*, inquit, *natura: anima diſcipula. Quidquid ille edocuit, aut iſta perdidicit, a Deo traditum eſt, magiſtro ſcilicet ipſius magiſtræ ..... Quod quum ita ſit, non multum refert an a Deo formata ſit animæ conſcientia, an litteris Dei* (*b*). Et hac inſita & communi lege, quæ ubique eadem eſt, quia ubique idem Deus, eademque anima, omnes judicandos eſſe concludit, *Merito igitur*, ait, *omnis anima rea, & teſtis eſt; in tantum & rea erroris, in quantum teſtis veritatis* (*c*). Minutius Felix in *Octavio* (*d*) Chriſtianum hominem ſic deſcribit. *Igitur qui innocentiam colit, Domino ſupplicat: qui juſtitiam Deo libat: qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum: qui hominem periculo ſubripit, opimam victimam cædit. Hæc noſtra ſacrificia, hæc Dei Sacra ſunt. Sic apud nos RELIGIOSIOR EST ILLE, QUI JUSTIOR*. Eadem naturæ vox eſt, nam ea quoque philoſophi docuere, Plato ſæpe, Cicero *de legibus & de officiis*, Seneca, Epictetus, Plutarchus, Marcus Antoninus. Idipſum ſcribit Cicero veteres & rudes adhuc homines voluiſſe, quum *myſteria* inſtituerent: quum *caſta* ſervarent, quum longis *cæremoniis* initiarentur.

Atque hæc ferme ſunt, quæ Tindal, eumque recentiores Deiſtæ ſequuti tam ſæpe jactant, quo inſinuent, nihil aliud eſſe Chriſtianam profeſſionem, præterquam naturæ legem, eamque idcirco cum homine naſci. Id Julianus Apoſtata olim objectabat. Sed ea in declamatione ſæpe mihi ac turpiſſime peccare videntur Dialectici hujus temporis, ut uno aut altero ictu totam ejus vim repellere poſſis. Primum ita argumentantur, ut qua vi efficiunt naturæ legem & religionem

(a) *Cap.* II. (b) *Cap.* V.
(c) *Cap.* VI. (d) *Cap.* XXXII.

nem eſſe veram atque divinam, eadem conficiant veram quoque eſſe & divinam Chriſti inſtitutionem, qua illa probatur, explanatur, firmatur. Cur igitur tantopere divinis codicibus iraſcuntur? Cur illos riſu & jocis proſcindunt? Aut enim, Chriſtus, & Apoſtoli nihil aliud docent niſi quæ iſti vera exiſtimant, quæque *naturæ diſcipulis* (utar Tertulliani verbis) de ſinu ſuo promit; aut non ea tantum, ſed ſublimiora alia, & naturali rationi impervia occultaque: ſi primum, conſtat divinos eſſe eorum codices, quibus prima & inſita Dei traditio conſentit per omnia, nec idcirco iis illudi poſſe, quin & naturæ religio evertatur. At ſi non ea tantum docent, quæ eſt eorum ratiocinatio? Videlicet *a parte*, ut inquiunt Dialectici, *ad totum*: cujus ſophiſmatis pudere debet homines, qui nos rectam rationem docere profitentur.

Deinde malitioſe & aſtute a quæſtione dilabuntur: non enim diſceptamus, vera, nec ne, ſit, naturæ lex, & religio, ſed utrum his, qui nunc ſunt, hominibus curandis ſatis accommodata: non, ſimpliciter, ne perfecta ſit, ſed comparate. Deum & juſtitiam colere oportere eum, qui velit beate eſſe, omnibus natura ipſa dictat. In eo porro eſſe omnem virtutem poſitam omnemque pietatem, ut unicum hujus mundi opificem & patrem agnoſcamus: ut ita cum eo vivamus, quemadmodum cum optimo parente, rerumque omnium domino vivere par eſt: ut ne ullius jura violemus: ut cum omnibus hominibus homines eſſe meminerimus: hæc & natura docet, & lex, & Prophetæ & Chriſtus, & Chriſtiani omnes. Quis hæc vera eſſe dubitet? Sed illud primum quærimus, plene ne hæc & pure ſcire ſine ulla revelatione poſſimus? Quantopere hæc depravaverint non vulgus modo hominum, ſed ipſi in primis philoſophi, qui ſolam naturam ſequuti ſunt, in ſuperioribus copioſe demonſtratum eſt. Quærimus præterea, ut hæc plene cognoſcamus, ſatis ne in nobis ſit a natura virium, ut & ſincere amemus, & conſtanter ſequamur? Atque hoc eſt, quod fieri non poſſe, tota humana hiſtoria revincit: id præſertim ſacri Chriſtianorum codices docent: ea in primis eſt Chriſtiana profeſſio. Sint Deiſtæ noſtri verecundiores: diſſimulare enim veritatem turpiſſimum eſt philoſopho. Iidem enim divini vates, qui docent, *juſtum & ſapientem eſſe, qui & Deum noverit, qui ejus legem contempletur die ac nocte: qui in ea ambulet*; illud quoque tradunt, depravatum eſſe

& ſœ-

& fœdum hominum omnium ingenium, idque *a nativitate: in peccato nos concipi: in tenebris nos ambulare, & in umbra mortis:* neminem ad Deum poſſe rite & caſte accedere, niſi eum Deus ipſe *novo lumine illuſtraverit*, atque diffuſa in ejus corde caritate *ad ſe traxerit:* non eſſe nos natura noſtra *ſufficientes ne cogitare quidem aliquid boni, ſed omnem ſufficientiam noſtram eſſe a Deo: Eum eſſe patrem luminum, ab eoque omne bonum deſcendere.* Hoc ipſum antiqui illi Apologiſtæ non obſcure, nec uno in loco, ſed aperte & ſæpe profitentur. Nam etſi nemo dubitat, quin anima humana ſemina ſecum cæleſtis doctrinæ trahat; at quo plene ſit Chriſtiana non a natura habet, ſed a diſciplina: *fieri enim, non naſci ſolet Chriſtiana*, inquit Tertullianus (*a*). Quæ ſatis eſſe poſſent ſuperiori ſophiſmati refellendo. Sed procaces Deiſtæ nos vetant eſſe Laconicos. Explanemus igitur illa, quæ objiciunt, paullo minutius. Ex ſola naturæ lege veteres ante Moſem homines juſtos, vel injuſtos decerni ajunt. Quæro, unde id didicerint? Ex divina, ajunt, ſcriptura. At ex eadem diſcere poterant, Deum non natura tantum, ſed verbis quoque veteres illos mortales inſtituiſſe. Erant theodidacti, atque vel id temporis Chriſtiani. Itaque factum eſt, ut antiqui Apologiſtæ in primis Euſebius, & Auguſtinus (*b*) Chriſtianiſmum & ipſi tam eſſe antiquum ſcripſerint, quam Adam; nec tamen, quod Tindal contendit, docuerint: doctrinam ſcilicet Chriſtianam vel ab initio humani generis a Deo revelatam docent, non a natura hauſtam. Ea & traditione in omne hominum genus pervagata eſt, & crebro novis prophetiis a Deo inter Patriarchas & Judæos promulgata. Id Paulus quoque docet *in epiſtola ad Hebræos*. Inde igitur juſti Mathuſala, Noemus, Abrahamus, Jobus, atque reliqui veteres, quos divini libri commendant.

Jam Chriſtus amore Dei, & proximi totam juſtitiam comprehendi præcipit; quia ſcilicet, ut diſputat Paulus, ea ſubſtantia eſt, id fundamentum & naturalis, & revelatæ legis. Sed ut quid Deo & hominibus debeamus plene intelligamus, & poſtquam intelleximus, ut integre ac rite ſervemus, id a natura non eſſe totum, Evangelium omniſque Chriſtiana profeſſio docet. Homines omnes, Judæos & Græ-

(a) *Libro ſup. laudato cap.* I.
(b) *Euſeb. ſæpe in præparat.* Evang. *Aug.* de tetract

cos ex lege judicari ſcribit Paulus: hanc legem eſſe non in ſolis tabulis lapideis exaratam, ſed antiquitus in omnium hominum corde inſcriptam. Scribit enim vero. Sed idem Paulus docet, nec hanc Judæorum, nec illam naturæ legem ſine Chriſti gratia nobis prodeſſe. Totus eſt vir divinus in hoc explicando in illa eadem epiſtola, qua iſtia buttuntur. Qui cum recta ratione vivunt, eos cum Chriſto vivere & Juſtinus Martyr & alii permulti veteres Chriſtiani aperte dicunt. Nihil verius dici potuit. Eſt enim, non quæcumque ratio, ſed recta, participatio quædam divinæ rationis: ex dogmatis autem chriſtianis tota divina ratio eſt Chriſtus. Sed ut & rectam in omnibus habeamus rationem, & cum *recta ratione* vivamus, id ſola naturæ vi poſſe diſerte negant, atque tot locis, ut qui ejuſmodi teſtimonia velit efferre, integra eorum opera exſcribat, oportet. Nam totius cum paganis diſceptationis duo erant conſtituta illi ſumma capita. Primum *Dii, Deæque Paganorum efficere ne homines beatos poſſent?* Alterum, *præſtare ne id poſſet philoſophia?* Quæ illi non ſolum negant, ſed utramque mirifice vexant. Id agit Juſtinus in *Dialogo cum Tryphone Judæo*, ut videlicet demonſtret *hominis mentem, quæ non fuerit Spiritu Sancto delibuta atque exornata, numquam pure ipſam per ſe ad Deum attingere* (*a*), *ſolamque Chriſtianam philoſophiam certam eſſe & utilem*. Hoc ipſum agit tertio & quarto libro *divinarum Inſtitutionum* Lactantius; in quorum altero philoſophiam vanitatis & erroris redarguit; in altero, veram ſapientiam non eſſe, niſi a Deo demonſtrat. Sed nemo tam acriter tamque vehementer philoſophiam & philoſophos depexuit, quam Tertullianus ipſe, qui ſæpe illam *veritatis concuſſionem*, *hos famæ negotiatores*, *veritatis interpolatores vocat*; *animalia gloriæ*: *adulteros credentium*: *fabulatores*: *veritatis corruptores*. Placidius Auguſtinus, quum alibi, tum præcipue in libris *de Civitate Dei*: nec tamen magis aut philoſophis, aut philoſophiæ parcit. Quin ipſos ait philoſophos *in habenda, non quacumque, ſed vera philoſophia, divinam gratiam cogi confiteri* (*b*). Nam Tullius nullum majus donum a Deo

(a) τον Θεον ανθρωπυ νες οψεται ποτε, μη ἁγιῳ πνευματι κεκοσμημενος.

(b) *De Civit. D. lib.* XXII. *cap.* 22.

a Deo hominibus datum, quam philoſophiam, dum ſcribit, agnoſcit interea, *paucis veram dari* (*a*).

CAPUT IV.

De veritate Religionis Chriſtianæ, ac primum de genuitate librorum Evangelicorum.

POſtquam demonſtratum eſt, homines ſuapte ratione & vi ſine Divina revelatione & gratia nec inter ſe recte ac ſapienter vivere poſſe, nec cum Deo ſancte; conſequens eſt, ut in illud inquiramus, verſetur ne inter homines divina aliqua doctrina ac lex, cujus vi homines officia ſua rite poſſint componere? Ac verſari aliquam tria probant, 1. hominis indigentia, 2. Dei ſumma bonitas ac providentia, 3. nationum omnium maximus conſenſus. Nam nec homo beatitudinem ſine Dei doctrina aſſequi poteſt; nec ſumma Dei beneficentia pati, ut homines ſui finis incerti vagentur: & nationum omnium temporum, omniumque locorum mirifica ſuper hac re conſenſio, unde proficiſci potuit, ſi nihil divinitus unquam acceperint, ad vitam & religionem quod pertineat? Quum autem vulgatum ſit inter eos, qui Chriſtiano nomine cenſentur, non ſolum eſſe aliquam inter homines doctrinam divinitus revelatam, quæ nos ad mores, ac Dei cultum & pietatem plene inſtituere poſſit, verum quoque eam iis libris contineri, qui idcirco divini habentur, ut Deiſtis morem geramus, ad publicam hanc atque perantiquam tot gentium perſuaſionem perpendendam aggrediamur, ac ita aggrediamur, quaſi heri aut nudiuſtertius in has regiones devenerimus, ne quidquam ex anticipatione concluſum profanum genus obmurmuret. Rem autem ita partiemur, ut quoniam Chriſtiana pietas & religio libris iis potiſſimum continetur, qui Novi Teſtamenti dicuntur, eorum primum genuinitatem, veracitatem, divinitatem explicaturi ſimus, deinde in libros Veteris Teſtamenti inquiſituri.

Prop. XXXVIII. Libri Novi Teſtamenti genuini ſunt.

D. Liber genuinus eſt, qui ab omnibus qui Scriptoris ætatem proximæ conſecuti ſunt, genuinus eſt habitus: tales autem ſunt libri Novi Teſtamenti: nam non Chriſtia-

(a) *Lib. 1. acad. Idipſum* Plato *fatetur in Timæo*.

ni modo omnes, qui tempora Apoſtolica conſecuti ſunt, ſed Ethnici quoque Authores, Apoſtolis, ideſt Jeſu-Chriſti diſcipulis, tribuerunt; ſunt ergo genuini.

§. I. Librorum Novi Teſtamenti genuinitas iis argumentis demonſtratur, quibus inter homines nulla eſſe poſſunt certiora. Liber genuinus is eſt, qui ab eo Auctore ſcriptus eſt, a quo ſcriptus eſſe dicitur, aut eo circiter tempore, quo ſcriptus eſſe fertur. Omnis autem liber eſt genuinus, qui genuinus habitus eſt omnibus proxime & continua ſerie ſequentibus eum ætatibus. Ita Cæſaris Commentarios genuinos eſſe non dubitamus, quum & proxime conſequentium ætatum, & aliorum iis ſuccedentium conſtanti teſtificatione conſtet: nam & genuinos agnoſcunt Cicero, & Hirtius, ac deinde Strabo, tum Svetonius, & Plutarchus, & Grammatici poſtmodum veteres, ac reliqui ſubinde ad hanc uſque ætatem Scriptores. Sunt autem libri Novi Teſtamenti genuini habiti ab omnibus ſequentibus Apoſtolos Jeſu Chriſti ætatibus ad nos uſque perenni confeſſione, uti conſtat non ex traditione tantum popularium omnium Chriſtianorum, ſed nobiliſſimorum Authorum, Clementis Romani Pontificis, Ignatii, Polycarpi, Papiæ, Quadrati, Ariſtidis, Agrippæ, Hegeſippi, Juſtini Martyris, Melitonis, Theophili Antiochenſis, Apollinaris, Irenæi, aliorumque ſecundi a Chriſto ſæculi Auctorum. Tum Tertulliani, Clementis Alexandrini, Apollonii, Polycratis, Origenis, Hippolyti, Cypriani, Dionyſii Alexandrini, aliorumque tertii ſæculi Doctorum. Poſtremo omium, quotquot Eccleſia Chriſtiana Scriptores habuit nobiliſſimos ac celeberrimos, una eſt eademque teſtificatio. Genuini ergo ſunt libri Novi Teſtamenti. Utitur hoc argumento ſtrenue Auguſtinus adverſus Fauſtum Manichæum, qui adulteratos eſſe Novi Teſtamenti libros effutiebat: *Platonis*, inquit, *Ariſtotelis*, *Ciceronis*, *Varronis aliorumque hujuſmodi Auctorum libros*, *unde noverunt homines quod ipſorum ſint*, *niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua* (*a*)? Quod ſi quis ne id quidem ad fidem faciendam ſatis firmum putet, videat quo argumento probare poſſit proavita bona hæreditario jure ad ſe pertinere. Vide Huet. in demonſt. Evang., & hiſtoriam textus Novi Teſtamenti Millii per omnia ſæcula continuatam in Prolegomenis ad No-

---

(a) *Lib. 33. cap. 6.*

Novum Teſtamentum, & Richardum Simonium (*a*).

§. II. Audiamus quibus argumentis tantam Chriſtianorum perſuaſionem ac tam ſolide conſtabilitam Deiſtæ noſtri evertere conentur. Primum, Chriſti, inquiunt, Diſcipuli, qui horum librorum Auctores feruntur, homines erant analphabeti, ideſt litterarum inſcii: ſcribere igitur ipſi libros iſtos non potuerunt; genuini ergo non ſunt. Sed litterarum omnium imperitos eos eſſe oportet, qui hunc in modum argumentantur. Primo plures Chriſti Diſcipuli, eorum, qui Auctores feruntur librorum Novi Teſtamenti, litteras ſciviſſe conſtat. Nam Matthæus cum Telonio præeſſet, litterarum erat haud dubium peritus. Lucas Philoſophus erat & Medicus, ut Hieronymus teſtificatur (*b*). Paulus in Moſaica lege a Gamaliele fuerat eruditus. Marcus ab Apoſtolis in Philoſophia Chriſtiana inſtitutus, ac Alexandriæ Epiſcopus præfectus, & ipſe litterarum peritus eſſe debuit, ſaltem ita vetus perſuaſio fert, quam nullo argumento ex antiqua hiſtoria deprompto refellent Deiſtæ. Controverſia ergo redit ad Jacobum, Joannem, Petrum, & Judam, quos fuiſſe piſcatores traditum eſt in his ipſis libris. Sed primum id non obſtat, quominus legere & ſcribere ſciverint, cui Hebræi ferme omnes ſtudebant, utpote qui legem deberent ediſcere. Ac Origenes quidem ea de re adverſus Celſum diſputans (*c*) piſcatores, ait, fuiſſe Apoſtolos, ſed non profeſſione & inſtituto nautas, ut neceſſarium fuerit litteras ignorare. Deinde demus eos amanuenſibus uſos, eſt quod deroget eorum librorum genuinitati? Neque enim vero minus genuinus liber erit, quem ego dictavi, quam quem ego ſcripſi. Hieremias Propheta Baruc amanuenſi eſt uſus. Perridiculum autem fuerit idcirco ejus ſcripta minus habere genuina.

§. III. Sed (videant quam liberaliter agere decreverimus) demus tantiſper, nihil conſtare ex antiquis monumentis, ſcribere ne Apoſtoli ſciverint, quum interim conſtet vetuſtiſſima omnium Chriſtianorum traditione, hos libros, de quibus agimus, ab iis fuiſſe ſcriptos, quibus tan-

(a) *Hiſtorie critique du texte du nouveau Teſtament cap. 1. tum Stackouſe le ſens litteral de l'Ecriture S. tom. 2, cap. 1.*

(b) *De Scriptoribus Eccleſiaſt. in Luca.*

(c) *Lib. 1. adverſus Celſum.*

dem argumentis eam perſuaſionem convelleat Deiſtæ? Neceſſe enim eſt, ut hujuſmodi argumenta ejus ſint ponderis, quo vetus illa fides elevari poſſit: alioquin ſtultum fuerit ab ea diſciſcere nulla alia ratione motos, præter quam libidine contradicendi. Jam quæ ſunt hæc argumenta Deiſtarum? Legere, inquiunt, ac ſcribere neſciverunt Apoſtoli. Unde id reſciverunt? Nam tota iis adverſatur vetuſtas. Scilicet erant piſcatores. An idcirco litterarum inſcii? Potuere, inquiunt, eſſe analphabeti. Perbelle profus. Quaſi vetus hiſtoria tanta teſtium concordia confirmata nullo alio argumento, niſi frigido hoc *potu ere* rejici poſſit. Quod ſi in cæteris columina iſta criticæ & dialecticæ faciant, næ ii puerorum luſus ſunt.

§. IV. Opponunt ſecundo, pleroſque Novi Teſtamenti libros ab antiquis aliquot repudiatos fuiſſe ut ſuppoſitos, veluti Evangelium Lucæ a Cerintho, & Carpocrate: Johannis Evangelium ab Alogis: Acta Apoſtolorum, & Pauli Epiſtolas a Severianis, & Cerinthianis; alia ab aliis; non conſtat igitur de horum librorum genuinitate. Sed mirum eſt a viris Critices, ut videri volunt, peritis poſſe urgeri paucorum impudentiam, aut potius rabiem, contra veterum omnium conteſtationem! Nam ſi hujuſmodi argumenta vim habent aliquam, dicamus etiam Herodoti hiſtoriam Conſtantini temporibus confictam fuiſſe, quod id Jacobo Gauderio placuerit: Æneidem Virgilii a Benedictinis elucubratam, quod id velit Harduinus. Non pudet Deiſtas inteſtabiles homines pro cauſa ſua appellare? Nimirum mos fuit hæreticorum omnium, eos divinæ Scripturæ libros repudiare, quos erroribus ſuis contrarios eſſe intelligebant, quod adnotatum Irenæo. Ita Vetus Teſtamentum repudiaverunt quicumque inde arguebantur. Alogi quum negarent Chriſtum eſſe λόγον Dei. Joannis Evangelium rejecerunt, unde revincebantur (*a*). Cerinthiani quum circumcidi oportere Chriſtianos arbitrarentur, in libros Paulinos invecti ſunt. Similibus ex cauſis alii agitati Eccleſiæ ſeſe oppoſuere. In quibus idcirco quid præſidii Deiſtæ noſtri reperire poſſunt? Niſi ſi una cum illis inſanire velint.

§. V. Jam opponunt tertio, libros iſtos corruptos eſſe, ac plane diverſos ab iis, quos Apoſtoli ſcripſerunt. Id vero ſic nituntur probare. Primum hæc narrat Victor Tuno-

(a) *Vide Epiphanius hæreſi* 51.

Tunonenſis Epiſcopus Africanus Auctor coævus: *Meſſala conſule, Anaſtaſio Imperatore jubente, Sancta Evangelia, tamquam ab idiotis Evangeliſtis compoſita, reprehenduntur, & emendantur*. Victoris hujus Chronicon, in quo hæc leguntur, primum editum fuit Ingolſtadii per Caniſium Anno 1600. deinde a Scaligero ad Chronicon Euſebii. Refert porro Victor, idem factum narrari ab Iſidoro Hiſpalenſi in ſuo Chronico. Et leguntur hæc eadem verba in Chronico Iſidori Hiſpalenſis edito Pariſiis Anno 1607. Non dubito, quin hinc Mahummedani Alkorani conditores acceperint id, quod ſæpe ſcribunt, nos corrupiſſe Evangelia. Deinde infinitæ, inquiunt, propemodum ſunt variæ lectiones in libris novi Fœderis, id quod Novum Teſtamentum Millii abunde demonſtrat. In præfatione Novi Teſtamenti editi a Weſtenio triginta millia variarum lectionum numerantur. Vix tot ſunt verba Novi Teſtamenti. Tertio vero ſic argumentantur: pleraque ſunt, quæ veteres Patres ex ſcriptis Apoſtolicis citant, quæ non ſunt in libris, quos habemus, aut diverſa ſunt. Prioris generis eſt illud, quod apud veteres plures reperitur uſurpatum: *eſtote probi nummularii*, quodque in Novi Teſtamenti libris nullibi extat. Poſterioris generis eſt hoc in Epiſtola 2. Clementis: *Si exiguum non ſervaſtis, quis magnum vobis dabit? Dico enim vobis, qui fidelis eſt in minimo, & in multo fore fidelem*. Quæ verba leguntur quidem apud Lucam, ſed plane diverſo modo.

§. VI. Quaſi triumphat his argumentis Collinus (*a*). Sed pudet me hic Deiſtarum ingenii: quid enim produci potuit ineptius? Primum, quid conatus fuerit Anaſtaſius (neque enim factum illud negare nunc oportet) non inquiram (*b*): neque enim id nunc neceſſe eſt. Demus, quod iſti ſibi blandiuntur, violentas manus ipſis Apoſtolorum codicibus injeciſſe; id non magis evertet eorum Codicum, quos nunc habemus, integritatem, quam conatus tot aliorum hæreticorum, qui exemplaria quædam divinarum Scripturarum itidem depravaverunt, *quo accommodarent eloquia Domini male compoſito phantaſmati*, ut de Valentinianis loquitur Irenæus (*c*): neque enim Eccleſia, quæ in accurandis libris Sacris diligentiſſima ſemper fuit, ut una Euſe-

(a) *Libertè de penſer*. (b) *Vide Hutvillium la Religion Crétienne l. 1. cap. 12.* (c) *Lib. 1. cap. 1.*

bii hiſtoria docet, Anaſtaſii illo Codice uſa deinceps fuit; ſed eo quem per manus ab Apoſtolis acceperat, quod facillime demonſtrari poteſt conferendo eos Evangelicos codices, quos nunc habemus, cum Commentariis veterum Theologorum Anaſtaſio antiquiorum, quod egit Millius in Prolegomenis copioſiſſime. Id inde intelligetur, quod quæcumque veteres illi Theologi ex libris Evangelicis citant, ea eadem in noſtris leguntur, ſi paucas variantes lectiones, aut Amanuenſium ſphalmata excipias, quæ rei ſubſtantiam non attingunt, ut paulo poſt oſtendemus. Ac ea, quæ veteres illi Theologi deſcribunt loca librorum Evangelicorum, tot ſunt numero, ut ſi in unum colligantur, ac ordine ſuo componantur, integrum conflatura ſint Novum Teſtamentum, quod nunc habemus: adeo ne apices quidem illis exciderunt, in quos Commentarios ſcriberent. Quocirca etiamſi vera ſit hæc hiſtoria, quum perſpicuum ſit, præſentes Evangeliorum libros eoſdem eſſe, ac eos, quibus ante Anaſtaſium Eccleſia utebatur, Deiſtarum inde petitum argumentum nullius momenti eſt, niſi ſimul demonſtrent, & Anaſtaſium cætera omnia Evangeliorum exemplaria flammis addixiſſe, quacumque patebat Chriſtianiſmus, & totam deinde Eccleſiam Anaſtaſiano exemplari uſam. Oportuit id videre homines, qui rationem totum humanum genus docere ſunt aggreſſi. Quid quod ne Anaſtaſii quidem ille conatus totos Evangelicos libros ſpectavit? Vide ut id demonſtrat Hutvillius in loco ſuperius laudato.

§. VII. Quod autem veteres quandoque Patres aut citent Evangeliorum ſententias verbis ab iis, quibus nunc in iis libris conceptæ ſunt, diverſis; aut eas, quæ nunc non extant, id ex pluribus cauſis fieri potuit, quæ librorum hujuſmodi integritati non officiunt. Primum Veteres illi ſæpe memoriter ſententias Scriptorum divinorum citare ſolent, nec ſemper loca conſulere, quum ſcribunt. Itaque mirum non eſt, ſi quandoque verbis diſcrepent. Quid quod plerumque unum pro alio librum citent? Sæpe quoque generatim *Scripturam* citant, non addito nec Auctore, nec libro, id quod eos memoriter ſæpiſſime Scripturarum ſententias laudaſſe demonſtrat. In Epiſtola (*a*) Ignatii ad Smirnæos extat hæc ſententia ex Evangelio, *apprehendite & contrectate me, & videte, quod non ſum incorporeus ſpiri-*

(a) *Apud Euſeb. in hiſtoria Eccleſiaſt. lib. III. cap. 36.*

ſpiritus. Euſebius profitetur, ſe ignorare unde ſit deſumpta; in quo ego ſolitam hominis diligentiam requiro: paucis enim variatis verbis legitur apud Lucam (*a*), probatque, quod dixi, memoriter ſæpe citaſſe Scripturam Patres, nec verba ſemper ſpectaſſe, ſollicitos de ſententiis.

§. VIII. Deinde antiqui illi Patres ſententias quaſdam, quæ ex traditione tantum habentur, velut Scripturam citant, non dubitantes, idem utramque habere pondus. Obſervatum id Clerico (*b*). confirmatumque loco Barnabæ ex Epiſtola catholica. Præterea placuit quibuſdam & hæc quoque cauſa hujus variationis, quod veteres aliqui non raro Apocryphis libris uſi fuerint, quos a genuinis id temporis non ſatis diſcernere valebant (*c*). Librum Paſtoris plures antiqui velut Canonicum habuerunt. Sed ferebantur ea ætate alia Evangelia, velut ſecundum Ægyptios, Hebræos, duodecim Apoſtolos, Petrum, Mathiam: ferebantur aliæ Apoſtolorum Epiſtolæ,& alia Acta Apoſtolorum (*d*), quæ Gelaſius Papa in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum tandem apocrypha definivit. Non probat Huetius hanc reſponſionem. Et vero generatim falſum eſt, hujuſmodi libros non publica Eccleſię traditione velut impoſturas Gnoſticorum aliorumque Hæreticorum habitos, quum & Irenæus, & Euſebius, & Epiphanius, aliique veteres Scriptores diſerte id ſæpe notent. Sed negari non poteſt, librum Paſtoris apud quaſdam Græcas Eccleſias publice lectitatum (*e*): & Irenęum ac Origenem ſub nomine Scripturæ laudaſſe. Fecit idem quandoque Tertullianus, qui deinde Eccleſiæ traditionem doctus vocavit *Scripturam Apocrypham & falſam*, *& omni Concilio noſtrorum damnatam* (*f*). Negari quoque nequit Clementem Alexandrinum habuiſſe pro libris divinis Epiſtolam Barnabæ, Revelationem Petri, & alios libros, quod ex illius monumentis patet, agnoſcitque Euſebius (*a*). Sen-

(a) *Lucæ* 24. *V*. 39.
(b) *Ad Hammondum Matth*. 11. *V*. 23.
(c) *Vid. Simonium Critique du texte du nouveau teſtament.*
(d) *Vide Fabricium in Codice Novi Teſtam. Pſeudoepigrapho & Simonium loco citato cap.* 3.
(e) *Vide Hieronymum de Script. Eccleſiaſt. in Herma*, *& Euſebium lib.* III. *hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap.* 3.
(*f*) *De pudicit. cap.* 10. *&* 20.

(*a*). Sententiam illam, *eſtôte probi nummularii*, quam & Origenes (*b*), & Dionyſius Alexandrinus (*c*), & Cyrillus Hieroſolymitanus (*d*) laudant, ex Evangelio ſecundum Hebræos hauſtam cenſuit Uſſerius, probavitque Valeſius (*e*). Certe Hieronymus (*f*) ex traditione Chriſti eam ſententiam profecta docet. Potuit autem ex traditione colligi ab Auctore Evangelii *ſecundum Hebræos*.

§. IX. Quod ſpectat ad variantes lectiones, hæc duorum ſunt generum, aliæ quæ ſententias, aliæ quæ verba attinent, integris ſententiis. Prioris generis variationes, ſeu potius corruptiones, ſaltem in locis, quæ fidem & mores continent, nullas eſſe in ſacris Novi Teſtamenti codicibus, vel ex eo perſpicuum eſt, quod nullæ hucuſque ejus generis produci a Deiſtarum diligentiſſimis potuere. Poſterioris vero generis, etſi aliquæ ſint (nam eas antiquitus extitiſſe agnovit Origenes (*g*), & Hieronymus (*h*) ea tamen integritati horum librorum non officiunt, quando incorruptæ perſtant ſententiæ. Sed terret quoſdam numerus triginta millium variantium lectionum! Nempe totius rei, de qua agitur, imperitos. Hic enim numerus totus conflatus eſt & ex omnibus paulo antiquioribus Codicibus, quum editis, tum manuſcriptis, & ex meris grammaticis variationibus. Quum autem in tanta antiquitate nullius libri tot diſſeminata fuerint exemplaria, quot Codicum Evangelicorum, mirum eſſe non debet tot in iis Amanuenſium menda reperiri. Per XIV. enim ſæcula, in quibus ars Typographica ignota fuit, infinities propemodum Codices ſacri ſunt deſcripti, nec ſemper ab accuratis, & doctis librariis (*i*).

§. X. Ex his autem vetuſtis Codicibus manuſcriptis, magna ex-

(a) *Lib. VI. Hiſtoriæ Eccleſ. cap.* 13. 14.
(b) *Tom.* 19. *in Evangelium Johan.*
(c) *Apud Euſebium lib. VII. hiſtoriæ Eccleſ. cap.* 7.
(d) *Catheſi* 6.
(e) *In Notis ad Euſebium Lib. VII. hiſtoriæ cap.* 7.
(f) *In Epiſt. ad Miner. & Alex.*
(g) *Homil. In Matth. Vide & Ambroſium in Ep. ad Rom. c.* 6.
(h) *In Epiſtolam ad Rom. cap.* 5. *& in Præf. ad Pentat. & Præf. in quatuor Evang.*
(i) *Vide Præfat. Kunſteri ad Edit. Lipſienſem Novi Teſtamenti Milliani.*

ex parte privatis, totus ferme variantium lectionum numerus collectus eſt. Nam ii Codices, qui ut exemplaria in Eccleſiis habiti ſunt, quoſque ſolos in hac controverſia conſiderare debemus, admodum exiguam variarum lectionum copiam ſuppeditant. Atque hæ quoque variationes ſi cum veteribus commentatoribus conferantur, ita facile emendari poſſunt, quemadmodum ſunt emendatæ, ut non ſuperſit locus, qui dubiam, aut corruptam ſententiam referat. Enim vero in ipſis Millianis variationibus quænam eſt, quæ in iis, quæ Chriſtianam doctrinam ſpectant, aut dubiam, aut corruptam ſententiam contineat, aut ſaltem, quæ collatis pluribus exemplaribus, & veterum commentariis non ſit in iis Codicibus, quibus utimur, ad ſuam genuinitatem redacta? Sed magna pars variantium lectionum, quas protulere Millius & Weſtenius grammaticæ ſunt, nec ad ſententias pertinent. Exemp. gr. Matth. II. v. 6. ποιμανι pro ποιμανει, quod vetuſtis librariis frequens, eſt, qui ι cum ει ſæpe mutant. Reperias quandoque τι pro οτι. Lucæ XII. v. 36. αναλυση pro αναλυσει. Lucæ XVII. v. 22. ετι δυμησητε pro ετι δυμησετε mutato ε in η. Ibidem v. 32. in quibuſdam codicibus Λωδ pro Λωτ. Ad Corinth. II. v. I. in quibuſdam exemplaribus deeſt γαρ. Ad Galatas IV. v. 6. Υιοι, *filii* cum emphaſi; in aliis codicibus additum Θεῦ, quod perinde eſt. Plurimæ ſunt horum generum variantes lectiones. Jam non minor pars ſunt verba quædam primum in margine adnotata ad ſententiæ claritatem, quæ deinde irrepſere in ſequentes codices. Cæteræ variæ lectiones nihil officere potuere, quominus Eccleſia Catholica, collatis, ut dixi, pluribus antiquis exemplaribus, & Patrum commentariis, emendatiſſimam nobis daret authographorum editionem. Vide B. Auguſtinum de utilit. credendi cap. III.

§. XI. Sed retractemus hæc, quo ineptiſſimum ſcrupulum Collini admiratoribus penitus avellamus. Primum dico varias hujuſmodi lectiones tantum abeſſe, ut textus integritati officiant, ut potius mirum in modum confirment. Quod ſic demonſtro. Eæ, aut recentium ſunt codicum, quales bona ex parte ſunt Millianæ & Kunſterianæ, aut e codicibus publicis vetuſtiſſimis, vel e libris Patrum Græcorum, Latinorumque hauſtæ. Primi generis lectiones variantes jure merito contemni poſſunt, quando præſentes Novi Teſtamenti Codices ad fidem vetuſtiſſimorum & publicorum,

aut

aut librorum Patrum quatuor priorum ſæculorum accuratiſſime probari poſſunt, ac dari emendatiſſimi. Neque enim critico habenda ratio eſt recentium veterum Auctorum codicum, ac oſcitantiæ, imperitiæ, malitiæ novellorum librariorum, vel etiam editorum, niſi is ſe omnino critices imperitum demonſtrare velit. Lectiones vero ſecundi generis, in duas ego claſſes confero, *rerum*, & *verborum*. Rerum variantes lectiones exiguo ſunt numero, quod agnoſcit Kunſterus ipſe in præfatione, quodque legendo Millii Novum Teſtamentum nemo eſt, qui non ſtatim intelligat. Sed eæ quoque, ut ex inferius dicendis patebit, nec ſyſtema doctrinæ Evangelicæ ullo pacto aut incertum reddunt, aut dubium, nec ipſam Evangelicam hiſtoriam: eas ſpectant res, quibus etiam ſi careamus, & doctrinæ ſyſtema, & hiſtoriam Evangelicam integra haberemus. Præterea nulla eſt, quæ collatis veterum Patrum libris, uti Kunſterus juxta, & Millius agnoſcunt, ac fatentur, non ad veram, & genuinam referri poſſit. Hoc vero totum mirifice integritatem codicum Novi Teſtamenti comprobat: nam & probat iiſdem veterem Eccleſiam codicibus uſam, quibus nos utimur, & in tot veterum codicum uſu, ac tanto temporis ſpatio nullum in eos errorem obrepſiſſe, qui aut vitiaret, aut obſcuram, & incertam doctrinam Evangelicam redderet. Verborum autem lectiones variæ, quæ totum ferme illum numerum abſorbent, tales ſunt, quas mediocriter in Græca lingua verſati internoſcunt facillime: linguæ vero Græcæ ignaris nihil officere poſſunt ad rerum intelligentiam, quam ex verſionibus habent.

§. XII. Utrumque iſtud nunc demonſtremus. Unum caput Novi Teſtamenti Milliani perpendemus, quo judicium de cæteris fieri poſſit. In primo igitur capite Evangelii Matthæi variantes lectiones, omiſſiones, additiones, corruptiones ex quinquaginta propemodum exemplaribus numerat Millius circiter quinquaginta, quod mirum eſſe non debet in tanta codicum varietate, quinimmo mirum eſt non plures repertas. Earum autem mere grammaticæ, quæ nullo modo ſenſum turbant, quæque a pueris animadvertuntur, ſunt 33. circiter. Ex. gr. v. 3. Εσρὸν, pro Εσρώμ. v. 4. Αμιναδαμ, pro Αμιναδαβ. ibid. Ακσσων, pro, Αασον. Νασσων pro Ναασσων. v. 5. Ωβηδ, pro Oβιδ, Ιωβηδ, pro Ωβηδ. v. 6. Σολομωνα, pro Σολομωντα. v. 7. Ασσα,

Aσα, Ασαφ, pro Ασα. v. 10. Μανασῆ, pro Μανασσῆ, uno ſcilicet σ pro duplici deſcripto, quod operæ pretium cenſuit diſerte adnotare Millius. Quis tam leves curas non rideat? Præterea Αμμων pro Αμων, adnotaſſet & hic duplo pro uno μ. v. 11. Ιεχωνιαν pro Ιεχονιαν, ο in ω mutato. Quid perſequar hujuſmodi ineptias? Eſt ne quiſquam, qui ob ejuſmodi variationes MM. codicum codices ipſos in dubium vocare audeat, præſertim Deiſtarum, qui gravem & incorruptam rationem ſectari profitentur? Porro *defectus*, qui dicuntur, niſi me feſtinans oculus feſellit, numerat 12. qui tales ſunt, ut ſenſum nullo pacto turbent. v. pro Βιβλος γενεσεως Ιησου χριστου: in Æthiopico deeſt χριστου. v. 5. *Salomon autem genuit Booz de Rahab*: in veteri codice incuria ſcribæ deeſt Rahab. Deſit in omnibus, inquam, ut & prius illud χριστου, an quidquam de ſententia decedet? Jam v. 16. *David autem Rex genuit Salomonem:* in pleriſque deeſt τον ο βασιλευς, *Rex*: quaſi vero ſi deſit etiam in omnibus ignorari poſſit, Davidem Salomonis Patrem fuiſſe Judææ Regem. v. 18. in vulgata deeſt *Jeſu*, poſito tantum, *Chriſti*; *Chriſti autem generatio ſic erat*, quum in cæteris Græcis legatur, *generatio autem Jeſu Chriſti*, id quod nullius momenti eſt, ut patet. v. 20. *Ecce Angelus Domini*: deeſt in pleriſque του κυριου: item nugæ. Nec majoris momenti ſunt alia, quæ, ne faſtidio ſim lectori, lubens omitto. Ejuſdem naturæ ſunt additiones, quas nunc me piget referre, ut & immutationes verborum, quarum quatuor potiores verſiculis 20. 21. 22. & 23. contigerunt in quibuſdam codicibus, quæque nullo modo ſenſum mutant. Ita v. 20. φαινεται pro Εφανη: & v. 21. Καλεσουσι pro Καλεσεις, *vocabunt*, pro *vocabis*. Ex his paucis exemplis de cæteris judicabit lector æquus, ut intelligere poſſit, quam inepti ſint Deiſtæ noſtri, qui hoc argumento genuinitatem librorum Novi Teſtamenti impetunt, & ſtupide admiratorum plauſum captant.

CAPUT IX.

De Lege Evangelica.

PRop. XXXIX. Lex Chriſtiana eſt, 1. recta. 2. Deo digna. 3. naturæ humanæ dignitati conſentanea. 4. ad homi-

minum felicitatem etiam dum hic vivimus efficiendam comparata.

D. 1. pars. Lex recta eſſe debet & eorum jurium cuſtos, quæ jura naturaliter hominibus conveniunt, ut ſcilicet cuique ſua ſarta tecta ſerventur; & humanitatis conciliatrix, ut alii aliis laborantibus opitulari & diſcant, & velint: & cuique ſapienter beateque vivendi inſtrumentum: paucis, juſtitiam ſtatuere inter homines debet, & beneficentiam, vitæ honeſtatem, & tranquillitatem: talis autem eſt lex Chriſtiana; ejus enim ſumma eſt, *ut neminem lædamus; ut cuique jus ſuum ſinamus eſſe integrum: ut omnes homines non ſecus amemus, atque noſmetipſos: ut in omnes benefici ſimus, ut animo perfecti ſimus, ejuſque perturbationes omni ſtudio rationi parere aſſuefaciamus*: Eſt igitur recta. Ac vero, aut nulla regnare inter homines juſtitia debet, nulla humanitas, nulla beneficentia, nulla honeſtas; aut ea lex omnibus numeris eſt perfecta, quæ in ea re eſt tota. Nulla velle juſtitia adſtringi, nulla humanitate, nulla honeſtate neſcio, an ſit hominis ſani ſincipitis: certe non is eſt communis gentium ſenſus. Ergo ea lex habenda eſt perfecta, quæ id ſpectat, ut juſti ſint homines, & humani, & honeſti.

D. 2. pars. Quæ lex & cum natura conſentit per omnia, & homini ſervando & beando ſervit, ea eſt profecto Deo digna, cujus nequit alia eſſe voluntas, niſi ut homines & ſint, & beati ſint. Quum autem talis ſit lex Chriſtiana (ex pr. par.); digniſſima eſt Deo.

D. 3. pars: Omnes homines communi quadam perſona a natura induti generantur, ex eo, quod omnes participes ſunt rationis, præſtantiæque ejus, qua antecellimus beſtiis, Huic perſonæ conſentanea nobis jura natura tribuit, quum nulla ejus generis tribuat brutis. Lex ergo, quæ cum his juribus conſentit, quæque hominum huic præſtantiæ conſulit maxime eſt humanæ dignitati conſentanea. Hujuſmodi autem eſt lex Chriſtiana. I. Ea homines primum Dei memores ac reverentes efficit, cumque eo religione, cujus ſunt bruta expertia, jungit atque obligat. II. Deinde inter ſe juſte & amice velut cum fratribus vivere docet, qua re ſolæ naturæ rationales tangi poſſunt. III. omnem ab hominum vita fœditatem, omnem brutalitatem avertit, hominiſque dignitatem non in corporis aut fortunæ bonis collocat, ſed in animi virtute. IV. Poſtremo in eam

ſpem

ſpem nos erigit, ut in Dei ſocietate olim perpetuo ſimus victuri, quo nihil nec præclarius, nec ambitioſius optare fas eſt. Eſt igitur dignitati humanæ naturæ conſentanea.

D. 4. parſ. Inter mala, quæ miſere vitam humanam affligant, ea ſunt & frequentiora, & graviora, quæ aut ipſi nobis inferimus, aut, ut inquit Seneca, *ſunt homini ab homine*. Priora cupiditati, intemperantiæ, immodeſtiæ, libidini denique affectuum tribuenda ſunt omnia: poſteriora, avaritiæ, injuſtitiæ, inhumanitati. Ea lex, quæ utraque extirpare curat, ad hominum felicitatem, etiam dum in hac tellure ſumus, efficiendam comparata eſt. Ea porro eſt lex Chriſtiana; quæ ultricibus flammis inextinctiſque addicit, non ſolum injuſtos, ſed inhumanos, intemperantes, lucri cupidos, immodeſtos, impuros, ulla denique libidine percitos; felicitati ergo humanæ vitæ ſtudet.

Scholion. Hæc mererentur latius pro ſui dignitate, & utilitate diduci: ſed me ſuſcepti inſtituti ratio vetat eſſe longiorem. Id ego pervelim, ut ii, qui in Religione Chriſtiana paganis explananda adlaborant, ab hac parte exordiantur: ſic enim exiſtimo, faciliorem eſſe aditum ad reliqua divinæ doctrinæ penetralia, ubi in utraque legis parte rerum noſtrarum inſcii inſtructi fuerint; quam ſi a myſteriis continuo incœptemus. Sed qui Chriſti ipſius prædicationem perpenderit, is hanc, quam dicimus, viam & rationem ſectatum facile repieriet: neque enim ſe ac ſuam dignitatem, & cæleſtem originem prius manifeſtavit, quam in tota lege ſuos erudiviſſet. Quin cum ſe diſcipulis in monte plene patefeciſſet, graviter præcepit, ne cui dicerent. Ita ſcilicet animos legis doctrina primum imbuere voluit, mox quaſi primum initiatos, ad diviniora perducere. Quid quod ne omnia quidem Apoſtolis manifeſtavit? Scilicet *nondum poterant portare:* igitur Spiritui Sancto plenius inſtruendos commiſit. Ea quoque fuit veteris Eccleſiæ diſciplina, ut non primum ad ſacra adyta catechumenos admitterent, quam in lege, & externis Chriſtianiſmi ritibus eſſent ſubacti. Sed & hanc ipſam rationem cum iis adhibendam auctor fuerim, qui noſtra ætate, & inter Chriſtianos, cæleſti doctrinæ bellum indixerunt: compertum enim mihi eſt, non tam pravitate animi, quam inſcitia bonam partem peccare; quandoquidem qui quid ſit Chriſtiana Religio, pene omnes ignorant. Licet in eorum libellis videre, quam fœde eam traducant, dum oppugnant. Quod & veteres fecere Chriſtiani

ni nominis hoſtes, ut Origenes Celſo objicit, Euſebius Porphyrio, Cyrillus Juliano; ac generaliter Clemens Alexandrinus, Arnobius, Lactantius, Tertullianus, Minutius Felix, qui in eo omnem ferme operam ſuam collocant, ut Ethnicos ea dedoceant, quæ imperite Chriſtianis objectabant. Itaque eſt hoc adverſariis noſtris commune, ut eorum nemo Chriſti doctrinam oppugnare unquam inſtituat, niſi ejus plane ignarus; quod non leve eſt argumentum, quo illius veritatem demonſtremus.

Sed quamquam non vacat plene hæc enucleare, eſt tamen animus paullo apertius indicare. Sermo Chriſti in monte, quem Matthæus exhibuit capitibus v. vi. vii. totam ferme Chriſti legislationem complectitur. Eo duo efficit. Principio commemorat legem Decalogi & naturæ, eamque leviter attingit, velut de qua neminem dubitantem haberet. Nam etſi ea quoque præcepta ſæpe homines violent, nemo tamen fuit unquam, aut eſt, qui tum etiam, quum violat, ſe cum natura pugnare non perſentiſcat. At ſunt alia, quæ impune ſe homines præterire poſſe cenſent, quæque gravi legislatore & explanatore indigent. Itaque illis leviter, ut dixi, indicatis, ad perfectionem legis, ideſt reciprocam benevolentiam & amorem expediendum aggreditur. Atque in hoc & ibi & alibi copioſiſſimus eſt, & ferme totus; quod nimirum lex jus perfectum præcipiens, homines plene beatos efficere nequit, niſi humanitas, benignitas, benevolentia reciproca & univerſalis accedat. Beatos eſſe homines docet, qui injurias pati, quam inferre malint: qui lege talionis uti nolint: qui ſcilicet acceptæ injuriæ nec vi publica, nec privata velint uſciſci: qui non ſolum ſtudent ut neminem lædant, neminique jus ſuum interturbent, ſed in primis ut, quomodo poſſint, alios juvent. Ait tum demum homines eſſe Deo caros, ejuſque providentiæ conſentaneos, quum utramque legem plene ſervaverint, juſtitiæ ſcilicet, & humanitatis: nam & Deus cuique ſua ſervat, *& ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; & pluit ſuper juſtos & injuſtos.*

Nemo eſt vel mediocriter rerum humanarum peritus, qui quanti ponderis ſint utraque vel ad præſentem felicitatem non intelligat. Principio ſine jure perfecto intuta eſt hominum vita inter animantes ſe mutuo lædere paratos, & cupidos. Quare ſi iis perſuaſum ſit jure ſuo id ſe poſſe, brevi omnibus intercidendum eſſe neceſſe eſt. Sed nec mi-

nus

nus vetum eſt, niſi cupiditas, ira, vindicta coerceatur, niſi humanitas, & benevolentia promoveatur, jura illa eſſe in perpetuo periculo. Nam ab inhumanitate ad injuſtitiam brevis eſt gradus: niſi dicere velimus, quod præclare ait Cicero, partem eſſe juſtitiæ hominem homini benefacere; ac propterea eum eſſe injuſtum; qui neſciat, aut nolit eſſe humanus. Eſt noſtrorum Deiſtarum quiſquam, qui ſecum injuſtos eſſe homines velit? qui nolit humanos? Qui ſe in terris beatum exiſtimet eſſe inter aut lædere paratos, aut ſuccurrere negligentes? Quod ſi quandoque Chriſtus, Apoſtoli, ac primi Chriſtiani hanc ſecundam legis partem æquo juſtius provehunt, ut videantur omnem nobis defenſionem eripere voluiſſe: omnem noſtri curam: omne earum rerum ſtudium, quo hic vivimus: omnes denique affectus: id non ita capiendum eſt, quaſi nos aut crudos lateres efficere velint, aut innocente voluptate interdicere. Nam nec uxores vetant: nec cibum ac potum: nec ſomnum: nec artes, quibus vivamus, aut noſtris commodis proſpiciamus: tantum ut, ne nimii ſimus, præcipiunt: nimiam cupiditatem, immodeſtiam, intemperantiam, illicitas, & nobis aut aliis noxias voluptates proſcribunt. Atque id vel Epicuri quoque Philoſophia præcipit, ut ne quid dicam de Pythagorica, Platonica, Stoica, Peripatetica. At vero ſi quis eſt, qui nullum modum ac modeſtiam cupiditatum ſervans, perque omnes libidines profuſus beate vivere poſſit, eum ego audacter affirmo, nec de hominum eſſe genere, nec brutorum: nam bruta ultra quam natura poſcit nec libidine diffluunt, nec ira accenduntur: homines vero minime dixerim eos, qui brutis ſint & immaniores, & voluptuoſiores. Quid ego hac in re curem noſtri temporis Deiſtas? manipulum ſcilicet hominum, quos, ſi ita ut loquuntur ſentiunt, nemo eſt, qui non ſenſu communi carere dixerit. Videlicet duo hæc, ut nullius jura lædamus, ut homines cum hominibus ſimus, natura ipſa ita in omnium animis inſculpſit, ut nulla hucuſque natio tam moribus efferata ſit reperta, apud quam ea velut naturalis cujuſdam ſocietatis vincula non vigeant, atque tanto caſtius & ſimplicius, quanto minus cum cultis, eoque avidiſſimis nationibus egerunt (*a*): ut ſi quandoque migrant, intelligunt tamen

(a) *Vide Lafiteau* les moeurs des Sauvages.

cum natura pugnare. Lex igitur Chriſtiana non ſolum vera eſt, verum etiam humano generi beando data. Eſt ne ullus tam effrictæ frontis, qui audeat negare, beatas eſſe Reſpublicas, ſi ita omnes juſtos, & humanos eſſe liceret, ut illa jubet? Fateor eſſe homines, qui dum violentis animi perturbationibus agitantur, dum libido dominatur, minus eam ſibi commodam eſſe clamant. Sed iiſdem multum leges animo adblandiuntur. Ego mihi hominem dari velim, qui hæc ſerena mente & animo, atque quum publicæ, tum privatæ & veræ ſuæ utilitati intento, inclamet. Eum eſſe neminem ajo. Quare conficiamus, legem Chriſtianam ſenſu nationum communi ac purgato probari.

Ajunt Deiſtæ: Chriſtus legem talionis irritat (*a*), quæ quum ſit ſocietatis humanæ fulcrum, quis non videt, ſi ea lex publice obtineat, omnem civitatem diſſolutum iri! Nam ubi ſunt injuſti, iniqui, facinoroſi, latrones, calumniatores, atque ejuſmodi infiniti, ſi non liceat accuſare, nec eos obligare, qui læſerunt, ad talionem, quid faciemus ſocietati? Quid imperio Civili? Quid magiſtratibus!

Ad hæc, omnem induſtriam, omneſque artes, qua vita humana ſuſtentatur, radicitus evellit lex Chriſtiana (*b*): nam & præcipit ut *nec aurum, nec argentum poſſideamus* (*c*): Et *ut quæ habemus vendamus omnia, demuſque pauperibus* (*d*); quæ ſi omnes perficiant, neceſſe eſt mendicis & erronibus totam tellurem repleri: Eſt enim quiſquam, qui in ea omnium largitione manum velit labori admovere? Ita brevi fiet, ut more ferarum glandibus victitemus. Eam igitur legem ut perfectam dicamus?

Præterea lex Chriſtiana cœlibatum nuptiis præfert (*e*). Probent eam homines omnes, tota tellus unius ætatis civitas fuerit.

Lex igitur Chriſtiana civitates & imperia civilia evellit: I. quia aufert jus defenſionis, atque inermes reddit leges civiles. II. quia homines ab induſtria, artibus, commercio avertit. III. Quia demum nuptias, civitatum, ut ait Ari-

(a) *Matth. v.* 39.
(b) *Penſées philoſophiques.*
(c) *Matth.* VIII. *v.* 9.
(d) *Matth.* XIX. *v.* 21.
(e) *Matth.* XIX. *v.* 12. *ad Corinth. ep.* I. *cap.* VII. *v.* 38. & 40.

Ariſtoteles, elementa, debilitat. Ergo cum natura humana pugnat. Hinc Romanis Chriſtiani habiti *legum naturæ totius inimici*; *hoſtes generis humani* (*a*).

Atque hæc, niſi inſcitia dictat, non differentium ſunt, ſed calumniantium. Quod ut intelligatur, oportet, ut diſtinguamus inter ea legis Chriſtianæ præcepta, quæ homines ſervantes juſti quidem ſunt, ſed nondum ad eum modum perfecti, quo divinus legislator eſſe amat; & ea, quibus plene perfecti evadunt. Hæc Chriſtus ipſe minora præcepta vocat (*b*), quæ qui non ſervat, *minimus* quidem *erit in Regno Cælorum*, ſed erit tamen. Illa igitur, quæ utramque juſtitiæ partem continent, ut ſcilicet ne injuſti ſimus, neve inhumani, *majora* dici poſſunt. Quid opus eſt pluribus? Quum adoleſcens ad Chriſtum acceſſiſſet, rogaviſſetque, *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* (c) Ait ille, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Dicit illi, quæ? Jeſus autem dixit, non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falſum teſtimonium dices; honora patrem tuum & matrem tuam; & dilige proximum tuum ſicut teipſum*. Hæc, modo addas quod eſt Decalogi caput, *cole Deum*, atque *unum & verum*, quod eſt totius Chriſtianæ legis fundamentum, totam naturæ legem complectuntur, totamque juſtitiam, ut ſcilicet nec injuſti ſimus, nec inhumani. Hæc autem *majora ſunt mandata*. Hæc qui violat, vitam habiturum æternam negat. Id aperte dicit divinus Legislator. Quum ea obſervaſſe reſpondiſſet adoleſcens, pergeretque petere, *quid adhuc mihi deeſt?* Nempe non ut juſtus eſſet, ſed ut plene perfectus, *ait illi Jeſus, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*. Ea igitur legis pars, qua Chriſtianis præcipitur, ut ne lege talionis utantur, ut omnia in pauperes erogent, ut vitam cœlibem nuptiis præferant, ac quæ ſunt his ſimilia, non ad juſtitiam pertinet, ſed ad perfectionem. Itaque conſilia potius patris dici poſſunt, quam lex. Qua ex re hoc primum conficio, non legem iis argumentis impeti, ſed legislatoris conſilia. In tuto ergo eſt lex.

Sed videamus utrum ea conſilia ſint, ut iſti clamant, ſocietatem everſura. Facultatem leges condendi, puniendi

L 2 fa-

(a) *Tertull. in Apolog. Minutius Felix in Octavio, aliique*.
(b) *Matth.* v. (c) *Matth.* xix. v. 16.

facinoroſos, omnibus modis civitatis incolumitati proſpiciendi, nec lege, nec conſiliis Principibus ademit Chriſtus. Quin agnovit eam a Deo eſſe (*a*): & *tribuenda eſſe quæ ſunt Dei*, *Deo*, *quæ Cæſaris*, *Cæſare* (*b*), totaque ſua vita ita jura civitatis & imperantium coluit, ut nemo majori ſtudio. Apoſtoli ejus doctrinæ & auditores, & explanatores id & docent diſerte, & graviter inculcant: *Reddite igitur*, inquit Paulus (*c*), *omnibus*, *quod debetis*: *cui tributum*, *tributum*: *cui vectigal*, *vectigal*; *CUI TIMOR*, *TIMOREM*: *cui honor*, *honorem*. Quid hoc, *cui timor*, *timorem*, niſi ut jura ſummi imperii revereri doceret? Nam idem Apoſtolus hanc poteſtatem a Deo eſſe, eoſque Deo obſiſtere, qui civili poteſtati obluctantur, totidem verbis ſcribit in loco ſuperius laudato. Quibus ex rebus patet, illud, *ego autem dico vobis*, *non reſiſtere malo* (*d*) non pertinere ad poteſtatem civilem infringendam, ſed ad humanitatem perficiendam, ad virtutes ſociales in animis ingenerandas. Quibus animi moribus ſi ita omnes imbuantur, ut Chriſtiana lex ſtatuit, quid humana vita felicius? Quin ne eo quoque hujuſmodi conſilia ſpectant, ut nullo modo liceat jura noſtra defendere; ſed ut ita defendamus, *ut*, quemadmodum Auguſtinus ſcribit, *bellum habeat neceſſitas*, *pacem voluntas*: ut ſcilicet nihil ira, nihil odio, nihil cupiditate, nihil libidine agamus, ſed ratione, & jure (*e*). Quæ tantum abeſt ut civiles leges, & jura civitatum debilitent, ut potius corroborent. Nam *quid vanæ ſine moribus leges proficiunt?* Ariſtoteles ad jura & leges ventum eſſe ſcribit defectu amicitiæ; qua re nihil dici potuit, nec verius, nec præclarius.

At verentur, ne tota tellus aut erronibus repleatur, ſi omnes omnia elargiantur, aut ſit unius ævi civitas, ſi omnes cœlibem vitam probent. Imperite & inique. Nam qui præcipit, ut indigenti ſuccurras, & ita præcipit, ut ipſe ne indigeas, quippe qui ita alios diligere vult, ut teipſum: & inertem vitam non ſolum non probat, ſed vetat.

Ita-

(a) *Joan.* XIX. *v.* II.
(b) *Matth.* XXII. 21.
(c) *Ad Rom. cap.* XIII.
(d) *Matth.* V. *v.* 39.
(e) *Vide S. Th.* 2. 2. *q.* 64. *& Grotium lib.* II. *de jure belli & pacis.*

Itaque Paulus ſe manibus ſuis ſibi victum paraſſe ſcribit. Maligne igitur faciunt, qui ita hoc interpretantur, quaſi ex humanitatis & beneficentiæ leges eo pertineant, ut homines ab omni labore & artibus avertant.

Jam cœlibem vitam pacatiorem eſſe, quam quæ in conjugio ducitur, id qui negat, oportet, ut nondum didicerit, nec quid ſit pacate vivere, nec quanta bella uxores cieant. Nihil dici perſpectius potuit, quam illud veteris Comici, *malum quidem eſſe ducere uxorem, ſed tamen neceſſarium* (*a*). Ego quoque eſſe poſſem diſertus, ſi eam rem & veterum philoſophorum ſententiis ornare vellem, & humana hiſtoria teſtificari. Hæc quum ſint qui idcirco Chriſti & Apoſtolorum conſilia reprehendit, is cum natura decertat. Quid, inquiunt, ſi ea probent omnes? Nempe nemo, qui ea tradit conſilia, ignorare poteſt, id numquam futurum: & ſi omnium velut conſpiratione facta accidat, totum interiturum hominum genus in aperto eſt. Intercidat autem; nec noſtra, poſtquam ſcilicet extincti ſumus, quidquam amplius intereſt, nec poſterorum, qui nulli futuri ſunt. Quid hoc erit mali? Cum natura, inquiunt, pugnat. Telluris ajunt natura, an hominum? Primum apertum eſt abſurdum: non enim Telluris intereſt homines alere, ſed Dei rerum opificis. Quid igitur ſi is velit? Quæ erunt hujus Planetæ jura? Non alia, quam agri mei, ſi ego oleas, aut vites excindere decreverim. Homines porro intra paucos annos interituri quæ habent jura, ut æternum Tellurem incolant? Inepta ſunt igitur Deiſtarum noſtrorum hujuſmodi argumenta & puerilia.

Sed ecce: cum haſtato & triario, ſi ſuperis placet, rem nunc agamus neceſſe eſt (*b*). Is Medicina ſuccenturiatus in nos impetum facit. Ait legem Chriſtianam omni nos voluptate interdicere: odium noſtri præcipere. Hæc cum natura pugnant. Itaque nec poſſibilia ſunt, nec juſta.

Scilicet, quod ego dixi, ita ſunt omnes Chriſtiani nominis hoſtes comparati, ut qui unum noverit, omnes noverit: æque earum rerum, quas gerunt, imperiti, aut æque iniqui. Vera ſunt hæc, oportere nos divortium nobiſcum facere: nobis velut bellum denunciare: animam denique projicere, ſi Chriſti diſcipuli eſſe velimus (*c*). Sed

 quor-

(a) *Menander apud Stob.*
(b) *La Mettrie.* (c) *Matth.* XVI.

quorſum? Nempe non ut nos odio habeamus, ſed ut cum ratione amemus: ut ab amore proprio caveamus, qui ſi dominetur, ratio nihil valet. Eccui autem eſſe poteſt ignotum, nullum eſſe uberiorem errorum & vitiorum noſtrorum fontem, quam nimium noſtri rerumque noſtrarum amorem? Tota id vetus ac recens philoſophia crepat. Epictetus (a) inter cauſas profectus ad virtutem hanc ponit, *ſi quis a ſe tamquam ab inimico & inſidiatore caverit*. Privatam utilitatem eſſe patentem omnium facinorum cauſam ſæpe diſputat Cicero in opere, quod nemo ſatis laudaverit, *de officiis*. Vitioſam igitur philautiam, & nimiam cupiditatem iis præceptis reſecare ſtudet Chriſtiana lex: quæ idcirco ita nos projicere animam docet, ut Plato philoſophum vocat, *qui mori didicerit*, & philoſophiam *mortis contemplationem*.

Ex quibus intelligitur, quibus voluptatibus lex Chriſtiana nos interdicat, iis nempe, quas ne Epicurus quidem probaverit (*b*), quæ nempe cum hominis natura pugnant, pugnant cum fine. Ac quum ad duo genera voluptates referri poſſint, animi ſcilicet, & corporis, principio non alias animi voluptates extirpare vult, quam eas, quæ irrationales affectus & appetitus ingerere ſolent; quæ tantum abeſt, ut veræ ſint voluptates, ut nullæ ſint ampliores miſeriæ noſtræ cauſæ: natura enim ita comparati ſumus, ut non libidine, ſed animo pacato eſſe beati poſſimus. Ea vero voluptates, quæ ex rerum contemplatione exſiſtunt, quas virtus gignit, aliæque, quæ in ſocietate hominis cum homine percipiuntur, non ſolum non vetat, ſed ut ſolas ſequamur, præcipit. Voluptatum autem corporis aliæ naturæ neceſſariæ ſunt aut conſervandæ, aut levandæ, aut propagandæ; aliæ ſuperfluæ, quæque nos onerant, fœdantque. Prioris generis ſunt victus, muſica, nuptiarum venus. Has quo in loco vetet, dicant noſtri helluones, ac cinœdi. Qui his contenti non ſunt, eos ut rationis participes dicamus? Nam ſuperfluas voluptates nec natura poſcit, & non Chriſtiana modo lex vetat, ſed philoſophia quoque quanta quanta eſt. Quare quum eam ob rem illam accuſant, ii ſuam potius intemperantiam efferre videntur, quam tam

(a) *Cap.* 72. *Vide & Plutarch. de profectu virtutis. Sunt eandem in rem & Platonis, & Senecæ plurima præclare dicta.*

(*b*) *Vide Laertium in* Epicuro.

tam ſapientem ac ſanctam legem vituperare. Pertinet huc vetus Architæ Tarentini oratio (*a*), *qui nullam capitaliorem peſtem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat a natura datam: cujus voluptatis avidæ libidines temere & effrenate ad potiendum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpublicarum everſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina conſilia naſci: nullum malum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret: Stupra vero & adulteria, & omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, niſi voluptatis. Cumque homini ſive natura, ſive quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet; huic divino muneri ac dono nihil tam eſſe inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe, neque omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere*. Quod ſi hæc voluptas inimica ſit & contraria virtuti, ne vera quidem voluptas in voluptatis regno eſſe poteſt ulla; quandoquidem nulla eſſe poteſt vera voluptas, niſi quæ cum animi pace conſentiat; nec eſt ulla talis a virtute ſejuncta. Cui bono, dicet aliquis, tam ſevera jejunia? Scilicet cui bono diæta? cui illud, tantum cibi ac potionis ſumendum, ut vires reficiantur, non opprimantur? Jejunium enim non Chriſtiana tantum lex præcipit, ſed naturæ quoque, ubi aut nimio cibo potuque, aut alia intemperantia, & corpus graveſcit, ac quaſi marcet, & hebeſcit animus; aut quum ne id contingat præcavetur. Hoc ergo telum quivis alius minus fortaſſis inconſiderate in nos vibraſſet, quam Medicinæ doctor, cui nequit eſſe ignotum præcipuam quum corporis, tum animi medicinam eſſe Diæteticen.

Sed illa in primis gravis quibuſdam videtur & moleſta quæſtio; qui nempe queat juſtitiæ & amori erga nos Dei conſentire ſanctio pœnalis legis Evangelicæ. Nam nec juſtum eſt, inquiunt, imbecillis & paluſtris animantis crimina perpetuis flammis punire; nec id ſummam Dei bonitatem adverſus nos decet. Grave eſt illud Platonis verbum & verum, *nemo punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur*: æternæ autem pœnæ eo ſpectare nequeunt, ut non amplius peccemus. Tum ſi Deus eas ob reculas, ajunt, æternum punit, videtur iratus potius punire, quam ſerena mente ac paterna. Memini ego legiſſe relatum & Iſaacum Newtonum ſolitum ea re offendi (*b*).

L 4 Non

(a) *Cic. de ſeneƈt.* (b) *Bibliotheque Raiſonnée*.

Non ibo inficias veteres aliquot Chriſtianos ea ſanctionis ſeveritate turbatos, dum ex genio potius ſuo hæc fingerent, quam ex Evangelicis Scripturis ac majorum traditione decernerent, pacatiorem ſanctionem nobis obtruſiſſe. Nam quidam ita interpretati ſunt *mortem æternam*, ut dicerent totos impios, anima ſcilicet & corpore abſumtum iri flammis ultricibus, ut non amplius ſint: alii longævas quidem futuras pœnas, ſed tandem aliquando expiatum iri animas, ac fore poſtremo beatos. Ita Origenes. Huetius (1) Hieronymum quoque adhuc juniorem in eamdem ſententiam abreptum fuiſſe ſcribit. Certe id ei Rufinus objecit. Sed hi nec cum libris Evangelicis, nec cum veteri fidei Chriſtianæ formula conſentiunt. Ignoſcamus igitur humanitati, nec fateri vereamur, hanc eſſe legis Chriſtianæ ſanctionem, ut impii & facinoroſi æternas pœnas luant: neque enim eſt nobis illa defenſione opus. Sed iniquum eſſe ajunt terreni & morituri animantis peccata æternis pœnis ulciſci. Ut hoc conſtet, neceſſe eſt, ut in anteceſſum intelligamus, quid ſit illud, quod Deo juſtum, aut iniquum dicimus. Alias demonſtratum eſt, quodcumque cum lege æterna conſentit, aut ab ea diſſidet, id eſſe Deo aut juſtum, aut injuſtum. Quum autem lege æterna ſtet hujus mundi ordo; fit ut tum injuſtæ ſint æternæ pœnæ, cum ordini mundi adverſantur, juſtæ, ſi cum eo conſentiunt. Ordo mundi eſt, ut omnia tendant in Deum, ſingula pro ſui natura & conditione; eſt ergo ei ordini conſentaneum, ut homines, qui ex eo vitam ſuam moderantur, æternam felicitatem adipiſcantur. Cum his igitur Deus & juſtus eſt, & bonus. Quod ſi ab eo ordine deſciſcant, ii extra omnem ordinem eſſe nequeunt; quia diſſentit a lege æterna, ut quidquam ſit in mundo veluti extra omnem ordinem projectum; & ii ergo ſub ordine eſſe debent. Quum vero hic ordo criminum ſit, is a primo diſſidet, nec proinde poteſt eamdem metam habere, ad quam ordo virtutum pertinet: ſed ut ſtat illi ex adverſo, ita contrariam attingere debet metam. Prioris ordinis meta eſt vita æterna; poſterioris ergo eſſe debet mors æterna. Uterque ordo æternæ legi conſen-

(1) In Quæſtionibus Origenianis. Profligatam jam olim hanc ſententiam magno apparatu revocare ſtuduit Burnet in opere, *De ſtatu mortuorum & reſurgentium*; quem plures viri docti copioſis voluminibus refutaverunt.

ſentaneus eſt; in utroque igitur Deus eſt juſtus: Quod ſi juſtus, nequit eſſe malus (*a*) aut maleficus.

Non interim ego negaverim eſſe poſſe in hac quæſtione aliquid, quod hominum ingenia lateat; ex quo fiat ut nequeamus plene ea rationes pervidere, quibus efficiatur, ut non deceat Deum aliter agere. Nam quemadmodum ſæpe in legibus mundi mechanicis ſunt quædam, quæ minus intelligimus, quod nequeamus penitius in naturam introſpicere; ita eſſe debent infinita ad univerſi ordinationem pertinentia, quæ omnem mentis humanæ aciem fugiunt; ex quorum ignorantia inextricabiles in animis noſtris exſiſtant quæſtiones.

Poſtremo velim Chriſtiani nominis hoſtes animadvertant, nihil eſſe in hac parte Evangelicæ legiſlationis, quod novum ſit. Nam pravos homines & ſceleſtos æternas pœnas poſt mortem luendas manere, non Chriſtianæ legis proprium eſt dogma, ſed nationum omnium commune. Itaque eam cauſam cum toto hominum genere agant neceſſe eſt. Totum autem hominum genus quum duo hæc dogmata, & bonum nempe ac beneficum eſſe Deum, & æternis interea pœnis impios excruciare, perpetuo & conſtanter coluerit; magnum eſſe poteſt argumentum, ſibi fuiſſe perſuaſum, ea inter ſe non pugnare.

C A P. X.

De Hiſtoria Evangelica.

Prop. XL. Hiſtoria Evangelica omnibus veræ hiſtoriæ characteribus inſtructa eſt.

D. Veracis hiſtoriæ characteres ſunt.

1. Sufficiens numerus teſtium oculatorum, atque libere, non ulla vi, neque ex conſpiratione ſcribentium.
2. Gnari & intelligentes earum rerum, quas narrant.
3. Probi, & ſolo veritatis amore ſcribentes.
4. Quorum hiſtoria & a ſequentibus eos ætatibus magna & publica traditione ſuſcepta ſit.
5. Et ab exoticis quoque comprobata.
6. Cujus hiſtoriæ effectus reales & indelebilia veſtigia ſuperſint:

7. Quæ

(a) *Vid. Aug. de lib. arb. Lettres ſur la Religion Eſſentiel.*

7. Quæ nec aliorum ſcriptorum coævorum auctoritate refelli poſſit, nec naturæ rationibus demonſtrari falſa.

Qui hujuſmodi hiſtoriam in dubium adducit, is rationis vacuus ſit, neceſſe eſt.

Ea porro eſt hiſtoria Evangelica; omnibus igitur veracis hiſtoriæ characteribus ornata eſt; ut ſi quis eam incredibilem ſecum reputet, is ſit captus mente, oportet.

Eam eſſe hiſtoriam Evangelicam, quam dixi, alii copioſe demonſtraverunt; nos more noſtro paucis, ac paullatim. Principio ajo non poſſe Evangelicos teſtes repelli defectu numeri. Quatuor Evangeliſtæ hanc hiſtoriam diſertiſſime literis mandarunt. Eam ſubinde plerique alii Apoſtolorum commemorant, atque in ea, velut in fundamento, doctrinam ſuam inædificant, Petrus, Jacobus, Paulus. Eadem hiſtoria conſcripta quoque fuit ab aliis coævis, & ex publica Judæorum atteſtatione: erat enim Evangelium ſecundum Hebræos, quo plurimum utebatur Origenes, quod Hieronymus græce verterat & latine, ut ipſe tradit (*a*). Facta ergo narrant Evangeliſtæ, quæ in oculis integræ gentis fuerant; numerus igitur hiſtoricorum eſt ab omni repulſa liber & immunis, ſi eam rem non animi perturbatione, ſed ratione ſevera examini ſubjicere velimus.

Porro & qui narrant erant oculati teſtes, ut & ii apud quos narrant; ut ſi conficta narraſſe ſuſpicari velimus, homines incredibilis audaciæ ſint nobis concipiendi; quos illos non fuiſſe, facile eſt ex eorum narrationibus dijudicare: nihil eſt enim in iis ſcriptoribus, quod hujuſmodi effrictam frontem arguat: omnia potius oppoſita: ſancti mores: verecundi: mendacii hoſtes aperti: paupertatis, illibatæque vitæ perpetui profeſſores. Eos viros ut tanta arrogantia mentitos dicamus, tota repugnat natura.

Jam ut mentiri voluerint, uti debuere conſpiratione, atque prius inter ſe longo & maturo conſilio de omnibus deliberare, atque conſtituere, quam ad tam arduum opus aggrederentur; quod eos nec egiſſe, nec facere potuiſſe, ſequentia demonſtrant.

Primum, quum ea facta prædicatum irent, vulgatumque quum apud Hebræos, tum inter alias gentes, tantum abeſt, ut indicia ulla præſeferant ejus conſpirationis, atque ſuſcepti conſilii, ut potius longe videantur fuiſſe ab animo quid-

(*a*) *De Scriptorib. Eccleſiaſt. in Jacobo.*

quidquam ſcribendi. Si enim ſcribere aliquid conſpiratione facta decreviſſent, quid cauſſæ fuiſſe dicemus, ut non ſtatim id conſilium operæ mandarent? Nam qui citius ea facta exaravit Matthæus, decem poſt Chriſti mortem annis fecit: alii longe ſerius: Joannes tardiſſime. Adde quod nemo ſcripſit, niſi occaſione aliqua laceſſitus; aut ſcilicet ut fabulas, quæ vulgus confinxerat, aut Chriſti hoſtes diſſeminaverant, refellerent; aut ut falſas interpretationes doctrinæ Chriſtianæ diſſiparent; aut naſcentia diſſidia compeſcerent.

Sed ne poſſibilis quidem ea conſpiratio erat. Nempe ut ubi uno facto impetu aliquid manu gerendum eſt, idque dum calent animi, plures in idem quantumvis arduum ſtultum & crudele conſpirent, id ego fieri poſſe, ſæpeque factum non negaverim. At ut id fiat, non ubi manu opus eſt, ſed ubi perſuaſione, nec perficiatur ardentibus adhuc animis, ſed longo poſt tempore, atque æſtu remiſſo, id ego longe a natura humana eſſe alienum ajo. Sic enim confido, ut ne comicos quidem in re ludicra id facturos, tanta temporis diſtractione, arbitrer. Non igitur conficta ex compacto narrant, ſed ea *quæ viderant*, quæ manibus contrectaverant, quorumque & ipſi magna pars fuerant: nam ea concordia e ſola factorum veritate manare potuit; quibus ſcilicet ſemel perciti fieri nequit ut a ſe diſſentiant.

Spectemus modo teſtium ingenium ac mores. Ii varii fuerunt; eaque ingenii varietas non potuit audaci & periculoſo commento in idem placitum coire; aut ſi potuit, ut perpetuo contra naturam duraret, nulla præſertim utilitate, nulla voluptate, id omnem fidem exſuperat, nec humanæ eſt indolis. Varios autem eos fuiſſe & ingenio, & mente, eorum ſcriptiones factaque ſatis aperte demonſtrant. Petrus animi in amorem quidem & iracundiam facilis, ſed timidi tamen, minimeque deliberati: Joannes lenis ac placidi, ut ad amicitiam, & pacem factus videretur: Matthæus gravis & ſerii: Jacobus juſti, & ſeveræ pietatis: Lucas lenis, pii, exculti: Paulus elati, ſeveri, paullo iracundioris. Ut mores, ita variæ utilitates: varia voluptatum genera: nam in id conſuevere homines: affectus nempe ingenia ſequuntur. Hæc tam diſcrepantia non conficta phantaſmata ad tam ſtabilem concordiam adduxerunt, ſed veritatis vis. Nam ea eſt phantaſiæ natura, ut ubi primus affectuum impetus remiſit, repente evaneſcat. Sed illud me plurimum commovere ſolet, quod ii Apoſtolo-

rum,

rum, qui ob inſitum morem labefactati aliquando viſi ſunt, ut Judas, & Petrus, quorum ille aut avaritia, aut levitate rebellavit, hic animi imbecillitate; non ſolum non perduraverunt quo rapiebat indoles; ſed projecta alter vita priorem labem emaculare voluit; alter incredibili conſtantia, ac morte denique ſeſe purgavit.

Fuiſſe autem Apoſtolos earum rerum intelligentes, quas narrant, nemo, opinor, inficiabitur, qui perpenderit, ea facta oculos & communem ſenſum non excedere. Id enim agebatur, ut quæ viderant, quæ tetigerant, quæ audiverant, quorum ipſi tanta pars fuerant, enarrarent. Sed & doctrinam quum narrant, ſi quæ pars eſt, quæ ultra communem rationem abit, ita narrant, ut non diſſimulent, ejus ſe rationis eſſe ignaros, nec recitare, niſi quæ a Chriſto audiverant. Sed factis inſiſtamus. Eorum nullum eſt, quod non homines in ampla & exculta urbe vel plebeii & plene ſentire poſſint, & aliis eloqui.

Poſtremo, quæ hiſtorici probitatem inficere poſſunt, aut in ſuſpicionem adducere, non modo vacant omnia, ſed contra omnia inſunt, quæ valeant conſtabilire. Principio certi erant ſe quum novam ſectam ſuis ſcriptionibus & ſermonibus adverſus Senatus decreta vulgatum irent, non ſolum nullam utilitatem, nullamque voluptatem adepturos, ſed de bonis, de libertate, de liberis, amicis, patria de vita denique periclitaturos. Non igitur hominis ullius amicitia capti id agebant, ſed veritatis amore incitati, cujus admiranda prorſus eſt vis. Itaque nec amore & ſine odio ſcribunt. Deinde longo poſt geſtas res tempore ſcribunt; ut ſuſpicari nequamus primo amicitiæ, aut phantaſiæ impetu inductos: hujuſmodi enim motus, ſi res veræ non ſint, tractu temporis elangueſcunt, ut ſedato tandem animo nos potius pœniteat veteris perturbationis, cujus non ſine erubeſcentia quadam meminerimus. Tum ita ſcribunt, ut nec Magiſtri, nec ſui probra taceant, ac ne judicia quidem & ſuſpiciones aut populares, aut hoſtium. Hæc pravi animi, & in mendacium atque ſcelus adornandum firmati eſſe non ſolent. Præterea nec ſapientiæ theatralis, nec eloquentiæ ſtudio tanguntur: omnia ex animi potius bonitate ita memoria recitare videntur, ut facta viderant; quod non faciunt impoſtores, qui in id omnes ingenii vires convertunt, ut ubi ſciunt, ſibi in re ficta non iri creditum, præſidium ab arte arceſſant. Hæc qui vult oculis ſuis inſpicere, is Mat-

thæum

thæum & Philoſtratum inter ſe contendat; eſt enim inter eos hoc diſcriminis, quod inter naturæ & conficta artis opera intercedere ſolet; prope ſcilicet immenſum.

Nec vero minus eſt certum, totam hiſtoriam Evangelicam magna & perpetua traditione a Chriſti atque Apoſtolorum uſque tempore ad nos demandatam, nemine eam repudiante, niſi aut omnino ignaris, aut ex deſtinato hoſtibus. Primo a Chriſti ſæculo non ſcriptis tantum Apoſtolorum, ſed majorum traditione pervulgata erat, nec uno in loco, ſed tota Aſia, Ægypto, Græcia, Italia. Quin ea erat regula, qua genuina ſcripta & ſincera, a crebris, quæ vulgabantur, fabulis, diſcernerentur. Id conſtat ex reliquiis Scriptorum ejus ſæculi, & monumentis luculentiſſimis ſecundi & tertii (*a*). Iis ſæculis ita hæc publice narrabantur, ut geſta leguntur in iis Evangeliorum libris, qui ſuperſunt. Seductos dicent: non hæc ego nunc quæro, quod poſtea videbimus: tanta, ac tam conſtans fama in eo ſæculo, quo plures adhuc vivebant Chriſto coævi; & oculati earum rerum teſtes, ſi tota res non fuit fabula, numquam reperiemus, unde manare potuerit. Certe id in confictis fabulis obtinere non poteſt: *commenta enim delet dies*, ut Cicero perſpecte ait. Magnum eſt hoc & luculentum veritatis hiſtoriæ Chriſtianæ argumentum. Fingamus nullum fuiſſe Cannenſis pugnæ contemporaneum ſcriptorem: ſed tota tamen Italia, tota Africa in hominum pectoribus alte conditum tam atrox factum uno ab ea pugna ſæculo inveniri, quæro ecquis tam plumbei fuerit ingenii, tam ænei pectoris, ut aut in dubium vocet, aut perfricte neget? Id ipſum quiſque per ſe videt ad hiſtoriam Evangelicam pertinere.

Hæc quum ſint; conficio, hiſtoriam Evangelicam quatuor primis veracis hiſtoriæ argumentis abunde fulciri, ſufficiente nimirum teſtium oculatorum numero; eorum, quæ narrant, ſatis intelligentibus, & ſeveræ probitatis; poſtremo magna & publica ſequentium ætatum approbatione; quibus eſt illa ita corrobarata, ut nulla humana hiſtoria plenius meliuſque. Aut nulli igitur hiſtoriæ credendum eſt, aut hæc inter certiſſimas adnumeranda. Nulli credere velle neſcio utrum ſit hominis communi generis humani ſenſu pollentis.

Prop.

(a) *Irenæo præſertim, Tertulliano, Euſebio.*

Prop. XLI. Fundamenta prima hiſtoriæ Evangelicæ ab hiſtoria exotica probantur.

D. Hujus propoſitionis demonſtrationem magno rerum doctrinarumque apparatu egit olim quidem Euſebius, memoria prope noſtra Huetius. Ego ſuſcepto ſyſtemati ſerviam, paucisque me expedivero.

Pleraque ad hiſtoriam Evangelicam pertinentia memoravit Joſephus quum poſtremis libris Antiquitatum, tum in libris de bello Judaico, veluti Joannem cognomento Baptiſtam Judæos ad virtutem & pietatem excitaſſe: eum ab Herode cæſum: Jacobum fratrem Domini hominem fuiſſe juſtum, eumque inique a Judæis oppreſſum. Idem meminit Pontii Pilati, Quirini, Feſti, & Felicis, Caiphæ, Johannis, Alexandri, prorſus ut Lucas. Neminem autem fugit, & contemporaneum fuiſſe his factis Joſephum, & hiſtoriæ ſtudioſum.

Jeſu Chriſti infiniti pene ejus & ſequentis ætatis meminere, Svetonius (1), Tacitus, Plinius junior: tum Lucianus, Celſus, Porphyrius, Numenius: item Trajanus, Antoninus Pius, Marcus philoſophus, aliique vetuſtis memorati.

Oppidulo Terræ Judææ ortum fuiſſe Jeſum; paupertula puel-

(1) Locus Svetonii eſt in *Claudio* cap. 25. *Judæos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit*. Oroſius lib. VII. cap. 6. ſcribit diſcerni hinc non poſſe, *utrum Judæos coerceri & comprimi juſſerit* Claudius, *an etiam Chriſtianos velut cognatæ religionis homines expelli voluerit*. Sed Judæorum nomine primis Eccleſiæ naſcentis temporibus etiam Chriſtianos veniſſe demonſtrant & locus Arriani ad Epictetum diſſ. XI. 10. & Severi Sulpicii hiſt. XI. 99. & alii. Porro *Chreſtus*, pro *Chriſtus* Græcis ejus ætatis & Romanis nomen fuit uſitatius. Id docet Tertull. Apolog. cap. 3. qui *Chreſtianos* eos pro *Chriſtianis* dictos teſtificatur: & Lactantius lib. IV. cap. 7. *Sed exponenda*, inquit, *hujus ratio nominis eſt, qui eum (Chriſtum) immutata litera Chreſtum ſolent dicere*. Græcos cognomen Χρηστος *Chreſtus*, nempe *benignus*, ſæpe boni hominis gratia uſurpaſſe demonſtrat locus Plutarchi *in Phocione*, Χρηστος ὁπως και στρατηγος ἦτω &c. Quin nomen proprium fuit apud Romanos. *Chreſti* enim meminit Cicero in Epiſt. fam. lib. XI. 8. vide adnotata ad Svetonium Pitiſci. Sunt qui negant hic de Jeſu Chriſto agere Svetonium; nam quum Chriſtus *Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus* fuiſſet, ut ſcripſerat Tacitus Ann. XV. 44. non potuit Judæos in tumultum concitare; quod ignorare vir diligentiſſimus non debuit. Qui tamen non videntur Svetonii locum aſſequuti. Nempe cum Judæorum alii Jeſum Chriſtum Meſſiam eſſe affirmarent, negarent alii, inde tumultus naſci debuit, Chriſti videlicet cauſa, quod quaſi impulſore Chriſto factum concepit, atque ſcripſit Svetonius.

puella, ſabri materiarii uxore victum opera ſua quæritante natum, atque in Ægyptum profugiſſe agnoſcebat Celſus (*a*). Bethlemi natum probant *tabulæ cenſuales* Romanorum, ad quas appellant Juſtinus & Tertullianus (*b*). Ipſa Euſebii ætate adhuc Bethlemitica ſpelunca ab Ethnicorum vulgo oſtendebatur, ibique Chriſtum Chriſtianorum Doctorem natum memorabatur (*c*).

Chriſtum fuiſſe prophetam, tradiderat in Chronicis Phlegon Hadriani Imperatoris libertus Euſebio memoratus. Chriſtum & Apoſtolos miracula edidiſſe Hebræi in Thalmude agnoverunt, veterum ſcilicet traditione: agnovere Alkorani compilatores. Sed illud invicte probat, quod Celſus, Porphyrius, Julianus negare non ſint auſi: licet id incantamentis & præſtigiis factum opinati ſint. Probat & veterum Gentilium perſuaſio, Magos fuiſſe primos Chriſtianos: eo enim vocabulo illos non dehoneſtaſſent, niſi patratores miraculorum habuiſſent.

Pauca hæc ſatis ſuperque oſtendunt Scriptores Evangelicos ea literis mandaſſe, quæ ob oculos omnium in Judæa contigerant; nam in iis, quæ totius hiſtoriæ ſunt fundamenta, nihil ſcribunt, quod reliqui ejus ætatis Judæi, Græci, Latinique hiſtorici non ita commemorent, ut ab illis narrantur. Quid igitur cauſæ afferemus, cur & in reliquis non iis fidem habeamus? Præſertim quum nulla arte, nullo ſtudio, nullo verborum lenocinio, nihil, ut Philoſophis erat in more, diſputando ſcribant, ſed ita ut res geri viderant, vel audiverant, inculti, profanarum rerum incurioſi, ſæpeque barbari; qua ego in magnis habeo veracis hiſtoriæ argumentis.

Prop. XLII. Qui effectus Chriſti prædicationem, facta, mortem toto orbe intra paucos annos ſequuti ſunt, hiſtoriæ Evangelicæ veracitatem *apodictice* demonſtrant.

D. Tertio jam ſæculo a Chriſti nativitate totum orbem Romanum Chriſto nomen dediſſe neminem ego arbitror eſſe tam ſtipitem, qui in dubium velit revocare. Tantus effectus cauſam ſufficientem habeat, neceſſe eſt. At ſi falſa ſit hiſtoria Evangelica, nulla eſſe poteſt conſentanea tantæ mutationis cauſa: de nihilo igitur eſt; quod quis erit tam

(a) *Apud Orig. contra Celſum lib.* 1.
(b) *Juſt. Apolog.* II. *Tertull. cont. Marc.*
(c) *Euſeb. lib.* VII. *Dem. Ev. cap.* 2.

tam obtuſi pectoris, qui ſibi perſuadeat? Aut igitur negandum eſt tantum politicum phænomenon; aut hiſtoriæ Evangelicæ veritas agnoſcenda eſt.

Sed ajunt primi ævi Chriſtianos non fuiſſe, niſi vilem ac tunicatam plebeculam. Cæcilius apud Minutium Felicem (a). *Quid homines deploratæ, incultæ, ac deſperatæ factionis graſſari in Deos non ingemiſcendum eſt? Qui de ultima fæce collectis imperitioribus, & mulieribus credulis, ſexus ſui facilitate labentibus, plebem profanæ conjurationis inſticuunt.... latebroſa, lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula... dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent; ita illis pavorem fallax ſpes ſolatia redivivæ blanditur.*

Id publice objectum primis Chriſtianis teſtantur omnes veteres Apologiſtæ, Tatianus, Tertullianus, Origenes, Euſebius, Arnobius, Lactantius, Gregorius Nanzianzenus, Cyrillus Alexandrinus, aliique (*b*). Apud Lactantium Chriſtiana ſecta dicitur *muliebris & anilis ſuperſtitio*. Apud Prudentium *imperita turba* (*c*): & alibi *leves puellæ* (*d*). In Origene vero hæc leguntur. *Pergit Celſus, & quæ de Jeſu doctrina dicuntur a paucis e Chriſtianorum numero, non prudentioribus, ut ipſe putat, ſed rudioribus: ait præcepta eſſe noſtrorum hominum, nemo accedat eruditus, nemo ſapiens, nemo prudens; arcemus enim tales. Sed ſi quis eſt indoctus, inſipiens, infans, fidenter veniat. Hoc pacto, inquit, ſatis apparet, quod ſolos fatuos, ignaros, ſtolidos, mancipia, mulierculas, pueros captent, & pelliciant*. Addunt id a Chriſto ipſo præceptum: *Niſi efficiamini ſicut infantes, non intrabitis in Regnum Cælorum*, & ibidem, *ſinite parvulos abire poſt me: ipſorum enim eſt Regnum Cælorum*. Et, *beati pauperes ſpiritu: beati mites* (*e*).

Sed hoc argumentum, quo quum veteres illi Chriſtiani nominis hoſtes, tum noſtri temporis Deiſtæ ſuperbiunt, nec omni parte verum eſt, & qua eſt, hiſtoriam Chriſtianam non ſolum non labefactat, ſed vehementer confirmat. Ac non ſolam tunicatam plebeculam Chriſto nomen dediſſe, ſed plures literis & dignitate illuſtres, mox oſtendam.

(a) *In Octavio cap.* VIII. *ex edit. Gronovii*.

(b) *Tatianus orat. ad Gr. Tertull. in Apolog. Arnobius ſæpe, Lact. lib.* V. *cap.* 13. *Euſeb. in præp. Origenes lib.* 3. *contra Celſum, Nazianz. orat.* 2. *in Julianum, Cyrill. lib.* VI. *in Jul.*

(c) *In agone Romani* (d) *In agone Fructuoſi*. (e) *Matth.* I.

dam. Id nunc agam, ut demonſtrem, non alia ex re magis veritatem hiſtoriæ Chriſtianæ demonſtrari, quam ex hoc, quod iſti ſtulte rident.

Ante omnia conſtituamus hic quædam, quæ ſcio inter nos & Deiſtas convenire. Primum, Chriſti Religionem, ſeu legem, ac legis procemium, & motiva ſi cùm iis cultibus, ac cultuum dogmatibus conferantur, quæ id temporis obtinebant, longe eſſe a captu tunicati popelli remotam: eſſe philoſophicam, atque magnis animis & erectis dignam. Unus Deus, totus mens: ejus numine nutuque procreata omnia, ejus nutu gubernari: non ſolum earum rerum inſpector & vindex, quæ ob oculos ſunt hominum, ſed intimæ animi cogitationis, appetitus, affectus: ſola mente & tota colendus: non profana numina: nemo ullis meritis inter numina adlectus: non ſacrificia: non pompæ: non picturæ, non ſigna: nihil corporeum: ne templa quidem ulla, niſi colentium animi: compoſitum jus, faſque, atque intimi mentis receſſus ei ſacrata: incorrupti atque irreprehenſibiles mores: nullum ordinis, nullum conditionis, nullum gentium diſcrimen: non doctis locus, non eminentibus, non avita nobilitate fulgentibus: non liberi, non ſervi, non Græci, non barbari diſcreti, niſi quantum virtus meruerit: apud Deum nihil horum æſtimari: animo animique dotibus penſari omnia. Deiſtas noſtros rogo, vulgi ne hæc religio ſit, an ſapientum?

Alterum, quod æque ſcio nobis cum Deiſtis conſentire, eſt, quum omni tempore, tum eo præſertim, de quo agimus, plebem fœdis ubique religionibus depravatam fuiſſe, nec apud Paganos tantum, ſed in ipſa Hebraica Republica. In hac aniles & quæſtui natæ Phariſæorum traditiones pro divina lege habitæ: quas quod Chriſtus & Apoſtoli ex fronte impetiſſent, ille Cruci affixus fuit, hi vinculis, verberibus, proſcriptionibus, mortibus vexati atque extincti. Inter Ethnicos, ſatis ſuperque demonſtratum ſuperius eſt, quanta pravitas regnaverit. Itaque non ſine ratione paganam plebem inter Atheos cenſuit Paulus Apoſtolus. Quo in loco illud in primis conſiderari velim; eam ſuperſtitionem privatis utilitatibus, quarum eſt plebs avida & ſtudioſa, privatis affectibus, moribus, etiam nefandis, fuiſſe aptatam; a qua divelli idem prorſus videri debuit, atque ab omni vitæ hujus rationibus & dul-

cedine abſtrahi; quod quantopere ſit aſſuetis difficile, ſecum, volo, noſtri Deiſtæ reputent.

Sed conſtat & tertium, nullam humani generis partem tam eſſe veteris moris, ac religionis præcipue tenacem, quam plebem: quo enim minus utitur mente & ratione, eo conſtantius vetera tuetur. Illa enim mutare perpetuo quadrata rotundis, crebro variare mores, ad ſæculum ſeſe effingere, ordine toto diſconvenire, vivere denique in dies; certe plebis non ſunt.

Conſtat & quartum, ubique videlicet terrarum ut nunc, ita ſemper ſevere vetitum novas religiones adſciſcere. Id atrocibus pœnis apud Judæos puniebatur. Apud Athenienſes multi idcirco capite plexi (*a*). Idem Romæ cautum docent præter alios Livius & Dio (*b*). Eſt hæc Pauli lex in Digeſtorum libris relata, *qui novas & incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honeſtiores deportantur, humiliores capite puniuntur*. Scilicet, ut ait Cicero, *omnes religione moventur, & Deos patrios ſibi retinendos arbitrantur* (*c*).

Præterea & hoc, arbitror, concedent nobis hujus temporis argutiolarum captatores Dialectici, eam, quam dicunt, plebem, eas puellas, eas anus, quarum colluvie ajunt primam Chriſtianam Eccleſiam conflatam, mirificis conquiſitiſque ſuppliciis tentatam immotam perſtitiſſe in ea doctrina, quæ nihil commodi præſenti hominum vitæ pollicetur. Id enim tot conſtat & hiſtoricis, & Actis, & monumentis ære, vel marmore ſacratis, ut ſi quis inficietur, eum humano ſenſu deſtitutum dicam. Quæ vero ſupplicia? Horret animus meminiſſe. *Sic itaque*, inquit Tertullianus (*d*), *nos ungulæ fodiant, cruces ſuſpendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, beſtiæ inſiliant; paratus eſt ad omne ſupplicium Chriſtianus*. Hæc ut adulter, quum inguina tument, hæc ut fur, ubi fames impellit, hæc injuria laceſſitus, ac furore vecors ut ſpernat, nihil moror: ſed ut tener puer, ac mollis puella, ut ſenex totis artubus contremiſcens, ut quietæ vitæ amatores non horreant, quin in ea nec voluptate illecti, nec ira adacti, ruant, id profecto, niſi ab alto veniat, humani non eſt ingenii.

Po-

(a) *Studioſe id demonſtravit Joſephus l. 2. contra Appionem*.
(b) *Dio Lib.* LII. (c) *In Verrem V. Vide Euſebium l.* IV. *Dem.*
(d) *In Apolog. Vide & Minucium Felicem in Oct.*

Poſtremo, ut fuerint plebs ac vulgus, non ita tamen paucos, velim exiſtiment, ut fuerit facile iis atque perpetuo illudere. Agnoſco eſſe in omni populo quoſdam aut ſtupidos, aut etiam incredibilium credulos: hanc generis humani velut exceptionem eſſe conſtituam. Sed ut eo ſint ingenio tam multi, ac tamdiu, atque non inter ſilvicolas & barbaros, ſed in cultis urbibus, id rerum noſtrarum experientia vetat credere: ut ſi quis omnes nunc de plebe, Romæ, Neapoli, Florentiæ, Pariſiis, Londini truncos eſſe dicat, fungos, crudos lateres, eum ego ut a fungo non diſcernam, nemo ſanus vetabit. Sed eo redeo, quod incœptaveram. Infinitam prope multitudinem Chriſto nomen dediſſe, eo adhuc in vivis, Evangeliſtæ narrant diſerte: ea in dies percrebuit, longeque pervagata eſt: altero a Chriſto ſeculo jam omnia pervaſerat. Quare Tertullianus confidentiſſime apud Romanos dicere potuit (a). *Veſtra omnia implevimus: urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, ſenatum, forum.* Quod præter quam quod aperte acta Martyrum oſtendunt, inde quoque facile quis conjecerit, quod exeunte tertio ſæculo totus orbis Romanus ſe eſſe Chriſtianum ſenſit; hoc enim ictu oculi qui factum dicit, omnium eſt in rebus humanis imperitiſſimus.

Hæc quum ſint, ſi tota hæc multitudo nihil fuit aliud, quam indoctum, & leve vulgus; per ſe eſſe cuique poteſt manifeſtum, id fieri non potuiſſe, niſi & facta Chriſtiana vera conſtituamus, & Deum condita in hominum illorum pectoribus vi egiſſe: nam ecquis, niſi ſtipes, ſibi perſuadeat, tantam ubique maniam tot gentes invaſiſſe, ut nec divinis factis, nec intima vi & e Cælo ſpirante, nec ullis animi rationibus a veteribus religionibus diſtraherentur, non ſolum nulla cum ſæculi utilitate aut voluptate, ſed adverſus tam atrocia tormenta? Hoc igitur argumento, quo religionem Chriſtianam petunt Deiſtæ, nullum eſt nec pro illa illuſtrius, nec ejus divinitati aſſerendæ aptius.

Ceterum id verum quidem eſt, magnam partem veterum Chriſtianorum vulgus fuiſſe; nam eſt etiamnum: quia ſcilicet ubique gentium plebs maxima eſt Civitatis pars: ſed falſum interea eſt, non fuiſſe niſi idiotum vulgus, inermes puellas, & deliros ſenes, ut inique & imperite jactant.

(a) *Apolog. c. 37.*

Eccleſia ſcilicet Hieroſolymitana populoſa fuit, ac Epiſcopos habuit ex circumciſione quum antequam Hieroſolyma per Titum everterentur, tum ſequentibus annis, quod ex hiſtoria intelligimus; intelligimus & ex ſequentibus actis ejus Eccleſiæ. Nec vero idiotæ tantum credidere, ſed docti quoque plures, nec plebeii tantum, ſed nobiles. Utrumque hoc aperte demonſtrant Epiſtolæ Paulinæ & Acta Apoſtolorum, in quibus hujuſmodi plures, data occaſione, memorantur, ſalutantur, commendantur. Qui a Paulo dicuntur *Adjutores in Evangelio*, Hebræi erant in lege primum docti, deinde in Evangelio. Quoſdam ex Ariſtobuli domo, Regiæ ſcilicet ſtirpis, credidiſſe, Paulus tradidit (*a*). Videri poteſt Euſebius (*b*), quo in loco ſcribit accurate prorſus *Paulo prope innumerabiles Adjutores fuiſſe, quos commilitones vocat: quorum ille*, inquit, *pleroſque immortali Epiſtolarum ſuarum teſtimonio ornatos perpetuæ hominum memoriæ commendavit*. Præterea (*c*) Princeps unus venit ad Jeſum pro ſua emortua puella, quam Jeſus reſuſcitavit: nec dubito, quin ejus domus crediderit. Fuiſſe ejuſdem generis alios, quos Evangeliſtæ in tanto credentium numero memorare omiſerint, certus ſum. Nam ex hiſtoria Evangelica colligo, unos Sacerdotes, atque illis conjunctos vel ſanguine, vel amicitia, vel utilitate, Chriſto reſtitiſſe, ne ſi crederent; imperium, quod uſurpaverant in populum, ac cum eo vitæ voluptates omnes & commoditates una opera amitterent.

Jam vero de Judæis juxta & Gentibus ex coævorum, aut vicinorum fide diſcimus, nobiles plurimos, & quod præcipue refert, omnigena litteratura ornatos, Chriſtianam Religionem eſſe amplexos. Quod pertinet ad Judæos, tota, ut dixi, Eccleſia Judaica, quæ & gregem, & paſtores habuit generis ſui, uberrimum eſt argumentum. Teſtatur quoque Egeſippus apud Euſebium (*d*) Apoſtolorum temporum ferme æqualis, primores Hieroſolymorum quoſdam credidiſſe. Quod ſpectat ad Ethnicos, qui inire calculum velit veterum omnium Epiſcopatuum ad Conſtantinum uſque, is reperiet per trecentos annos infinitos propemodum Aſiæ, Africæ, Europæ Epiſcopos, ex Gentilibus fuiſſe litteratis ad Chri-

(a) *In Epiſt. ad Timoth.* II. *cap. ult.*
(b) *Lib.* III. *hiſt. Eccleſ. c.* IV. (c) *Matth.* IX. 18.
(d) *Lib.* II. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 23.

ad Chriſtum converſis. Quot autem, quales, ac quanti fuerint, unus docebit Euſebius in primis octo libris hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, qui Epiſcoporum ſucceſſiones ad ætatem uſque ſuam ſcribere voluiſſe teſtatur. Tot ſcilicet fuere viri litteris inſignes, ut quum in perſequutionibus quotidie Epiſcopi interirent, ſemper alii præſto eſſent, qui mortuorum in locum ſubirent. Eorum plerumque opera habemus, aut fragmenta, quæ hoc in loco memorare ſupervacaneum eſt. Quot præterea alii, qui numquam Epiſcopi fuere? Pantenus, Clemens Alexandrinus, Juſtinus, Origenes, Athenagoras, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, aliique vetuſtatis tenebris conditi, Philoſophi præſtantiſſimi, ut recte Euſebius (*a*), quum ea de re incidiſſet ſermo, ſcribat, *viros inſignes litteris & pietate, qui Apoſtolis ſucceſſere per orbem terrarum, ſe numerare non poſſe, ac eos tantum commemorare, quorum ſua ætate ſcripta ſupererant*.

Sed & plures quoque majorum imaginibus illuſtres nomen dederant. In Epiſt. Eccleſ. Smyrnenſis ad Eccleſias Ponti, quæ paulo poſt initium ſæculi ſecundi ſcripta eſt, legitur, *Polycarpum dum caperetur oraſſe pro magnis juxta & humilibus, nobilibus & obſcuris Chriſtianis*, quod Tyrannorum furori relinquebat: apud Euſebium (*b*). Sub Domitiano Flavia Domitilla Flavii Clementis conſulis ex ſorore neptis, aliæque fœminæ paris conditionis celebres fuere (*c*). Sequentibus temporibus ſub ipſis Gentilibus Imperatoribus viri fuere natalibus nobiles, qui Chriſtiani erant, ut ex Euſebii colligitur hiſtoria. Exempla delibo, ut intelligatur, quam inſcite Deiſtæ crocitent, Chriſtianam Religionem non fuiſſe niſi idiotarum & plebejorum. Quod ſi plures adhuc ei reſiſtebant, id fiebat, quod Tyrannos verebantur; nec tantæ erant fortitudinis, ut ſe, bona ſua, liberos ac uxores internecioni dare auderent. Cæterum quum paulo aliquando deferbuiſſet perſecutionis furor, ut ſub Trajano, ſub Adriano, ſub Antonino Pio, ſub Gallieno, mirum dictu eſt, quantum in numerum intra paucos annos Chriſtiani creverint. Facta tandem libertate ſuam Religionem profitendi Chriſtianis ſub Conſtantino totus orbis Romanus intra annum fere Chriſtianus evaſit, ſeu potius ſe Chriſtianum eſſe profeſſus eſt.

M 3 Quod

(a) *Lib.* II. *hiſt. Eccleſ.* (b) *Lib.* IV. *cap.* 15.
(c) *Vid. Irenæum l.* V. *& Euſeb. l.* III. *hiſt. Eccleſ. c.* 18.

Quod vero addunt, vi abactos Ethnicos credidiſſe, ignorantiam veteris hiſtoriæ aut turpiſſime produnt, aut inepte ſimulant. Quæ arma pro Chriſtianis, ac non potius contra Chriſtianos, ad Concilium uſque Nicænum ſunt adhibita? Interea Concilii Nicæni tempore pene totus orbis Romanus Chriſtianus erat, creveratque non armis ſuffragantibus ſed adnitentibus contra. Remanſerant, neque id nego, in angulis quibuſdam Gentiles Idololatræ, pleræque quoque gentes, ut Germanorum quædam, Hungarorum, Nortmandorum, Svecorum, Danorum, armis aut illectæ, aut adactæ ad Chriſtianiſmum VII. VIII. IX. ſæculo. Sed qui inde infert Chriſtianiſmum armis propagatum, ignorare debet ante ea ſæcula Gallias, Italiam, Græciam, Thraciam, Ægyptum, Aſiam Minorem, Palæſtinam, Armeniam, Parthiam, Chaldæam, Perſidem, Chriſtianos fuiſſe. Falſo itaque ac temere Bælius cenſuit, non poſſe nos Mahummedanis opponere armorum vi eorum ſuperſtitionem creviſſe, ac tam late provectam eſſe, quod & Chriſtiani Principes armis quoque adverſus Ethnicos ſint uſi: noſtra enim Religio conſtituta; ac quaquaverſum propagata erat, quum arma Principes adhibuere, nec ex Chriſtiana regula, nec id poſcentibus Chriſtianis. Mahummedana vero armis primum plantata eſt, atque armis veluti regula ſuperſtitionis ejus *eſſentiali* dilatata. Inter impoſtoris enim illius ſcita hoc erat primum, *adhibenda arma*. Quum tamen Chriſtus, Apoſtoli, & ſucceſſores, prædicatione, miraculis, vitæ ſanctitate adverſus arma pugnaſſent, & in immenſum creviſſent, interque præcipuas regulas docuiſſent, *ſed nec Religionis eſt cogere Religionem, quæ ſponte ſuſcipitur, non vi*, ut loquitur Tertullianus ad Scapulam cap. II. *& ſacrificium non eſt, quod exprimitur invito*, ut Lactantius (*a*).

Prop. XLIII. Hiſtoria Evangelica nequit in dubium vocari eorum auctoritate hiſtoricorum, qui aut id ætatis vixerunt, aut proxime ſequuti ſunt.

D. Hiſtoricos rerum id ætatis geſtarum, aut qui proxime ſequuti ſunt, ita partiri poſſumus, ut aut Hebræi ſint, aut Gentiles. Eorum porro auctoritate poterit aliquis in dubium hiſtoriam Evangelicam tribus ex cauſis vocare. I. Silentio.

(*a*) *Lib.* V. *cap.* 20. *Vide Grot. lib. de* J. *B. & P. cap.* 22. §. 14.

Silentio. II. Narratione rerum alio ſe modo habentium, quam ab hiſtoricis Evangeliſtis narrantur. III. Inficiatione. Quum autem ex nulla earum cauſarum queat, idque ſeu Hebræos ſpectemus, ſeu Paganos; nullo pacto coævorum hiſtoricorum pondere hiſtoriam Evangelicam aut inficiari, aut elevare poteſt.

At principio etiam ſi ejus atque ſequentis ætatis Hebræos atque Ethnicos hiſtoricos tacuiſſe omnes demus, id efficere nequit, ut Evangelicorum hiſtoricorum fides enervetur: ſunt enim hi contemporanei, oculati, exploratæ probitatis, plures etiam, quam ad factorum fidem faciendam neceſſe eſt; quorum qui teſtificationem non aliam ob cauſam refellit, quam quod eas res non omnes alii quum Judæi, tum aliarum Gentium hiſtorici narrant, is una opera omnem vetuſtatem everſum iri vult. In Hiſtoria Græca ſunt quæ narrat Herodotus, quæ tamen tacet Thucydides: aut quæ Thucydides retulit, quorum nullam habet mentionem Xenophon. Sunt in Latina quæ narrat Polybius, tacet Livius: narrat Svetonius, quorum non meminit Tacitus. Ecquis ferat hæc, idcirco aut inter falſa referre, aut habere dubia?

Sed ne id quidem dici poteſt, veteres illos tacuiſſe. Nam & Ariſtobolus, & Hegeſippus, & duo Joſephi (1) Chriſti atque Apoſtolorum, & rerum ab iis geſtarum meminere, ut ſupra demonſtratum eſt: & meminit Tacitus, & Plinius junior, & Svetonius, & Lucianus, & Phlegon, aliique. Poſtulet fortaſſe quiſpiam, ut integram illi Chriſti, & Apoſtolorum hiſtoriam ſcriptitaverint: quod tam eſt ſtultum & perridiculum, ac ſi quis a Salluſtio, aut Livio, aut Cæſare totam Ciceronis vitam deſcriptam velit; atque niſi fecerint, omnia, quæ ad hunc conſulem pertinent, cen-

(1) Locus Joſephi inſignis, ac doctorum virorum diſputatione longe illuſtris, eſt in l. XVIII. antiq. cap. 4. Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς καὶ σοφὸς ἀνήρ &c. ideſt, *Fuit autem hoc tempore Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, magiſter hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos vero ex Gentibus ad ſe pertraxit. Hic erat Chriſtus. Quumque eum a primoribus Gentis ſuæ accuſatum Pilatus ad Crucem damnaſſet, ab eo diligendo non abſtinuerunt, qui primum cœperant. Nam poſt tertium diem redivivus ipſis apparuit, quum divini vates hæc, aliaque quamplurima admiranda de eo prædixiſſent. Neque ad hunc diem defecit denominatum ab eo Chriſtianorum genus.* Hunc locum genuinum eſſe copioſe & docte oſtenderunt Huetius in Dem. Evang. Prop. III. §. XI. & ſeqq. Daubuz ad Joſephum, aliique plures.

ſeant in fabellis. Veteres Græci latinique hiſtorici ſæpe ſummis labiis attingunt ea, quæ alter copioſe deſcribit, ſeu quod minutam rerum geſtarum narrationem parum hiſtorici majeſtate dignam arbitrentur, ſeu quod propoſitum prementes alio properent. Non me autem latet quantopere Joſephi locum Feber vexaverit. Sed æque ſcio, quam pauca in vetuſtis monumentis intuta laſcivientibus ſint Criticis, ſi inde aut impunitatem ſibi promittant, aut ingenii gloriolam. Nec vero me movet, aut alios, arbitror, ſeveri ſincipitis, quin Virgilii Æneidem exoſculer, quod ætatis barbaræ commentum habuerit Harduinus, vir alioquin ingenii magni & feracis, ſed exuberantis ſæpe & luxuriantis; neque quiſquam adducet, ut Chriſtum Græce inter Hebræos loquutum putem, quod id Iſaaco Voſſio venerit in mentem; aut ſi quæ talia ſint perabſurda, in quibus interdum Grammatici noſtri, nimirum graviorum rerum vacui, & in nugis magni, ſibi perbelle plaudunt. Sed videant quam ſim liberalis: demus tantiſper tacuiſſe Joſephum. Hoc ego ſilentium loquaciſſimum eſſe ajo. Nam nemo me adducet, ut exiſtimem ei ignotum fuiſſe, quod non fuit Tacito viro exotico, niſi & Chriſtum quoque in terris olim vixiſſe, & ob novam doctrinam Cruci ſuffixum, aut negare velimus, velut non ſatis probatum, aut non publice apud Hebræos cognitum dicere. Neque vero ea res tam exilis erat, ac nullius pretii, ut nobilem hiſtoricum dedecuerit eo ſe demittere; præſertim quum res alias longe exiliſſimas ſæpe non ſine faſtidio narret. Accedunt rumores, atque doctrinæ mutationes, quæ eam ob rem Hieroſolymis acciderant, quæ ſuo tempore non per Judæam modo, ſed per totum prope Romanum imperium increbuerant. Quid igitur cauſæ fuiſſe dicemus, cur hæc tacuerit Joſephus? Nempe nemo aliam facile detexerit, quam hanc; quod videlicet vir doctus ſibi perſuaſerit, inique eos feciſſe, qui Chriſtum tam acerbe tractaverint, nullam ob aliam cauſam, quam quod veræ doctrinæ eſſet magiſter; aperte pravos Phariſæorum mores, depravationem legis, avaritiam, rapinas, crudelitatem, impias ſuperſtitiones reprehenderet. At erat Joſephus Phariſæus: itaque aut veritatem narrando proderet, aut genus. Ne genus igitur vellicaret, cujus illi iræ non poterant eſſe ignotæ; neve in publica facta mentiretur, nihil erat medii, niſi ut taceret. Aut ergo verum eſt Joſephi teſtimonium; aut

ſi fal-

ſi falſum, tanti hiſtorici ſilentium ſatis aperte probat, nihil illum habuiſſe, quod aut Chriſto, aut Apoſtolis opponeret aut pravitatis, aut mendacii, facturus haud dubium ſi ſine mendacio poſſet.

Jam vero non inde quoque elevari Evangelica poteſt hiſtoria, quod iis narrationibus adverſetur, quas aut ejus, aut ſequentis ætatis hiſtorici ad nos demandarunt; quum potius, ut demonſtratum eſt, cum iis mirifice conſentiat. Initio quarti a Chriſto ſæculi totum prope Romanum imperium Chriſto nomen dederat: magis quoque increbuit & eo, & ſequentibus ſæculis; tertio ergo ſæculo eſſe aliquis debuit Chriſtianiſmus. Ac longe lateque & hac quoque ætate patuiſſe, omnia Græca Latinaque ejus temporis monumenta teſtantur. Ita autem quarti ac tertii ſæculi Chriſtiana hiſtoria cum civili juncta eſt & connexa, ut nequeat quis alteram in dubium vocare, quin alteram contaminet. Altero a Chriſto ſæculo anguſtoribus terminis Chriſtianiſmus continebatur: hoc probat jam uno ante ſæculo cœpiſſe: ſed non minus tamen ejus hiſtoria cum profana mixta eſt & implexa. Totius ejus rei omnis generis monumenta adhuc ſuperſunt. Hæc demonſtrant Chriſtiana facta ſe jam cum reliqua id ætatis hiſtoria miſcuiſſe; ut idcirco nemo hucuſque tam fuit acuti & divini ingenii, qui alia ex aliis falſitatis revinceret. Quis ex. g. negaret Chriſtianos vexatos ſub Nerone, ſub Domitiano, ſub Adriano? Quis ea facta ex Cæſarum hiſtoria convicerit? Quæ res quoniam per ſe eſt manifeſta, longiori oratione non eget.

Poſtremo non ſolum nemo hiſtoricorum ejus, de qua agimus, aut ſequentis ætatis, ea facta inficiatus eſt, ſed contra pluribus modis conteſtati ſunt. Ac ii quidem, qui nondum Chriſtianis irati erant, leviter attigerunt. Quum vero percrebeſcens in dies ſecta metum faceret, atque hinc animos accenderet, primi, qui Chriſtianos impetivere, duplici argumentorum genere fecerunt: nam alii magicæ agicæ vi Chriſtum & Apoſtolos miracula perpetraſſe objiciebant: alii, quo tanta facta elevarent, confictas ſubduxere perſonas, eaſque ſcenice ornarunt. Utrique tantum abeſt, ut ullam vim Evangelicæ hiſtoriæ inferre poſſint, ut mirifice firment. Nec enim illi magos feciſſent Chriſtum & Apoſtolos, niſi ex publica certaque perſuaſione miraculorum, quæ ediderant: Neque iſti ſimias induxiſſent, niſi ut quæ inficari non poterant, tergiverſari poſſe crediderint in plures

vul-

vulgata. Quid enim vero efficere geſtit Hierocles? Equidem ſic exiſtimo; Euſebium, qui hujus hominis Chriſti & Philoſtrati paralleliſmum refutare eſt aggreſſus, id copioſius feciſſe ejus ineptiſſimas ineptias narrando, quàm argumenta adhibendo: ſunt enim quædam mendacia tam ipſa ſibi infeſta, ut quo deſtruas, enarraſſe ſit ſatis. A Deiſtis ego noſtris, quos crebro veteris ſcenæ perſonam appellare non pudet, quæſiverim; cur nulla Philoſtrati, tam ſcilicet divini viri, ſecta? Cur ne ulla quidem memoria, niſi quum Græculorum illa ferveret contentio? Ego nempe inopis ingenii atque puſilli ſic compono, quod tabulæ nullius, niſi quum geritur, atque cachinnus excutitur, noſtra intererit ullam reliquam eſſe memoriam.

Qui hæc facta factis aliis oppugnare nequeunt, argutiolis aggrediuntur. Quærunt enim, quum Deus æque ſit omnium Gentium pater, quæque narrant hiſtorici Evangelici, propterea fieri voluerit, ut ad juſtitiam, humanitatem, pietatem informaremur, cur non ubique Gentium ea fieri curaverit?

Steriles ne elegit arenas,
Ut caneret Judis, merſitque hoc pulvere verum?

Nam & Aſiæ, Europæque magna pars, quæ nempe ad ſeptentriones flectit, adhuc totius eſt Chriſtianæ doctrinæ imperita: & maxima Americæ, nec ea, quæ nunc eſt Chriſtiana, niſi heri aut nudiuſtertius Chriſto nomen dedit, idque magis armorum vi, quam diſciplina: & nihil omnino inaudivit huc uſque tota illa ad Auſtrum tellus veteri continenti aut par, aut major; quippe quæ latitudine prope duo millia milliariorum exæquat, longitudine quindecim fere millia; totum enim cingit Auſtralem polum. Præterea cur per quadraginta ſupra ſæcula ceſſaverit? Id cum ejus providentia pugnat. Tum cur non ita hanc religionem prædicari curavit, ut ii ſaltem omnes, ad quos primum delata eſt, ſe illi ſubmitterent? Nam conſtat nullam gentem tam fuiſſe ab ea averſam tamque pertinaciter, quam eam, in qua illa omnia ſunt geſta; quæ ſi tot miracula oculis inſpexiſſet, ſi Chriſtum redivivum contrectaviſſet, ecquiſnam arbitretur, tam eſſe potuiſſe refractariam? Certe Senatus Hieroſolymitani decreto proſcripta fuit, ut impoſtura, quod luculenter Lucas retulit in *Actis Apoſtolicis*.

Hæc movent pleroſque, ut moleſtas quæſtiones exiſtiment: me non item. De hiſtoria agimus, non de Dei conſiliis.

ſiliis. Licet hæc ignorare: nam æternitate premuntur. At quæ propalam ſunt geſta; quæ integros populos habent oculatos teſtes, nec poſſumus ignorare, quibuſque ea perſtant monumenta; nec ſi idcirco negemus, quod quo conſilio ſint eum in modum facta neſciamus, rationales ſumus. Puteolis ſuperioribus annis vetus atque magnificum ædificium terra conditum detectum eſt. Viri antiquitatis curioſi diſputare occœperunt, templum ne eſſet, forum, theatrum, privatæ ædes? Quæſitum, cujus ætatis? quo poſitum auctore? Putemus hæc omnia juxta ignorare: erit quiſquam tam duræ frontis, qui illud detectum inficietur? qui etiamnum viſum iri neget? Eodem ego loco argutiolas Deiſtarum noſtrorum habeo. Me Dei conſilia latent. Quid inde? Geſta quoque ego negem, quæ neminem, niſi agreſtes homines, latere poſſunt? Conſtet igitur hiſtoria: de hac nunc agimus: at illa, ſi lubet, quærantur ab iis, qui ſua intereſſe putant ſcire. Neque tamen ego Deiſtarum telum eludo: poſſem ego quoque iis oſtendere, non deeſſe nobis rationes, quibus judicemus, nihil eſſe in tota illa Dei providentia abſurdi. Sed id minime neceſſe eſt. Dicam enim iterum ac ſæpe: non de arcana Dei providentia diſceptamus, ſed de hiſtoria Evangelica: Nam ſi huc flectere diſputationem velimus, & ego quoque quæritando a Deiſtis (quibuſcum nunc quæſtio eſt) eos poſſim ad incitas adducere. Cur Deus homines non prius craverit? cur non ſapientiores ac elatioris mentis? Cur non animi omnes pacatioris atque tam placidos, quam Xenocratem, Ariſtidem, Atticum? Cur non plene beatos? Aut cur ſaltem ſine ulla lege non interna vi faciat beatos? Cur nunc non pluat de Cælo victum, atque in os omnium reſupinorum ingerat? Cur nigros progignit Æthiopes, flavos Germanos, albos Italos? Cur aves facit bipedes, quadrupedes cetera animalia? Atque ſi philoſophus alicubi hæſitaverit, jure ego meo negem hæc fieri. Quæ oſtendunt, hujuſmodi quæſtiones ad facta illa minime pertinere. Ne evagetur igitur quæſtio. Nam quod ajunt de Hebræis & Hieroſolymitano Senatu, primum nego neminem ejus gentis Chriſto credidſſe. Nam unde Gentium fuere Apoſtoli, quum illi duodecim, tum alii ſeptuaginta duo? Unde primæva illa Eccleſia Hieroſolymitana? Tum nego decreta in Chriſtum totius conſenſu Senatus prodiiſſe: erant enim ac graviores, ſanioris conſilii auctores. Poſtremo ea res magis rumoribus a

Pha-

Phariſæis excitis, quam maturis & liberis ſententiis geſta eſt; idque ut veteres prophetiæ adimplerentur. Sed ea de re vide ſuperius dicta.

CAP. XI.

De divinitate doctrinæ Chriſtianæ.

Prop. XLIV. Vera eſt, & a Deo librorum Evangelicorum doctrina.

D. Hiſtoria librorum Evangelicorum eſt vera (prop. 40.); ergo vera ſunt ea, quæ narrat, miracula. Quum autem hujuſmodi miracula & re ipſa, & modo omnem hominum vim exſuperent; effici non potuere, niſi a Deo, aut, quod perinde eſt, Dei vi, poteſtate, imperio. Deus igitur editis miraculis doctrinam Evangelicam teſtificatus eſt. Porro mentiri Deus nequit (prop. 19.); vera eſt ergo theorica novi teſtamenti doctrina.

Scholion. Aut igitur ego fallor, aut vecordes ſint neceſſe eſt ii, qui nullo partium ſtudio miraculorum Chriſti hiſtoriam contemplati, non eum e cælo delatum intelligant: ejuſmodi enim narrantur miracula, eaque confidentia perpetrata, ut vel contumacibus fidem faciant Dei in illis vim fuiſſe. Hujuſmodi ſunt, converſio aquæ in vinum; panum & piſcium portentoſa multiplicatio; mortuorum etiam quatriduanorum reſuſcitatio; deſperatorum morborum ſanationes ſolo verbo factæ, ut cæcorum a nativitate, paralyticorum per plurimos annos: imperium in dæmones &c. Et hæc quidem miracula non clanculum, ſed propalam efficiebant Chriſtus, & Apoſtoli, quorum videlicet totus populus teſtis erat oculatus. Sed eorum aliquot perpendamus, idque exempli loco. Panum, & piſcium multiplicatio, quæ bis eodem modo contigit (a) genus eſt creationis, quæ non hominum tantum vim, ſed totius naturæ ſuperat. Eſt porro miraculum ejus generis, in quo nulla fraus ſubeſſe potuit, quippe quod reales effectus ſecuti ſunt, ſaturitas plurium millium hominum, fragmentaque pluribus ſportis collecta: miraculum, in quo ſenſus ferme omnes ſibi mutuo teſtimonium dicebant, oculi, odoratus, guſtus, tactus internus, & externus; cujuſmodi

(a) *Matth.* XIV. & XV.

modi facta nullis imposturis ſubjecta eſſe poſſunt; miraculum præterea, cujus qui modum attentius conſiderat, nequit non in Jeſu nim divinitatis intelligere. *Jeſus autem convocatis diſcipulis ſuis dixit: miſereor turbæ, quia triduo jam perſeverant mecum, & non habent quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei diſcipuli, unde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam?* Nempe humana ratio cum exigua potentia conjuncta ſibi deffidebat. Habemus heic argumentum humanitatis. Quid autem ad hæc Jeſus; Nihilo commovetur magis, quam ſi nemo adeſſet. Itaque more ſuo tranquille ac confidenter, *Quot*, inquit, *habetis panes? At illi dixerunt, ſeptem, & paucos piſciculos.* Quis ad hæc non expaviſſe in tanta famelicorum hominum copia? Erant enim quatuor millia hominum: præter parvulos, & mulieres. Ille vero audacter præcipit turbæ, ut diſcumbant. Qui heic divinæ potentiæ characterem non agnoſcat, is omnino bardus & ſtupidus ſit, oportet: nemo enim tanta animi firmitudine & confidentia de re tanta quidquam ſpopondiſſet, niſi aut ſtupidus, atque omni captus mente, aut ſummus naturæ Auctor. Igitur diſcumbunt turbæ: is accipit ſeptem panes, & piſces, gratias agit, frangit, datque diſcipulis ſuis, diſcipuli populo. *Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfluit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas.* Rerum igitur natura ei obſequebatur: at natura nullius imperio parere poteſt, niſi Dei.

II. Ejuſdem generis eſt alterum miraculum, quod cap. XIV. enarratur. *Veſpere autem facto acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus dicentes: deſertus eſt locus, & hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in caſtella emant ſibi eſcas. Jeſus autem dixit eis, non habent neceſſe ire: date illis vos manducare.* Eſt hoc cum diſcipulis ludere velle, quos non ignorabat nihil habere tantum, quo quinque millia virorum, præter mulieres & parvulos, ſaturari poſſent. Itaque diſcipulis, *Non habemus*, ajunt, *hic niſi quinque panes, & duos piſces. Qui ait eis, Afferte mihi illos huc.* Quid facturus? Quinque ne etiam panes, ac duos piſces tantæ turbæ dividet? Non eſt id integram gentem ludibrio habere velle? Videamus, quo evadat. Jubet turbam diſcumbere: accipit quinque panes & duos piſces. Nempe potentiæ ſuæ conſcius erat: alioquin inſanire oportebat, qui id ageret, ut propalam tot deludificaret. Jam aſpicit in cælum,

benedicit, frangit, dat diſcipulis panes, diſcipuli turbis. *Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.* Quem hæc non illacrymare cogant præ lætitia? Nam hinc non ſolum Jeſu potentia in totam naturam intelligitur manifeſte, ſed etiam ſumma intelligentia & providentia, ut, quemadmodum dixi, ſtupidus ſit, qui in hoc ejus divinitatem præſentiſſimam non agnoſcat.

III. Atque ea via eſt & ratio, qua Chriſtus omnia ſua miracula efficiebat. Nempe non laborabat, ac ſe angebat, velut impetret, necne, incertus, ſed effundebat confidenter ex ſeſe ac natura ſua, nihil cunctans, nec futuri imprudens. Conſcius ergo ſibi erat naturæ ac divinæ ſuæ potentiæ. Sunt præterea talia quæ perpetravit miracula, ut ſcientiæ naturalis periti facile ſentiant, imperium fuiſſe illi in rerum naturam, quam ſolo nutu moderabatur. Rogat leproſus, an velit ſanare. *Volo*, inquit: *mundare*: *& mundatus eſt* (*a*). *Centurioni*, *Vade*, *& ſicut credidiſti fiat tibi*: *& ſanatus eſt puer in illa hora* (*b*): tetigit manus Socrus Simonis, & *reliquit eam febris* (*c*). Paralytico ait, *Surge*, *tolle lectum tuum*, *& vade in domum tuam*: & ſurrexit (*d*). Imperat mari, & placatur (*e*). Ficui maledicit, & *areſacta eſt continuo ficulnea* (*f*). Mitto cetera, quæ ejuſdem ſunt naturæ. Quem hunc eſſe oportet, cui tota rerum natura obſecundat, nullis illa machinis, nulla vi corporea adacta? Qui igitur hæc miracula legunt, non facta tantum legere debent, ſed quo etiam ſint facta modo animadvertere. Qui ſi ita Novi Teſtamenti hiſtoriam legunt, non poſſunt ii non Chriſti vim divinam agnoſcere, ac divinam totam, quam ille prædicavit, doctrinam. Sed & illud etiam in primis animadvertere debent, hæc omnia miracula non in alium finem fuiſſe comparata, niſi ut homines crederent, Jeſum eſſe a Deo miſſum, ejuſque doctrinam veram eſſe & divinam. Nec vero aliam ob rationem hæc credere oportere, niſi ut nova haberent & potentiſſima ad virtutem calcaria: ut non ſolum Deum amarent ac metuerent, quo par

(a) *Matth.* VIII. *v.* 3. (b) *Ibid. v.* 13.
(c) *Ibid. v.* 15. (d) *Ibid. v.* 27.
(e) *Matth.* XIV. (f) *Matth.* XXI. *v.* 19.

par eſt obſequio, ſed præſertim ut amarent ſeſe mutuo, ut alii aliis faverent, ac vitam & ſocietatem facerent pacatam & jucundam, ne cuique inferrent injuriam, neque moleſtiam, ne eſſent fures, mendaces, calumniatores, adulteri, perjuri, uno verbo, ut virtutem colerent, horrerent vitia. Nihil inde ſibi nec honoris, nec commodi, nec voluptatis promittebat; quod fieri oportuiſſet, ſi non fuiſſet niſi purus homo, nec egiſſet, niſi ex ſolis motivis naturæ & rationis humanæ (*a*).

IV. Accedunt jam eodem miracula alia plurima, quæ primi Chriſtiani in confirmationem doctrinæ ſuæ ediderunt, quorum totus antiquus orbis Chriſtianus teſtis extitit oculatus; quod teſtimonium qui reſpuit, is dicat etiam neceſſe eſt, tot gentes Græcas, Ægyptias, Aſiaticas, Romanas, omnium cultiſſimas Chriſtianæ prædicationi, etſi illa cum regnatrice mundi cupiditate pugnaret, credidiſſe, nullis miraculis ſubactas. Quod præter quam quod maniſeſtiſſimum eſt, ut dixi, veritatis Chriſtianæ doctrinæ argumentum, eſt etiam miraculum miraculorum, quemadmodum præclare animadvertunt Auguſt. (*b*), S. Chryſoſt. (*c*), & Damaſc. (*d*).

V. Huic argumento ita reſpondent Deiſtæ. Primum, non eſſe argumento, ut liber, quo miracula narrantur, ſit divinus: nam poteſt etiam profanus actor miracula ab aliis edita colligere, quin is divinam auctoritatem ſuis hiſtoriis conciliet. Deinde etiam eos, qui a Deo miſſi non fuerant, quique idololatriam profitebantur, miracula edidiſſe: nam Magi Pharaonis quædam & ipſi miracula fecerunt, ipſo Moſe teſte. Miraculorum quæ apud Græcos facta ſunt, plenæ ſunt Græcæ hiſtoriæ Herodoti, Diodori Siculi, Plutarchi: Latinorum Livius. Veſpaſianum cæco viſum, claudo integritatem membri dediſſe, dum in Ægypto eſſet, retulit Tacitus ſcriptor coævus, & alioquin ſeverus. Apollonii Thianæi miracula narrat Philoſtratus in ejus vita. Ea vero talia, & tanta fuerunt, ut Hierocles Gentilis Philoſophus paralleliſmum ſcripſerit vitæ Chriſti, & Apollonii. Ad hæc Moſes in Deuteronoaomio negat ex ſolis miraculis divinitatem Prophetæ alicujus dignoſci poſſe. Tum Chri-

(a) *Vide Orig. cont. Celſ. lib. III.*
(b) *Lib. 22. de Civit. Dei.*
(c) *Homil. 34. in Matth.*
(d) *Lib. IV. Fidei Orthodoxæ.*

Chriſtus apud Matthæum plane pronunciat etiam impoſtores facturos miracula. *Surgent*, inquit *Pſeudo-Chriſti*, *&* *Pſeudo-Prophetæ*, *& dabunt ſigna magna*, *& prodigia*. Tandem miracula eſſe poſſunt effecta ignotarum naturæ cauſarum. Enimvero & ignoramus quouſque natura rerum agendo progredi poteſt, ut nequeamus affirmare ea, quæ dicuntur miracula, non eſſe effecta cauſarum naturalium, ſed Dei; & doctrina eſt Philoſophorum omnium atque Theologorum, nihil poſſe Deum agere contra naturæ ordinem: nam is ordo e Dei manat lege æterna: *eſt* autem lex æterna ipſa Dei æterna ratio & intelligentia; adverſum quam qui aliquid efficere Deum poſſe exiſtimat, is Deum rem eſſe ſuapte natura mutabilem affirmet, neceſſarium eſt. Atque hoc potiſſimum argumento vim miraculorum elevare conatur Spinoza (*a*).

VI. Sed hæc facile refelluntur. Ac primum quidem argumentum vim aliquam haberet, ſi qui ſcribunt chriſtiana miracula, non iidem eſſent, qui fecere. Nunc autem quum iidem Apoſtoli, qui hæc narrant, & doctrinæ, & miraculorum in doctrinæ illius confirmationem patratorum auctores ſint; conficitur ejuſdem utraque originis eſſe, ideſt a Deo. Alterum vero argumentum duas habet partes. Prima urget miracula Magorum Pharaonis. At cum ea Deus ſeu occulta naturæ arte, ſeu Cacodæmonis ope fieri, ſeu, quod ſimilius vero putaverim, ipſe occultam vim ſuppetens permiſerit, ut ex collatione cum miraculis Moſaicis intelligeretur vera divinitas, quod perſpicuum eſt ex ipſa Moſaica narratione; cauſæ Deiſtarum non favent. Altera de Ethnicorum miraculis nititur vulgatis, & antiquis rumoribus, quos poſteriores Hiſtorici collegerunt, & quibus propterea quæ fides ſit adhibenda, nemini ignotum eſſe poteſt. Pleraque etiam eventa fortuita, aut quorum cauſas ignorabant, antiqui inter miracula retulerunt. Itaque Cicero in libris de Nat. Deor., tum in libris de Divinat. veterum Romanorum miracula aut ridet ut fabellas aniles, & rumores vacuos, aut ad cauſas naturales refert. Rident quoque ſæpe Livius, & Tacitus, nec raro Plutarchus (*b*).

VII.

(a) *In Tract. Theologico-Polit.*

(b) *Vide ut Arnobius aliquot veterum Romanorum miracula cribret vexetque extremo lib.* VII. *adverſus Gentes*.

VII. Sanctus Auguſtinus de Civitate Dei (*a*) hunc in modum totum hunc locum pertractat: *Hæc ergo*, (miracula Gentilium) *atque alia hujuſmodi, nequaquam illis, quæ in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda ſunt: quanto minus ea quæ illorum quoque populorum, qui tales Deos coluerunt, legibus judicata ſunt prohibenda atque plectenda, magica ſcilicet vel theurgica? quorum pleraque ſpecie tenus mortalium ſenſus imaginaria ludificatione decipiunt, quale eſt Lunam deponere*, donec ſuppoſitas, *ut ait Lucanus*, proprior deſpumet in herbas: *quædam vero etſi nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, finis ipſe, quo diſcernuntur, incomparabiliter hæc noſtra oſtendit excellere. Illis enim multi tanto minus ſacrificiis colendi ſunt, quanto magis hæc expetunt: his vero unus commendatur Deus, qui ſe nullis talibus indigere, & Scripturarum ſuarum teſtificatione, & eorumdem poſtea ſacrificiorum remotione demonſtrat*. Quæ doctrina huc redit; 1. Quædam Gentilium miracula eſſe ludificationes phantaſiæ, & ſenſuum. 2. Quædam alia videri noſtris coæquari, ſed fine longe diſcerni. 3. Finem illorum eſſe plurium Deorum cultum, quem ratio ipſa naturæ improbat: horum unius tantum Dei. 4. Itaque etiam ſi demus facta illa eſſe, ex fine ipſo redarguuntur. Ceterum non ita hæc ſunt accipienda, quaſi dæmones vera miracula poſſint efficere: ea enim non poteſt, niſi qui imperium in naturam habet, ideſt ſolus Deus. Solum Deum miracula facere poſſe, pluribus demonſtrat B. Thomas (*b*), qui idem cap. ſeq. negat miracula ſubſtantiarum aliarum ſpiritualium vera eſſe: quæ duo capita lectu ſunt digniſſima, ſimul & quæ ibi adnotat acutiſſimus Theologus Franciſcus Ferrarienſis.

VIII. Quod ſpectat ad miracula Veſpaſiani, Joannes Clericus (*c*), Chriſtophorus Auguſtus Heumannus (*d*), Joannes Laurentius Moſshemius ad Cudworthum (*e*), aliique inter arcana majeſtatis referunt, ut ſcilicet cupidus

(a) *Lib. x. cap. 16.*
(b) *In* III. *contra Gentil.* 103.
(c) *In Hiſt. Eccleſ. ſæculo II. ad annum* 138.
(d) *Peculiari diſſert. de miracul. Veſpaſ.*
(e) *In ſyſtem. Intellect. cap. IV. §. 15. not. 12.*

novi regni firmandi Veſpaſianus ea ad plebem circumveniendam excogitaverit, complicibus ſacerdotibus Serapidis, ut nempe favore numinum majeſtatem ſibi majorem conciliaret. Id ex ipſis Taciti, & Suetonii narrationibus conſtare arbitrantur. Ille enim his prodigiis *favorem & inclinationem numinum erga novum Imperatorem demonſtratum eſſe*; hic vero *auctoritatem, & majeſtatem novo principi, quæ ipſi defuiſſet, acceſſiſſe perhibet* (*a*).

IX. De miraculis Apollonii Thianæi in diverſa abierunt Theologi. Veteres, in primis Origenes contra Celſum, & Euſebius Cæſarienſis adverſum librum Hieroclis, partim conficta putaverunt, partim ope dæmonis facta. Codworthus (*b*) cenſuit genio malo armatum Apollonium, ut Servatoris noſtri factis fides detraheretur, atque labefactatis Chriſtianorum virtute turpiſſimis ſuperſtitionibus auxilium ferretur. Moſhemius autem ad eum Codworthi locum adnot. 18. neutram reſponſionem probat. Nam quum Thianæi geſta magna veterum conſenſione narrentur, ſi ut conficta habeantur, nihil putat reliquum eſſe ex veteri hiſtoria, quod ſimiliter rejici nequeat: in quo B. Auguſtini prudentiam imitatur, qui, ut vidimus, non omnino ea Gentilium mira facta negat, quæ facile ſit oſtendere a cauſis naturalibus fieri, nec eſſe vera miracula. Deinde ſi ope dæmonis dicantur facta quæ de Apollonio narrantur, cenſet injuriam inferi divinæ Providentiæ, quæ dum Chriſti doctrina tot laboribus & miraculis propagabatur, permiſerit æqualia fieri a dæmonibus. Ipſe igitur arbitratur Apollonium, qui pro eo tempore non indoctus Medicus, & Philoſophus erat phyſicus, partim arte medica, partim fraudibus ea geſſiſſe, quæ deinde auctiora facta variis narrationibus Gentilium ad poſteros pervenerint. Legi meretur tota illius & copioſa diſſertatio. Eadem videtur fuiſſe mens Auctoris reſponſionum ad *Queſtiones Orthodoxas* inter opera Juſtini.

X. Ego in Moſhemii ſententiam lubenter concedo, nec ullo modo dubito, Apollonium ope ſcientiarum naturalium, præſertim apud homines idiotas, ea feciſſe miracula, quæ deinde rumore vulgi aucta, atque exornata ad eos pervenerint, a quibus ejus geſta ſunt deſcripta. In id me, ut di-

(a) *Vide Tacitum Hiſt.* III. 88. *& Sveton. in Veſpaſ.*
(b) *In ſyſtemat. Intellect. cap. IV.* §. 15.

ut dixi, Moſshemii illa diſſertatio movet: movet Philoſtrati ſtilus romanenſis, & non ignoratæ Gentilium Sacrificulorum, & Philoſophorum artes, quibus chriſtianam religionem, qua aperte, qua per cuniculos impetebant. In id me quoque eadem inducunt, ut plurima in Apollonii vita conficta, alia longe exornatiora producta nullus dubitem. Conficta tamen talia, quæ apud viros graves ceteris geſtis fidem derogare debeat. Nam qui narrat Apollonium avium linguarum calleutiſſimum fuiſſe, & cum iis ſermonem continuaſſe, omniumque artium innatam ſibi ſcientiam habuiſſe, quibus nugis Philoſtratus libros de ejus vita ſaburravit, aut fabulam romanenſem cudit, aut impudentiſſime mentitur. Eum tu igitur hiſtoricum dicas, ac non potius ſophiſtam, & declamatorem?

XI. Argumenta porro e ſcriptura petita hoc probant, ſola miracula, non quæcumque, ſed quæ ignaro vulgo miracula videantur, ſi doctrina aperte ſit impia, non eſſe manifeſtum argumentum, eum, qui hujuſmodi portenta efficiat, hominem eſſe vere divinum. (*a*) Itaque Moſes addit, ſi qui efficit miracula, dicat, ſequimini Baal, nolite ſequi. Qui quum ſint, & lex chriſtiana ipſa per ſe ſanctiſſima deprehendatur; miracula ab ejus doctrinæ Doctoribus patrata apertiſſimum argumentum ſunt ejus divinitatis; præcipue quum talia miracula ſint, quæ omnem naturæ vim excedunt, nec fieri poſſe intelligantur, niſi ejuſdem cauſæ vi, ac numine, quæ rerum univerſitatem & condidit, & gubernat, ideſt quum ſint miracula, non quoad *modum* tantum, ac *formam*, ſed etiam quoad *ſubſtantiam*, & *materiam*, ut Theologi loquuntur. Et quum tres ſint verorum miraculorum gradus, uti perſpectiſſime docet B. Thomas (*b*). I. Eorum, quæ quoad *ſubſtantiam* facti naturam ſuperant. II. Eorum, quæ a natura quidem fiunt, ſed non in iis ſubjectis, in quibus facta leguntur, ut vitam mortuis dare; III. Eorum, quæ non quoad *ſubſtantiam*, ſed quoad *modum* naturæ vires excedunt (*c*); eorum omnium exempla patentiſſima ſunt in Novo Teſtamento, ut quivis facile collegerit. Vide ut hunc locum diligenter

(a) *Vide Houtevillium*.
(b) *Prima par. quæſt.* 105. *art.* 8.
(c) *Vide Ferrar. in* 3. *contra Gentil. ad cap.* 102.

pertractat doctiſſimus Jeſuita Paulus Segneri (a). Sed & accuratiſſime hanc eamdem cauſam egit Proſper Lambertinus, poſtea Benedictus XIV. *de Canonizatione Sanctorum*.

XII. Jam vero, licet ignoremus extenſionem virium totius naturæ, non ignoramus tamen & vim naturæ finitam eſſe; & ſuos habere terminos præfinitos, quoſque intelligamus, earum rerum naturas, a quibus, vel in quibus miracula fiunt. Itaque quum tale miraculum videmus, quod vim & potentiam infinitam exigit, ſeu ſui *ſubſtantia*, ſeu *modo*, quo fit, qualia ſunt multiplicatio panum & piſcium, quæ creatio ex nihilo eſt, reſuſcitatio mortuorum, & ſimilia; confidenter pronunciamus a Deo eſſe. Præterea quum videmus ab homine hujuſmodi perfici miracula, quæ & ſuas vires excedunt, & vires earum rerum, quibus velut inſtrumentis, aut velut objectis miraculorum, utitur, non dubitamus divinæ eſſe originis, præcipue ſi ea continenter fiant, & perpetuo: nam pugnat cum divina Providentia hujuſmodi miraculis homines in errores induci. Ac vero ſane numquam falſa miracula in falſæ doctrinæ comprobationem facta, & quidem continenter, ac perpetuo legas, ut in eorum ſuſpicionem venire homines nunquam potuerint. Providentiæ enim divinæ illud eſt, quod binis verbis enunciat Cicero, *commenta delet dies*.

XIII. At enim, nihil fieri a Deo poteſt contra legem æternam; ergo ne contra ordinem quidem naturæ. Quare aut miracula ordinem naturæ ſequuntur, ac miracula non ſunt: aut cum ea pugnant, & commenta ſunt. Reſpondeo, ordinem quidem naturæ ex lege eſſe æterna, ſed non eſſe tamen totam legem æternam: fieri ergo poſſunt plurima adverſus mechanicas naturæ leges, quæ tamen non ſolum non pugnant cum lege æterna, ſed ei ſunt conſentanea; quandoquidem cum eodem fine conſentiunt, ad quem naturæ ordo ſpectat: nam quibus æternis rationibus conſtat mundi ordo, iiſdem fieri poſſunt & miracula.

XIV. Woolſton Anglus homo anno 1727. nova via, & ratione, quam nemo hucuſque excogitaverat, miracula Novi Teſtamenti elevare aggreſſus eſt. Contendit nempe allegorice omnia interpretanda eſſe, ac animorum curationes,

---

(a) *In Opere vere aureo.* Incredulo ſenza ſcuſa *part. II. cap. IV. & V.*

nes, non res factas ſpectare. Itaque ſi Woolſtono fides, quæ Chriſtus, & Apoſtoli feciſſe miracula narrantur, numquam reipſa fecere, licet morbos animi curaverint, idque vocabulis e corpore deſumtis narraviſſe. Addit realia miracula effecturos Chriſtum, & Apoſtolos in altero Chriſti adventu: narrari vero veluti facta ab Apoſtolis, ut Chriſtianorum animi ad ſpiritualem Chriſti adventum carnalibus & corporeis allegoriis præparentur. Interpretatio, inquit, litteralis Novi Teſtamenti carnalis eſt, & occidit; ſpiritualis ergo ſenſus ſectandus eſt: quod ille principium, quo ad miracula evertenda abutitur, ſubdole magna veterum quorumdam Patrum copia ſtatuere conatus erat uſque ab anno 1705. ut ſibi ſcilicet impietatis ſuæ viam efficeret. At hæc hominis abſurdiſſimi portenta riſu, aut miſeratione digniora ſunt, quam ſevera confutatione: nam quis ſerio eum confutaverit, qui ſcribat totam Livii hiſtoriam allegoriam eſſe eorum geſtorum, quæ ſpiritualis Reſpublica Romana egit, aut poſt diem Judicii geſtura eſt? Interea accurate ejus hominis ineptias omnes & minutatim refellit, quem ſæpe laudavimus, Stackouſe.

XV. Chriſtiani nominis hoſtes, tam illi veteres, quam novelli Atheiſtæ, ſolent & hæc adverſus Chriſti, & Apoſtolorum, quæ referuntur miracula, objicere; non iis, niſi idiotas commotos, ac principio paucos; doctos vero, & nobiles homines reſtitiſſe ſemper, quouſque armis omnes adigerentur, ſubverſis a principibus chriſtianis Gentilium delubris, ac ad chriſtiana ſacra ſuſcipienda publice omnibus adactis, quod argumento eſſe poteſt, non ita ſe habuiſſe, ut narratur. Hoc poſtremum neſcio quo fine Bælius in Dict. critic. *Art. Mahummed.* ambitioſe exornavit, etſi eo nullum nec inſcitius eſt, nec magis falſum. Quam rem quoniam ſuperius copioſe egimus, nihil heic addendum eſſe putamus.

Prop. XLV. Chriſti reſurrectio & adſcenſio ad cælum divinitatem Evangelicæ doctrinæ oſtendunt.

D. Nam ea, atque ita, ut ſunt geſta, non potuere niſi a Deo effici, ut eſt per ſe manifeſtum; iis igitur Deus divinam Jeſu Chriſti prædicationem teſtificatur (*a*).

Schol. I. Nullum humanum factum eſt, quod veteres hiſto-

(a) *Vide ut hoc argumentum copioſe & ſtrenue tractat Dicton.*

ſtoriæ, eaſque ſequutæ res faciant teſtatius, quam Chriſti reſurrectionem. Interea profani homines omnes ingenii vires explicavere, ut id in dubium vocarent. Ac principio contendunt, poſſibile non eſſe, ut corpora ſemel mortua revocentur ad vitam; ex quo conficere ſibi videntur, nec Jeſum reſurrexiſſe: quæ hiſtoria quum præcipuum ſit chriſtianæ Fidei, & Religionis fundamentum, ſi vera non eſt, de Religione chriſtiana actum eſt. Deinde ſi Jeſus reſurrexit (inquit Celſus) (*a*) & Spinoza (*b*), cur Senatui Jeroſolymitano, cur Phariſæis, & inimicis ſuis non apparuit? Ita enim facillime eos perfidiæ ſuæ convincere poterat, ut ne muſſitarent quidem amplius. Inde vero progrediuntur Deiſtæ, atque inſcitiſſime conjiciunt, aut diſcipulos Jeſu ejus corpus ſubripuiſſe, dehinc vulgaſſe eum reſurrexiſſe; aut phantaſia, vel ſpectro aliquo deceptos id ſibi perſuaſiſſe, quod maximopere deſiderabant: quod quæ volumus, facile credamus.

II. Reſpondemus primam objectionem indignam eſſe Philoſophis. Qua enim ratione impoſſibilem vocant Chriſti reſurrectionem, abſolute ne & intrinſecus, an extrinſecus & relative? Primum non dicent, niſi perridiculi eſſe velint; neque enim poſſibile eſt animam, quæ a corpore ſemel ſoluta eſt, iterum illi uniri: nam quum non ſit impoſſibile animam humanam corpori uniri, ac dato uno poſſibili, poſſibilia ſint infinita ſimilia, poſſibile eſt infinities ſeparari, & infinities corpori uniri. Quod ſi Chriſti reſurrectio intrinſecus impoſſibilis non fuit, ne extrinſecus quidem; nihil enim eorum, quæ intrinſecus poſſibilia ſunt, Deo eſſe poteſt impoſſibile, modo ne cum ejus natura pugnet. Atque ita ratiocinatur Juſtinus Martyr, ſeu quiſquis ſit, reſponſione ſeptima ad objecta de Reſurrectione in Juſtini operibus: *Si elementa*, inquit, *ſubjiciuntur ad eorum, quæ generantur creationem, & ad eorum, quæ intereunt reſtitutionem, quomodo incredibilis, atque impoſſibilis eſſe eorum, quæ intereunt, exiſtimatur reſtitutio? num incredibilis, atque impoſſibilis etiam erit eorum, quæ ab initio genita ſunt creatio?* Præclare quoque ſuper eadem re diſſerit Auguſtinus (*c*). *Utrum*, inquit, *non poteſt facere, ut reſurgat caro, & vivat in æternum; an propter-*

(a) *Apud Origenem lib. II. contra Celſum.*
(b) *Epiſt. 23. ad Henric. Holdenburg.*
(c) *Lib. XXII. de Civit. Dei cap. 25.*

pterea credendum non eſt id eum eſſe facturum, quia malum eſt, atque indignum Deo? . . . ſi volunt invenire quod omnipotens non poteſt, habent prorſus: ego dicam: mentiri non poteſt. Credamus ergo quod poteſt, non credendo quod non poteſt. Non itaque credentes quod mentiri poſſit, credant eſſe facturum quod ſe facturum eſſe promiſit: & ſic credant, ſicut credidit mundus, quem crediturum eſſe prædixit, quem crediturum eſſe laudavit, quem crediturum eſſe promiſit, quem crediſſe jam oſtendit.

III. Ad alteram objectionem reſpondemus, nos de factis diſputare, non rationes operationum Dei, quæ eſſe poſſunt infinitæ & præſtantiſſimæ, exquirere. Quum conſtat Deum aliquid dixiſſe, aut feciſſe, Dei auctoritas ſumma nobis rationis loco eſſe debet. Divinus eſt Auguſtini locus (*a*). *Jam ergo tria*, inquit, *ſunt incredibilia, quæ tamen facta ſunt. Incredibile eſt Chriſtum reſurrexiſſe in carne, & in cœlum aſcendiſſe cum carne: Incredibile eſt mundum rem tam incredibilem credidiſſe: Incredibile eſt homines ignobiles, infirmos, pauciſſimos, imperitos, rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis perſuadere potuiſſe. Horum trium incredibilium primum nolunt iſti, cum quibus agimus, credere. Secundum coguntur & cernere, quod non invenerint, unde ſit factum, ſi non credunt tertium. Reſurrectio certe Chriſti, & in cœlum cum carne, in qua reſurrexit, aſcenſio toto jam mundo prædicatur, & creditur. Si credibilis non eſt, unde toto terrarum orbe jam credere eſt? Si multi nobiles, ſublimes, docti eam ſe vidiſſe dixerunt; & quod viderunt diffamare curarunt, eis mundum credidiſſe mirum non eſt; ſed iſtos adhuc credere nolle perdurum eſt. Si autem, ut verum eſt, paucis, obſcuris, minimis, indoctis eam ſe vidiſſe dicentibus credidit mundus, cur pauci obſtinatiſſimi, qui remanſerunt, ipſi mundo jam credenti adhuc uſque non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, quia in tanto contemtibilibus teſtibus numero mirabilius divinitas ſe ipſa perſuaſit.* Non potuit vehementius Spinozæ impudentia retundi: ſed legatur locus integer. Progreditur enim ultra, ac quum demonſtraſſet Apoſtolos plurima egiſſe miracula, ut Chriſti reſurrectionem mundo perſuaderent, in-

(a) *De Civit.*

de conficit, vere Chriſtum reſurrexiſſe: miracula enim Deus nulla efficere poteſt in falſitatis confirmationem; quia ſcilicet hoc unum non poteſt Deus omnipotens, mentiri. Non itaque probare poſſumus Origenem contendentem, Chriſtum multiplex corpus & varium poſt reſurrectionem habuiſſe, ita tamen, ut quum coram omnibus eſſet, non ab omnibus videretur, aut cognoſceretur, quippe quod non omnes habuerint oculos aptos ad eum intuendum: id enim nullum habet in hiſtoria, aut traditione Evangelica præſidium.

IV. Quod conjiciunt vero Deiſtæ, id cum narratione reſurrectionis Jeſu Chriſti pugnat aperte: tales enim circumſtantiæ hujuſmodi narrationem comitantur, ut nulla ſuſpicio ſuboriri poſſit, ſubripuerint ne Apoſtoli corpus, & fraudem fecerint, aut phantaſia & ſpectro decepti ſint. Id ita demonſtrabimus. Quum mulieres duæ ſepulcrum Chriſti vacuum reperiſſent, ab angelo ſunt admonitæ, Chriſtum reſurrexiſſe. Id autem ſolum firmum eſſe potuit reſurrectionis Chriſti argumentum. Quid enim? An corpus Jeſu ſublatum clanculum fuerat? A quibus tandem, quum ſepulcrum ejus rei metu diligentiſſime cuſtodiretur? Præterquam quod ſuſpiciones iſtæ locum aliquem habere poſſent, ſi nulli Jeſus redivivus apparuiſſet. Nunc autem primo apparuit Magdalenæ prope ſepulcrum (*a*). Secundo apparuit mulieribus ſepulchro Jeroſolymam redeuntibus (*b*). Tertio apparuit Petro (*c*). Quarto duobus Diſcipulis Emmauntem euntibus. Sed quum adhuc dubitaretur, Jeſus, ut omne dubium tolleret, quinto apparuit omnibus Apoſtolis ſimul, uno Thoma abſente (*d*). Illis autem præ timore, & gaudio fidem non habentibus, oſtendit manus & pedes, atque una cum iis comedit, & bibit. Sexto iterum apparuit diſcipulis omnibus una cum Thoma, qui non videre tantum, ſed & tangere voluit, ita rem divina Providentia gubernante, ut poſterum dubia præoccuparet (*e*). Septimo prope mare Tiberiadis omnibus iterum diſcipulis ſe manifeſtavit, & cum iis manducavit, & bibit (*f*). Octavo apparuit pluſquam quingentis Fratribus ſimul congregatis, quorum plerique ſupererant, quum hæc ſcriberet Paulus (*g*). Nono

(a) *Marci XVI.* 19. *Joannis* XX. 11. (b) *Matt.* XXVIII.
(c) *Lucæ* XXIV. (d) *Lucæ* XXIV. & *Joan.* XX.
(e) *Joan.* XX. (f) *Joan.* XXI.
(g) I. *ad Corinth.* XV. 6.

Nono tandem dicitur verſatus cum Apoſtolis per quadraginta dies loquens de regno Dei; ſecundum quæ omnibus diſcipulis intuentibus in cælum ad Patrem abiit (*a*). Quis autem, qui omnia hæc accurate perpendat, ſibi perſuadeat Apoſtolos aut phantaſia deceptos fuiſſe, aut inſigni fraude voluiſſe decipere, ac potuiſſe? Producant ſaltem Deiſtæ rationes, quibus fiat ut de hujuſmodi hiſtoria dubitent; nam dubitare ſine ratione, non eſt dubitare, ſed dubitare velle, aut potius nolle credere. Id autem indignum eſt, non dico hominibus veritatis inquiſitionem profitentibus, ſed quocumque homine, qui ſit rationalis. Sed & oſtendamus Apoſtolorum teſtimonium tanti eſſe, ut de eo dubitare nequeat, niſi qui omnem prius rationem excuſſerit.

V. Ac primum nulla dubitandi ratio eſt: aut enim teſtibus nullis credendum eſt, aut cur aliquibus non credatur ratio afferenda eſt. Deinde cauſa cur de fide eorum dubitari non debeat manifeſta eſt. Nam ſi ratio illa valere debet, quod diſcipuli ejus fuerint, tum neceſſe eſt, ut dicatur eos mentitos fuiſſe, aut contra mentem ſuam voluiſſe affirmare quod ſciebant falſum eſſe. At 1. Nulla ratio hoc ſinit credere: nam ſtatim falſi redargui, & convinci potuiſſent, oſtenſo cadavere. Nec quo minus id fieret dubitare potuiſſent: nam quotquot eorum in populo Judaico erant, in primis optimates, & proceres, qui Jeſum cruci affixerant, & quorum intererat, ut jure cruci affixus crederetur, ac proinde a Deo non ſuſcitatus, hoſtes habebant ſibi æque ac Magiſtro infenſiſſimos; huic famæ, & rumori omnibus viribus obſtituros eſſe non poterant non credere: in primis ſi ad manus cadaver eſſet, cujus oculari demonſtratione & inſpectione rei veritas evinci poſſet. At nemo unquam repertus fuit, qui eos falſi redarguere iſta ratione potuit. Subripuerant, inquit aliquis, diſcipuli Chriſti cadaver, ac alio tranſtulerant. Ineptiſſima exceptio. Cur in id non inquiſivere Judæi? Ecquis præterea arbitretur id perpetuo occultum eſſe potuiſſe?

VI. Jam quo fine id iſti teſtari voluiſſent? Ut enim credamus eos teſtari voluiſſe verum eſſe, quod ipſi apud animum ſuum certi erant falſum eſſe, nullo prorſus fine, id nullo pacto eſt veriſimile. Recte olim Piſo dixiſſe legitur, *cui bono?* Si ſine aliquo id eos teſtatos eſſe dicas, neceſ-
ſe

(a) *Act.* I. 3.

ſe utique eſt, ut eos id teſtatos dicas eo fine, ut doctrinam, & religionem Jeſu Chriſti magiſtri ſui propagarent quaquaverſum, Recte, inquies. At 1. religionem illam propagantes ſe ipſos damnaſſent, reoſque æternæ mortis feciſſent: inter axiomata enim religionis iſtius eſt, non eſſe mentiendum: & mendacio hominem reum iræ divinæ, ac mortis æternæ fieri.

VII. Ad hæc, quo fine eam propagatum ire voluiſſet? An ut utilitatem aliquam inde conſequerentur? At quam utilitatem? ut gloriam, opes, voluptatem ſperare inde ſe poſſe crediderint, dici non poteſt. Contraria omnia exſpectanda erant, & contraria omnia ipſis eventura ipſa Religio prædicebat. Sed & evenire jure meritoque credere debuiſſent, quod teſtari voluiſſent id, quod ſciebant falſum eſſe, mundumque univerſum dedita opera fallere. Ubi quæſo latebit tantæ improbitatis ſtimulus? Quid eos ad tam miſeram, & periculoſam malitiam incitare potuit & impellere? niſi dicas eos delectationem in eo quæſiviſſe, quod mundum totum fallere poſſent, quod nimis profecto ſcurrile eſt. Hoc neſcio an cadat in deſperatiſſimæ improbitatis hominem. Nam primo, quæ ſpes ut tam enormi & grandi mendacio fides adhiberetur? Aut quam fidem ei adhibitum iri crederent, quum ipſi mendacium eſſe ſcirent, cui ipſi primum non crederent? Secundo, quid in delectatione illa potiſſimum eſſe poterat, quum ſcirent, ac proſpicerent ſibi eapropter omnia pericula ac mala metuenda eſſe? Tertio quis credat eos iſto mendacio delectationem ſibi quæſiviſſe, aut quærere voluiſſe, quo doctrina, ac religio propagaretur, quæ tantum ad homines omni virtutis, ac pietatis genere ornandos, compoſita erat? Quare concludo, eos non modo idcirco, quod diſcipuli Chriſti fuerint, ſuſpicione falſi gravandos minime eſſe, ſed contra ideo majorem fidem mereri. Hoc autem argumentum tanti apud me ſemper fuit, ut illud ſemper crediderim ſolum ſufficere veritati, & divinitati religionis chriſtianæ plene demonſtrandæ, idemque verum judicabunt, quicumque paullo attentius illud conſideraverint (1).

VIII. Pulcherrimus eſt, quique plurimum ad rem noſtram

(1) Egregie & copioſe tota hæc res demonſtratur ab eodem Humfredo Dicton *De veritate Religionis Chriſtianæ ex Reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

ſtram facit Arnobii Presbyteri locus in primo adverſus Gentes: *Sed non creditis*, inquit, *hæc? ſed qui ea conſpicati ſunt fieri & ſub oculis ſuis viderunt agi, teſtes optimi, certiſſimique Auctores, & crediderunt hæc ipſi, & credenda poſteris nobis, haud exilibus cum approbationibus, tradiderunt. Quinam iſti ſunt, fortaſſe quæritis? Gentes, Populi, Nationes, & incredulum illud genus humanum, quod niſi aperta res eſſet, & luce ipſa, quemadmodum dicitur, clarior, numquam rebus hujuſmodi credulitatis ſuæ commodarent aſſenſum. At numquid dicemus illius temporis homines uſque adeo fuiſſe vanos, mendaces, ſtolidos, brutos, ut quæ numquam viderant vidiſſe ſe fingerent, & quæ facta omnino non erant, falſis proderent teſtimoniis, & puerili aſſertione firmarent, quumque poſſent vobiſcum & unanimiter vivere, & inoffenſas ducere cognitiones, gratuita ſuſciperent odia, & execrabili haberentur nomine? Quod ſi falſa, ut dicitis, hiſtoria illa rerum eſt, unde tam brevi tempore totus mundus iſta Religione completus eſt? aut in unam coire qui potuerunt mentem gentes regionibus disjunctæ? Ventis, cælo, convexionibus dimotæ? Aſſeverationibus illectæ ſunt nudis, inductæ in ſpes caſſas, & in pericula capitis immittere ſe ſponte temeraria deſperatione voluerunt, quum nihil tale vidiſſent, quod eos in hos cultus novitatis ſuæ poſſet excitare miraculo. Imo quia hæc omnia & ab ipſo cernebant geri, & ab ejus præconibus, qui per orbem totum miſſi beneficia patris & munera ſanandis animis hominibuſque portabant veritatis ipſius vi victa, & dederunt ſe Deo, nec in magnis poſuere diſpendiis, membra vobis projicere, & viſcera ſua lanianda præbere. Sed conſcriptores noſtri mendaciter iſta promſerunt, extulere in immenſum exigua geſta, & anguſtas res ſatis ambitioſe dilatavere præconio. Atqui utinam cuncta referri in ſcripta potuiſſent vel quæ ab ipſo geſta ſunt, vel quæ ab ejus præconibus pari jure, & potentia terminata. Magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum, aut apprehendere locum fortaſſe poſſetis quod videretur ſimillimum veri & incrementa rebus appoſita, & inditas ſcriptis, & commentariis falſitates. Sed neque omnia conſcribi, aut in aures omnium pervenire potuerunt geſta gentibus in ignotis, & uſum neſcientibus literarum.* Vide totum locum.

CAP.

CAP. XII.

Divinitas Chriſtianæ Religionis ex vetuſtis prophetiis demonſtratur.

REm pene infinitam, quamque viri docti, quum inter veteres Chriſtianæ Religionis Apologiſtas, tum noſtris præſertim temporibus copioſe pertractaverunt, ſummis, ut dicitur, labiis attingere cogor, ejus brevitatis memor, quam ſuſceptum inſtitutum poſtulat. Habent hujus argumenti amatores & in Euſebio Cæſareenſi viro eruditiſſimo, & in Petro Daniele Huetio (*a*), unde affatim ſuæ ſatisfaciant curioſitati.

Prop. XLVI. Vis prophetica eſt ſolius Dei.

D. Prophetia eſt earum rerum prædictio, quæ nondum evenerunt, quum prædicuntur, quæque neque ex cauſis naturalibus, nec ex præſente rerum ſtatu conjici poſſunt (def. 15.); id autem ejus eſt, qui totam rerum naturam, quacumque illa loco, aut tempore patet, mente comprehendat, ac nutu regat, quemadmodum per ſe eſt perſpicuum; quum is ſolus ſit Deus (prop. 7. & 2.), fit ut vis prophetica ſolius Dei ſit.

Scholion. *I*. Vide ut hoc communi Gentium ſenſu confirmat Huetius (*b*). Nos hoc in loco ut de Prophetiæ natura & generibus pauca diſſeramus, rei, de qua agimus, intereſſe cenſemus: ſed diſſeremus more noſtro, breviter, & preſſe. Prophetiæ vocabulum longe lateque patet: ut enim Propheta dicitur *quicumque revelationem præter naturæ vias a Deo accipit*; ita tota hæc revelatio prophetia appellatur, quo illa a naturæ ratione & lumine diſtat. Revelatio autem divina aut res, quæ aguntur, ſpectat, aut doctrinas: res præteritas, præſentes, futuras: doctrinam theoreticam, vel practicam. Res quidem præteritas, aut præſentes, ſed obſcuras, complectitur plerumque prophetia. *Prophetiza nobis Chriſte, quis te percuſſit*, ajebat impius ſatelles poſtquam colapho Jeſum cæciderat (*c*). Sic aſinas, quas nudius tertius amiſerat, eſſe inventas Samuel vi prophetica Sauli ſignificavit (*d*). Sic-

(a) *Euſeb. in demonſt. Evang. Huet. in opere eadem inſcriptione adornato*. (b) *Dem. Evang. axiom.* 4.
(c) *Matth.* 26. 6. (d) 1. *Reg.* 9. 20.

Sicque quæcumque Naaman inter & Giezi conventa fuerant Eliſæus preſpecta habuit. Sed *futurorum*, & quidem *contingentium* proprie prophetia eſt. Itaque Caſſiodori recepta eſt & probatiſſima Prophetiæ definitio: *eſt divina præſcientia rerum eventus immobili veritate denuncians*: eſt autem *præſcientia* futurorum *contingentium*, *fortuitorum* (1). Jam doctrinas quoque complectitur viſio prophetica, & quidem non practicas modo, ſeu quæ mores ſpectant, ſed etiam theoreticas, quarum notitia neceſſaria ſit, aut utilis ad mores. Quare prophetici libri & docent plurima, quæ ad Dei naturam & opera pertinent, & monent, exhortantur, jubent, vetant, quæ ad mores adtinent. Vide (*a*) B. Thomam.

II. Illud quæri poteſt, utrum ea quoque, quæ naturali via & ratione ſciri poſſunt, objectum ſint prophetiæ? Ut ea quæſtio rite pertractetur, prophetiæ finis conſtituendus eſt. Is eſt Eccleſiæ ædificatio: *unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*, inquit Paullus Apoſtolus I. ad Corinth. 12. 7. Qui ibidem genera omnia divinorum donorum enumerans, ea ita eſſe ſingula corpori Chriſti, ideſt Eccleſiæ, neceſſaria demonſtrat, ut ſingula corporis humani membra toti corpori. Quocirca ſi Eccleſiæ neceſſitas, aut utilitas poſcat, ea divina manifeſtatione repeti, quæ ceteroquin humana ratione ſciri poſſunt, dubitandum non eſt, quin ea quoque prophetiæ, ſue revelationis ſint objectum. Paucis hæc complectitur B. Thomas in ea quæſtione, quam laudavimus art. 2. atque propoſitæ quæſtioni, more ſuo, binis verbis reſpondet: *In omnibus*, inquit, *quæ ſunt propter finem, materia determinat ſecundum exigentiam finis, ut patet ex 2. Phyſ. Donum autem prophetiæ datur ad utilitatem Eccleſiæ, ut patet 1. Ad Corinth. 12. Unde omnia illa, quorum cognitio poteſt eſſe utilis ad ſalutem, ſunt materia prophetiæ, ſive ſint præterita, ſive futura, ſive æterna, ſive neceſſaria, ſive contingentia* ...

(a) *B. Th. in quæſt. diſputatis q.* 22.

(1) Sunt qui hanc definitionem cum veritate pugnare exiſtimant. *Fortuitorum* eſſe prophetiam dici tur. Quum autem conſtet nihil eſſe in univerſo *fortuitum*, fit, ut aut nulla ſit prophetia, aut ea ſit falſa definitio, qua vis & natura prophetiæ expeditur. Sed facile erat animadvertere, ea fortuita, quorum eſſe prophetiam dicunt Theologi, non ita nominari, quaſi extra univerſi ordinem ac leges incerta vagentur, ſed partim, quia e libertate humana proficiſcantur, partim quia homini ignotæ ſint eæ rationes & cauſæ, quibus fieri conſtat.

tia ... Dico autem neceſſaria, ſive ſint neceſſaria ad inſtructionem fidei, ſive ad informationem morum.

III. Qua ex re & illud conſequitur, vehementer eos falli, qui eo criterio divinam revelationem dignoſci debere conſtituunt, ut ea tantum ſint divinitus revelata, quæ aut mentis humanæ captum ſuperant, aut alia via ab hominibus reſciri nequeunt. Nam quoniam Eccleſia Dei, ad cujus neceſſitatem, & utilitatem prophetia immittitur (*a*), doctis juxta, & idiotis conſtat, ac plerique ſunt, qui veritates plurimas ad vitam beatam neceſſarias, etſi ambitum rectæ rationis minime prætergrediantur, minus ipſi per ſe intelligere ſunt apti; qui ea tantum a Deo revelari docent, quæ captum humanum ſuperant, in ceteris vero homines ad rationis ſcrutinium remittunt, ii dicant quoque neceſſe eſt, magnam Eccleſiæ partem neceſſariorum ignorantia torpeſcere, atque a beatitudine devios abire. Id autem divina bonitas non patitur, niſi quis dicere velit, doctos tantum & ratione exercitos Deo eſſe curæ, ceteros, ideſt maximam hominum partem, velut pecora negligi. Accedit, quod quum non omnes ſtudio & meditationi incumbere poſſint, quod poſtulet hominum vita, ut in mechanicis artibus pars hominum maxima occupetur, niſi Deus idiotis quoque, & imperitis divinæ revelationis ope conſulat, in duo oppoſita nos vocat, media nempe hujus vitæ conſervandæ, quam ille certe negligere, aut abrumpere vetat, & ſtudio ac meditatione media beatitudinis æternæ perquirenda (*b*).

IV. Illud verum eſt, præcipuum divinæ prophetiæ characterem, quo illa dignoſcitur, eſſe futurorum, non quorumvis, ſed fortuitorum, ideſt liberorum, prædictionem. Id in iis ponendum eſt, quæ omnes homines conſenſione maxima profitentur: in iis autem, quæ humanæ naturæ vires ſpectant, conſenſio omnium hominum certos nos efficere debet. Et quemadmodum problemata quædam geometrica eſſe inſolubilia, veluti quadraturam circuli in Geometria lineari, Geometrarum conſenſus certiſſimum facit; ita plurima humanas vires ſuperare, homines diuturna experientia docti noverunt tandem, ut non poſſit niſi impudentiſſime ab opinione omnium diſcedi (*c*).

V. Dein-

(a) *B. Th. ibid.* (b) *Vide B. Th. loc. cit.*
(c) *Vide Huet. demonſtr. Evang. axiom.* 4.

V. Deinde idiſpum luculentiſſime ratio demonſtrat. Singula futura libera ſunt actiones voluntariæ: ſuſcipere *ex. gr.* bellum, hominem occidere, &c. ſingulæ autem voluntariæ actiones ſequuntur *judicia intellectus practica*, ut appellantur: judicia vero practica ideas, idearumque qualitates: hæc omnia pendent ab infinitis objectis externis, eorumque objectorum loco, ſitu, tempore, aliiſque periſtaſibus: item a ſtructura, & temperamento corporis; & hæc a cauſis plurimis quum internis, tum externis: præterea a conſtitutione animi; hæc vero ab educatione, ſtudiis, affectibus, moribus, conſuetudine vitæ, aliiſque. Eorum omnium pleraque nullo modo determinata ſunt, non dico antequam quiſquam naſcatur, ſed ne uno quidem ante actionem liberam die. Alia habent in natura certas ac conſtitutas cauſas, ſed quæ in paullo longiore temporis intervallo cum infinitis aliis miſcentur, ac ſeries, & catenas conflant compoſitiores, implicatiſſimas, nullaque intellectus humani ope extricabiles. Ea omnia qui in numerato non habet, ac velut præſentia & determinata, is actionem illam liberam prævidere nequit: & qui in numerato ſe habere dicit, is poteſt eadem confidentia aſſeverare ſe materiæ totius mundanæ atomos ſupputaſſe. Quod adeo verum eſt, ut nulla ſit inter Theologos difficilior quæſtio, quam *in quo medio* Deus futura libera cognoſcat, de qua tot ſunt Theologorum ſententiæ, ut annumerare ſit moleſtum. Qui igitur non intelligunt in quo medio futura libera Deus ipſe præſciat, ii ne faciles dabunt, pervia homini mortali eſſe poſſe? ii ulli alteri præter quam Deo? Ne dubitetur igitur horum futurorum præſcientam aut nullius eſſe, aut Dei: eſt autem, ut prop. 7. demonſtratum eſt; ſolius igitur Dei (*a*).

VI. Id ut luculentius conſtet, de variis prophetiarum generibus uberius diſſeram, unaque opera characteres ſtatuam, quibus vera a falſa, certa & divina a probabili & conjecturali prophetia diſcernatur. Philo in libro, *quod ſomnia ſint divina*, tria viſorum divinorum genera a cauſa efficiente diſtinguit, a Deo, ab anima mundana, a mente cujuſque propria. Scilicet arbitratur viſa quædam phantaſiæ a Deo ipſo immitti, alia a ψυχῃ των ὁλων *ab anima*, & ut alibi vocat *mente univerſ.* Hanc intellectum agentem vocant Magiſtri Hebræorum poſteriores, qui Ara-

(a) *Vide B. Th. art.* 3.

Arabes ferme in Metaphyſica ſectantur. Nemini ignotum eſt ex Arabum doctrina, intellectum agentem eſſe in omnibus hominibus unum, nec eum ab anima mundana differre. Tertium vero genus ſic deſcribitur a Philone. *Tertium*, inquit, *conſtituitur genus*, *quum mens in ſomno per ſe mota*, *& ſemetipſa agitans*, *furit*, *& afflata facultate futurorum praſcia ea prædicit*. Poſteriora duo furoris vaticinantis genera vulgata erant apud Ethnicos, in primis Pythagoreos, & Platonicos, quorum veſtigia hic premit Philo: Tertium ſectatores plures & inter Chriſtianos invenit. In eo autem primi generis viſa diſtingui a reliquis contendit Philo, quod prima illa conjuncta ſint cum raptu extatico, quo in omnibus ſomniis propheticis potentior quædam cauſa mentem & phantaſiam hominum percellens eos ipſis eripiebat, evidentemque, & potiorem impreſſionem iis relinquebat.

VII. Si hæc Philonis doctrina, quam recentiores quidam Deiſtæ avide arripuere, eſſet vera, eſſet & naturalis quædam vis prophetica, nec idcirco prophetiæ opere completæ argumentum eſſent divinæ revelationis, ut contendimus. Itaque demonſtrandum eſt, commentitia eſſe, & fabuloſa duo illa poſteriora Divinationis genera, quæ poſuit Philo. Primum quum anima illa mundana Platonicorum, tum hic Arabum intellectus agens, fanaticorum ſint imaginationes; ut nos alibi demonſtraturi ſumus; *principia activa* futurorum cognoſcendorum intellectui humano eſſe nequeunt. Deinde prophetia non ex quavis futurorum conjectura proficiſcitur, ſed ex certa, & immutabili præſcientia futurorum liberorum: ea vero in iis cauſis contineri nequit, in quibus futurorum eorum immutabiles rationes ſufficientes non continentur: immutabiles vero futurorum *liberorum* rationes ſufficientes nec in *anima mundana*, nec in *intellectu* illo Arabum *Agente* poſſunt contineri, ſed in ſola Mente rerum omnium creatrice; anima ergo mundana, & intellectus hic agens principia prophetiæ activa eſſe nequeunt. Ita ferme B. Thomas (*a*). Qui etſi concedat quamdam eſſe naturalem divinationem, ſeu potius futurorum conjecturam, longe tamen hanc a vera prophetia differre docet: nam prophetia naturalis non ſe extendit, niſi ad illa futura, quæ habent cauſas determinatas in natura; ſed prophetia,

(*a*) *Ibid. Art.* 4.

phetia, de qua loquimur, ideſt vera, & divina, indifferenter ſe habet ad omnia. Præterea naturalis divinatio *non infallibiliter prævidet, ſed ſicut prædicuntur illa, quæ ſunt vera in majori parte* (ſatius dixiſſet in minima); *Prophetia vero, quæ eſt Spiritus Sancti donum, prævidet infallibiliter*.

VIII. Non igitur a cauſis activis, ſed a modis revelationum prophetiæ genera diſtinguenda ſunt. Copioſe hanc rem Rabbini pertractarunt, in primis Rabbi Maimonides in Moreh Nebuchim. Nos more noſtro paucis rem omnem tironibus explicabimus, idque non modo, ut Deiſtarum ſophiſmata commodius refellere poſſint, ſed etiam ut ad ſcripturas divinas intelligendas, ſi divinis his ſtudiis incumbere velint, ſint expeditiores. Paullus Apoſtolus initio ad Hebræos docet, Deum olim πολυμερως, και πολυτροπως locutum eſſe, ideſt, non ſemel, *multis vicibus*, & *multis ac variis modis*. Deus ipſe (*a*) varia manifeſtationis ſuæ genera aperte diſtinguit. Nam cum Maria Moſis uxor, ac Aaron ſubmurmurarent adverſus Moſem ob inductam Æthiopiſſam, *num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? Nonne & nobis ſimiliter eſt locutus?* Deus vocans Aaron, & Mariam, *audite*, inquit, *ſermones meos. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum: at non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*. Hinc Magiſtri Judæorum quatuor conſtituunt prophetiæ gradus. Primus & maximus, qui & Moſaicus appellatur, is eſt, in quo res revelatæ in ſuprema rationis & intellectus puri regione conſiſtunt, nec ad phantaſiam deſcendunt. Quum ſcilicet Deus aut *immediate*, aut medio Angelo, ut placet B. Thomæ, in ipſam mentem Prophetæ divinas cogitationes indit, ſine ullis corporeis ſignis. Hunc in modum ſolum Moſi ſe Deum communicaſſe Rabbini docent. Atque ita intelligunt illud Deuteronomii XXXIV. 10. *Et non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem*, quaſi videlicet *mente ad mentem*.

IX. Secundus prophetiæ gradus conſtituitur is, in quo & partes ſuas habet vis imaginatrix, ſeu phantaſia, ſed ita tamen, ut rationalis facultatis primæ ſint: ſeu quum theatrum rerum revelatarum phantaſia eſt, in qua ab intelle-

(a) *Num.* 12. *ver.* 5. 6. 7. 8.

ctu cernuntur, ſed ab omni materiali, & ſenſibili involucro ſpoliantur, atque diſtinctiſſime in nuda earum eſſentia apprehenduntur. Tertius porro eſt is, in quo pares ſunt intellectus, & phantaſiæ vires, ut hæc imagines rerum revelatarum ſuppeditet, ille apprehendat, ſed ſub immaginibus, & cum imaginibus. Quartus poſtremo eſt is, in quo phantaſiæ primæ ſunt partes, qualia potiſſimum ſunt ſomnia divinitus miſſa. Poſtremum hunc Prophetiæ gradum tunc viguiſſe docent Judæi, quum eorum majores eſſent in captivitate Babylonica, ideſt ſine veteris Prophetiæ appropinquante, Quod generice verum non eſt. Certe Danielis, & Ezechielis exemplo facile refelli poſſunt; quamquam Ezechielem Rabbi Joſephus Albo diſerte ad hanc ultimam claſſem refert, Danielem Rabbini omnes inter Agiographos, quod non intimitus vim propheticam acceperit, ſed extrinſecus ab Angelo ſit edoctus. Equidem ſic arbitror, eos non rite rationes ſubducere. Nam exorditur quidem Ezechielis prophetia a raptu, atque ab imaginibus phantaſiæ: tamen poſt totum illud viſorum Propheticorum Theatrum, *ſpiritus ad eum locutus eſt verbis ac ſententiis diſtinctiſſimis* (a). Non autem loquebatur ad aures, ut ipſa narratione patet; ergo ad mentem, aut ad intellectum ſimul, & phantaſiam; ita tamen, ut primæ partes eſſent intellectus. Falſum porro eſt Danielem extrinſecus tantum edoctum: id revincitur ex cap. 2., in quo per viſionem nocte ſpiritum interpretationis ſomniorum accepiſſe legitur: & cap. 6. dicitur *quod ſpiritus Dei erat in illo*: & c. 7. *Quod viderit ſomnium*. Accedit quod tota antiquitas Zachariam primorum ordinum Prophetam habuerit, quamvis in omnibus ejus viſis ſemper interveniant Angeli.

X. Jam vero ſunt & duo alii generici modi divinæ locutionis ratione medii. Nam aut immediate Deus ſe Prophetæ communicat, aut medio Angelo. Secundo modo Deum locutum eſſe in Veteri Teſtamento Patrum doctiores cenſent ex loco Paulli (b) *Lex ordinata per Angelos*. In eum locum Hieronymus; *Quod autem ait, lex ordinata per Angelos, hoc vult intelligi, quod in omni veteri Teſtamento, ubi Angelus primum viſus refertur, & poſtea quaſi Deus loquens inducitur, Angelus quidem vere ex miniſtris plurimis, quicumque, ſit viſus: ſed in illo mediator lo-*

qua-

(a) *Cap.* 2. (b) *ad Galat.* III. 9.

quatur, qui dicat; Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. *Nec mirum ſit ſi Deus loquatur in Angelis: quum etiam per Angelos, qui in hominibus ſunt, loquatur Deus in Prophetis, dicente Zacharia: Et ait Angelus, qui loquebatur in me; ac deinceps inferente, Hæc dicit Dominus omnipotens*. Plurima ſunt ſimilia aliorum Patrum loca, in primis Auguſtini, quæ exſcribere non eſt operæ pretium.

XI. Præterea poſterior hic modus etiam duplex eſt, *in ſomnio*, & *ſine ſomnio*, per ipſam Angeli præſentiam. Ille locum habet quum ſenſus exteriores ligati ſunt, ſed theatrum, ut diximus, rerum revelatarum eſt phantaſia. Hoc modo præter alios locutus eſt Deus Danieli. Eodem modo Jacobo ſe communicavit dum ſcalam illam propheticam vidit. Alter contingit quum ſenſus exteriores ligati non ſunt, ſed veluti deliquium aliquod aut extaſim patiuntur, ſive uſu ſuo privantur, mente tota in ſpeciebus, quæ phantaſiæ objiciuntur, apprehendendis, & ſpeculandis intenta, & occupata, ac quaſi a corpore & functionibus corporis externis abſtracta, & divulſa. Ex utroque modo Prophetæ Hebræi dicti ſunt *videntes* 1. Reg. 9. 9. & prophetiæ *Viſiones*. *Viſio Iſaiæ filii Amos* 1. *Vidi viſiones Dei* Ezech. 1. 1.

XII. Ratione quoque rerum repræſentatarum uterque iſte modus in plures alios ſubdividi poteſt. Revelationis enim in ſomnio factæ primus modus eſt, quum ei, cui revelatio in ſomnio fit, repræſentantur figuræ quædam, parabolicum, myſticum, aut enigmaticum ſenſum ſignificantes, quem ipſe non capit, neque intelligit, ſed cum adjuncta declaratione, & expoſitione ſenſus illius tota exſeritur prophetia. Hujuſmodi ſunt plures prophetiæ Zachariæ, Ezechielis, Danielis, Apocalypſis. Altera ſpecies eſt, quum revelatio clare & diſtincte ſine parabola, & ſine ænigmate quidem fit, clareque auditur, atque intelligitur in ſomno, ſed tamen revelans non videtur, neque repræſentatur. Cujuſmodi revelatio facta fuit Samueli, quum primum ſe Deus ei in templo revelavit. Tertia ſpecies eſt, quum is qui revelat in ſomnio, loquitur ſub ſpecie viri, aut juvenis ita, ut is, cui revelatio fit, audiat, & cognoſcat, & videat eum loquentem, & clare, atque intelligibiliter ſenſa mentis ſuæ proponentem, atque exponentem, cujuſmodi revelatio facta fuit Ezechieli & Paullo. Quarta ſpecies eſt quando in ſomno Angelus cum homine loquitur itaut, qui

loquentem audit, ſciat Angelum eſſe. Cujuſmodi revelationem ſibi factam narrat Jacob uxoribus ſuis Racheli, & Liæ, Geneſ. XXXI. 10. Et hic revelationis modus extitit in veteri Teſtamento frequentiſſimus & communis fere omnibus Prophetis. Quinta ſpecies eſt quando in ſomnio ipſe Deus apparere videtur ita, ut is, cui revelatio fit, intelligat Deum ſecum loqui. Cujuſmodi revelationem ſibi factam narrat Iſaias c. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum*. Cui ſimilis eſt facta Micheæ l. III. Reg. 22. 19.

XIII. In viſione prophetica, quæ hominibus vigilantibus obtigit, quatuor ſpecies adnotari poſſunt. Prima ſpecies eſt, qua revelantur res, aut figuræ quædam ænigmaticæ ſine ullis verbis; cujuſmodi revelatio fuit Abrahamo facta Gen. 15. 9. *Sume*, inquit Deus, *vaccam triennem, & capram trimem, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam &c.* Quorum ſymbolorum ſenſum poſt ſomnium divinum demum intellexit Abraham. Secunda ſpecies eſt quando in ipſa viſione is, cui viſio obtingit, loquentem aliquem audit, ſed non videt, uti Abrahamo eveniſſe legimus Gen. 15. 1. *Factus eſt ſermo Domini ad Abraham per viſionem dicens, &c.* Divinam autem fuiſſe viſionem patet ex verſ. 5. Tertia ſpecies eſt quum loquens ſub ſpecie viri apparet, uti eidem Abrahamo Gen. 18. Quarta tandem quum is, cui fit, videt Angelum ſecum loquentem, eumque agnoſcit eſſe Angelum. Hebræi, ut diximus, inter Prophetas non referunt, ſed inter Agiographos, quibus quatuor his ſpeciebus Deus ſe communicat. Qui certe niſi de vocabulo concertent, perridiculi ſunt: ſubſtantia enim doni prophetici poſita eſt in manifeſtatione divinorum conſiliorum: modi, quibus illa manifeſtatio fit, nihil de ſubſtantia immutant.

XIV. Explicandi nunc ſuperſunt duo alii modi divinæ revelationis, qui frequentiſſimi fuere inter Hebræos, alter quidem antiquiſſimus per *Urim*, & *Thummim*, alter, qui dicitur *Bathkol*, *filia vocis*, qui ultimis Reipublicæ Hebraicæ temporibus viguit. De primo pluribus agit ex Proteſtantibus Spencerus *de legibus Hebræorum ritualibus*, inter noſtros Calmetus. Sunt qui putant auctoritate Rabbinorum Maimonidis, Bechai, Abarbanelis, aliorumque, per Urim, & Thummim intelligi litteras inſculptas in lapillis pectoralis Summi Sacerdotis. Pontifex, inquiunt, Maximus ſtabat ante arcam, & qui veniebant conſulendi divini

ora-

oraculi cauſa, poſt eum erant, ſubmiſſaque voce, quaſi privatas preces funderent, *faciam ne*, inquiebant, *ſic*, *vel ſic*? Tum Pontifex Maximus inſpiciebat litteras, quæ inſculptæ erant lapillis pectoralis, & conſpirante ſpiritu prophetico, qui in Pontifice erat, cum modo, quo litteræ inflatæ ac illuſtratæ apparebant, reſponſum formabat. Quæ opinio veriſimilis eſſe non poteſt, quando in pectorali non omnes alphabeti Hebraici litteræ inſculptæ erant: inſculptæ enim eæ erant litteræ, quibus nomina duodecim Tribuum conſtabant, in quibus deſiderabantur quatuor, *Chet*, *Teth*, *Tzade*, *Coph*. Ineptiſſime vero Rabbini, ut huic difficultati obviam eant, addunt nomina Abraham, Iſaac, Jacob. Docere enim debent, quum duodecim tantum lapides fuerint in pectorali, quo in loco ea ſcripta fuerint. Alii vero cenſuere Urim fuiſſe inſtrumentum ſinuoſum rationali ſummi Sacerdotis affixum, unde Deus conſultus verba fundebat. In eam ſententiam ivit Spencerus, qui duo parva idola duobus lateribus pectoralis abdita voces Dei reddidiſſe ſcribit. Profana videtur ea opinio, nec Hebraici cultus ſimplicitati aptari poteſt. Itaque graviſſimis illam rationibus refellit Pocock comment. in Oſeam c. 3. v. 4. (*a*) Ego conceſſerim libenter in Humphredi Pridai ſententiam. Is nihil *corporati* huic rei ſubeſſe vult: Deum cenſet conſultum in difficillimis Reipublicæ temporibus a Summo Sacerdote ſolemnibus veſtibus ornato, ex propitiatorio, quod Arcæ inſiſtebat, ſua reſponſa dediſſe, quo modo reddebat Moſi. Quumque hæc reſponſa clare redderentur, dicta ſunt per Urim, & Thummim. Urim enim lumen ſignificat, Thummim perfectionem. Itaque Septuaginta vertere per Δηλωσιν, και Αληθειαν *Evidentiam*, & *Veritatem*. Confirmat hæc Scriptura, quæ hæc reſponſa voci Dei tribuit. Res tamen valde intricata, & incerta eſt. Poſtremis tandem Reipublicæ hebraicæ temporibus quum deſiiſſent Prophetæ, Deus aliquando cælitus emiſſa voce alloquebatur eos, quibus ſuam voluntatem patefacere volebat. Ea vox in ſcriptis Rabbinorum dicta eſt *Bath Kol*, ideſt *filia vocis*. Infimus is a magiſtris habetur prophetiæ gradus.

XV. In illud nunc accurate inquirendum eſt, qui ſint characteres, quibus veri a falſis Prophetis, qui plerumque currebant, nec mittebantur, dignoſci poſſent. Quatuor

(a) *Houtevillius tamen eam velut probabiliorem adoptavit*.

conſtituo ſigna, ex quibus aut omnibus, aut parte, veri a falſis diſcernerentur Prophetæ. Primus eventus rerum. Quæ enim Propheta nomine Dei prædicebat, ſi conſtantiſſime evenirent, ſcilicet non ſemel, ac velut caſu, ſed ſemper, ea erant indubium argumentum veri Prophetæ. Diſertis verbis hæc doctrina tradita eſt Deuteron. 28. 21. Nam cum præcepiſſet falſum Prophetam interficiendum, addit: Quod ſi tacita cogitatione reſponderis, *quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus? Hoc habebis ſignum: quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit*. Oppones, etiam falſos Prophetas vere quandoque futura prædicare, ut colligitur ex XIII. Deuteron. 1. 2. Reſpondeo I. non id dici in eo loco, Pſeudoprophetas ſcientiam veram futuri habere, aut conſtanter eorum prædictiones eventu comprobari, ſed hypothetice, etiamſi evenerit id, quod prædixit. Subintelligendam eſſe eam conditionalem aperte Textus indicat. II. Reſpondeo ex eodem Textu colligi ſignum alterum, quo diſtinguatur Propheta ille falſus, ſcilicet Deorum plurium cultus; ad quem Pſeudopropheta adhortatur populum: *Eamus poſt Deos alienos*. III. Reſpondeo in toto illo loco hyperbolem eſſe ſimilem Paullinæ illi: *Si Angelus de cælo evangelizaverit vobis*, &c. ſcilicet quemadmodum *ἀδύνατον* eſt Angelum Dei contraria iis docere, quæ Chriſtus docuerat; ita impoſſibile Deum per Prophetas falſam contra ſui cultum doctrinam tradere, ac eventu prophetiarum, & portentis confirmare. At propterea, ut ne Angelo quidem credendum eſt, ſi contra doctrinam Evangelicam evangelizet: ita non Prophetæ, ſi adverſus unius Dei cultum prædicet, dato etiam *per impoſſibile*, quod Angelus Dei id faciat, aut quod Propheta vera prædicat, & portenta edat.

XVI. Alterum veri Prophetæ argumentum eſt vis miraculorum. Neque enim vera miracula efficere poteſt niſi Deus, ut ſuperius demonſtratum eſt. Atque hoc potiſſimum argumento omnes Prophetæ Veteris Teſtamenti, & Jeſus Chriſtus Servator noſter, ac Apoſtoli miſſionem ſuam confirmabant. Quinimo Moſes, & quidam alii veteres Prophetæ non prius ſe a Deo mitti credidere, quam miraculis id Deus confirmaſſet. Vide Exod. IV. Tertium ſignum eſt veritas doctrinæ. Si enim Propheta ea docet, quæ contraria ſunt aut doctrinæ theoreticæ, aut practicæ religio-

nis

nis unius Dei, is etiam ſi vera prædicat, & portenta etiam edat, impoſtor eſt. Hoc ſignum colligitur ex loco Deuter. XIII. ſupra poſito. Enim vero pugnat cum Dei immutabilitate, veracitate, ſanctitate per Prophetas ſuos in falſam nos inducere doctrinam; qui ergo falſam doctrinam docet Pſeudopropheta eſt. Quartum tandem ſignum eſt ſanctitas Prophetarum: nam quamquam prophetiæ donum non pugnat cum depravatis moribus, tamen vix credibile eſt Prophetam a Deo miſſum, vitam agere improbam, ac ſceleſtam, præſertim ſi prophetiæ donum perſeveret. Ut idcirco inter falſos Prophetas eum referemus, qui Curios ſimulat, & Bacchanalia vivit, niſi alia ſint indubia argumenta, quibus conſtet vere a Deo eſſe miſſum.

Quid faciemus, inquit adverſus ſuperiorem ſuppoſitionem aliquis, iis prophetiis, quæ ipſæ per ſe falſæ fuiſſe evincuntur? veluti quum Iſaias Ezechiæ prædicit, *cras morieris & non vives* (a), quum tamen Rex tunc temporis mortuus non ſit. Cui ſimile eſt, quod Jonas Ninivitis prædixit, *adhuc & quadraginta dies & Ninive ſubvertetur*, quod non contigit. Sunt aliæ ejus generis plures. Reſpondent Theologi hujuſmodi prophetias *comminatorias* eſſe, intelligique hypothetice, opere videlicet expletum iri, niſi id fiat, quam ob rem Deus minas illas intentat (b).

Sed ajunt, quum Deus interrogaſſet, *quis decipiet Achab? egreſſus ſpiritus, ego, inquit, decipiam illum. Cui Dominus, in quo? tum ille, ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus, decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.* Subdit vero Michæas: *nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium prophetarum, qui hic ſunt.* Quam ob rem factum eſt, ut S. Auguſtinus *l.* 83. *qq. quæſt.* 52. ſcripſerit, licere Deum fallere per cacodæmonem adminiſtrum. Ut quemadmodum, judex damnatum percutere ſua perſona indignum & nefarium judicaret, ejus tamen juſſu hoc facit carnifex; ita quem Deus per ſe non falleret, eum fallit Deo jubente cacodæmon. Quæ ſi ita ſint, ecquid igitur præſidii eſſe poterit in prophetiis?

Huic argumento ita idem Canus (c) reſpondet, *verbum impe-*

(a) *Iſaiæ XXXIII.*
(b) Vide Canum *de locis l.* XI. *cap.* XV.
(c) *loco cit. ad* 4.

imperandi non ſemper aut præceptum, aut conſilium ſecum, ſed aliquando etiam permiſſionem ferre, ut apud Joannem (*a*), quod facis fac citius; *& alio loco* (*b*) *Dominus ad Balaam*; Si vocare te venerint homines iſti, ſurge & vade cum eis: *cui tamen poſtea Angelus dixit*, ego veni ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua. *Sic igitur dictum eſt*, egredere, & fac; *ſicque omnino*, Deum dediſſe ſpiritum mendacii in ore omnium prophetarum, *concedendo ſcilicet, non jubendo*: quo etiam modo intelligendus eſt Augſt.

Prop. XLVII. Veteris Teſtamenti libri diu ante epocham Chriſtianam divini ab Hebræis ſunt habiti.

D. Veteris Teſtamenti libros jam diu ante Chriſti ortum in unum collectos fuiſſe apud Hebræos, divinoque habitos, magna conſenſione & Veteres Hebræi, & Chriſtiani tradiderunt, ut non magis ea de re dubitare liceat, quam de facto quocumque veteri illuſtriori. Nam Origenes vir in omnibus litteris eruditus (*c*), & Epiphanius (*d*), & Hieronymus (*e*) narrant apud Hebræos viginti duos tantum libros ſacros habitos fuiſſe & theopneuſtos, rejectis aliis, qui Sacri, & Divini non erant. Idem propterea teſtatur Joſephus (*f*), qui cum eſſet doctiſſimus Judæorum Sacerdos, & quidem Phariſæus, quæ ſecta potiſſima erat in Republica Judaica, reſque ſacras omnes in manum habebat, ignorare id non potuit. Floruit autem Joſephus Veſpaſiani tempore, ideſt primo Chriſtianiſmi ſæculo. Idem poſtremo tota Judæorum natio, quos *Capſarios noſtros* idcirco vocat Tertullianus, perpetua traditione docet; dubitare igitur non poſſumus, niſi hiſtoriæ fidem derogemus, canonem omnem librorum Veteris Teſtamenti ante Chriſti tempora adornatum fuiſſe.

Schol. I. Hoc ipſum confirmatur ex Paraphraſibus, & verſionibus librorum illorum, quæ & Chriſti circiter temporibus, & ante ex hebraica lingua in chaldaicam, aut græcam factæ ſunt. Quod ſpectat ad *Paraphraſes Chaldaicas, quas Targumim vocant* Judæi, cœperunt illæ fieri poſt Babylonicam captivitatem, quemadmodum doctiores Rabbini tradiderunt. Nempe cum populus Judaicus, qui ex Baby-

(a) *Joan.* XIII. (b) *Num.* XXIII.
(c) *Apud Euſeb. l.* 3. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 23.
(d) *In* 3. *hæreſi*. (e) *In Prol. Galeat.*
(*f*) *Lib.* 1. *contra Apionem Grammaticum*.

Babylone redierat, veterem hebræam linguam minus intelligeret, Hebræorum magiſtri, qui ſcripturam populo explicabant, ſingulas hebraici codicis periodos totidem chaldaicis interpretabantur; quo ex more paraphraſes iſtæ natæ ſunt. Legatur Ricardus Simonius (*a*). Qui autem primi paraphraſes iſtas ſcripſerint, & quo tempore, non ſatis conſtat. Incertum utrumque, & fabuloſa, quæ ſuper his in Thalmude prodidere Rabbini, pronunciat eodem in loco Simonius. At interea agnoſcit paraphraſum, quæ Jonathani, & Onkeloſo tribuntur, ſtilum ſimpliciorem eſſe, & puriorem, quam ſtilus Thalmudis; ex quo conficitur antiquiores eſſe paraphraſes. Compilatum autem eſt Thalmud, ut doctiores conjiciunt, circa Antonini Imperatoris tempora: ergo hoc tempore antiquiores paraphraſes ſint neceſſe eſt. Humfredus Pridaux (*b*) harum paraphraſum initium refert ad ann. 37. ante Chriſtum: putat igitur omnium primum Onkeloſum Pentateuchum vertiſſe chaldaice, deinde Jonathanem vertiſſe libros Joſue, Judicum, Samuelis, Regum, Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, & duodecim Prophetarum minorum; nam reliquæ paraphraſes longe ſunt poſteriores, quemadmodum ex ſtili barbarie demonſtrat Simonius. Bellarminus cenſuit Onkeloſum eundem fuiſſe cum Aquila Pontico, qui ſcripturas in Græcum vertit ſermonem. Sed Aquila Ponticus poſterior certe fuit, quippe qui ſcripſit ſub Adriano Imperatore.

II. Illud contra Targumim Critici quidam oppoſuere, quod nec Joſephus, nec Origenes, nec Euſebius, nec Epiphanius, nec Hieronymus, qui rerum Hebraicarum fuerunt ſtudioſiſſimi, nec ullus alius vetus ſcriptor paraphraſes iſtas memoraverit: quod argumento eſt, inquiunt, non eſſe tam antiquas, quam feruntur. Sed hujuſmodi argumentum contra conteſtationem omnium veterum Rabbinorum mere negativum eſt, nec propterea ullius ponderis. Silentii hujus apud veteres Chriſtianos ea eſſe potuit cauſa, quod eæ paraphraſes in uſum privatum Judæorum factæ, Chriſtianis non erant propalatæ, quod ipſe Simonius agnoſcit. Dubitari ergo non poteſt, quin Paraphraſes Chaldaicæ Apoſtolis ſint vetuſtiores, adeoque quin Canon Hebraicus ante Apoſtolos conſignatus

---

(a) *Lib. 2. hiſtor. crit. Vet. Teſtam. cap. 19.*
(b) *In hiſt. Judæorum lib. 16.*

gnatus fuerit. Qui plura cupit ſuper hujuſcemodi Thargumim adeat Brianum Waltonum (*a*).

III. Jam vero idipſum confirmatur ex verſione τῶν ſeptuaginta Patrum, quæ verſio Apoſtolorum tempore exſtabat, quæque argumentum eſt perſpicuum, extitiſſe jamdudum apud Hebræos librorum divinorum Canonem, unde ſeptuaginta illi viri, ſeu quiſquis fuerit ejus verſionis auctor, tranſtulerunt. Hujus verſionis hiſtoriam narrant Tertullianus (*b*), Juſtinus Martyr (*c*), & Irenæus (*d*), qui quingentis ſupra annis a Ptolemæi Philadelphi tempore diſtabant. Tum Joſephus, & Philo, qui eodem tempore trecentis quinquaginta circiter annis juniores erant ita, ut dubitari nequeat, quin traditionem majorum ſuper ea re recenter conſulere potuerint, præſertim eo tempore litteris florentiſſimo, & apud gentem diſciplinis excultam. Si vera hæc eſt hiſtoria, neceſſe eſt Canonem librorum veteris Teſtamenti antiquiorem eſſe Ptolemæo Philadelpho.

IV. Sed quoniam plurimi viri docti putant auctores ſuperius laudatos totam hanc hiſtoriam ex uno Ariſteæ libello depromſiſſe, demonſtrantque Ariſteam iſtum ſolemnem fuiſſe impoſtorem; id quod conſequitur, hanc hiſtoriam veluti fabellam explodunt. Ariſteas iſte, cujus librum de verſione τῶν ſeptuaginta habemus, narrat Ptolemæum Philadelphum, Ptolemæi Lagi, qui in comitatu Alexandri Macedonis fuerat, filium, & Ægypti Regem, cum magno litterarum flagraret amore, omnis generis libros, qui ullibi inveniri poterant, conquiſiviſſe, ut Bibliothecam ſuam, quam Alexandriæ collegit, inſtrueret, ad id permotus Demetrii Phaleræi Græci Philoſophi atque Oratoris conſilio, cui Rex Bibliotecæ curam demandaverat. Eam ob rem curavit, ut Judæorum quoque libros in Græcam linguam verſos haberet. Miſit idcirco ad Eleazarum Summum Judæorum Pontificem legatos, rogatum ut libros iſtos mitteret, ſimul & homines utriuſque linguæ callentes. Eleazarus convocato concilio, viros ſeptuaginta duos, ex qualibet nempe Tribu ſex, una cum exemplo librorum ſacrorum litteris aureis deſcripto ad Regem miſit. Iſti in Inſula Pharo, quæ ſeptem ſtadiis ab Alexandria diſtat, colla-

(a) *In apparat. Biblic. proleg.* 12.
(b) *In Apologet. cap.* 19.
(c) *In Apolog.* 2. (d) *Lib.* 3. *cap.* 25.

collatis ſtudiis ſeptuaginta duorum dierum ſpatio integram abſolverunt verſionem. Secundum hæc lecta eſt coram toto Judæorum, Græcorumque Alexandrinorum populo, & probata: ita honorifice dimiſſi Patres. Hæc Ariſteas noſter. Quibus addidit Philo Judæus, diem feſtum eam ob rem inſtitutum Alexandriæ, qui anniverſarius vel ſuo tempore celebrabatur.

V. His addi ſolent miracula quædam, quorum tria præcipua. Primum quod Interpretes illi Spiritus Sancti vi afflati nec erraverint in vertendo, nec errare potuerint. Ita Irenæus (*a*), Clemens Alexandrinus (*b*), Theodoretus (*c*), & Auguſtinus (*d*). Accedunt ex recentioribus Theologis Bellarminus (*e*), Cæſar Baronius (*f*), & Joan. Morinus (*g*). Sed hanc ſententiam acerrime olim confutavit Hieronymus. Ac enimvero ipſe Ariſteas, dum ſcribit ſepuaginta duos Interpretes inter ſe ſingulis de rebus contuliſſe, ut perfectam verſionem darent, aperte indicare videtur, Patres illos inſpiratos non fuiſſe. Ceterum id non vetat, quin *ſi non inſpirationem, at ſaltem aſſiſtentiam* Spiritus Sancti habere potuerint: illa enim, non hæc cum collatione pugnat. Alterum miraculorum, quod narratur, eſt de ſeptuaginta duabus cellulis, quas primus videtur vulgaſſe Juſtinus Martyr (*h*), quem deinceps ſecuti ſunt Irenæus (*i*), Cyrillus Hieroſolymitanus (*k*), aliique. Ajunt igitur ſingulos Patres in ſingulis cellulis ſeptuaginta duas verſiones adornaſſe, quæ vel in ipſis apicibus inter ſe convenirent. Quamquam Epiphanius (*l*) non ſeptuaginta duas, ſed triginta ſex cellulas memorat. Eam opinionem velut anilem fabellam idem deridet Hieronymus (*m*), additque callide Juſtino impoſuiſſe Ægyptios, qui cellularum rudera oſtenderunt. Tertium tandem miraculum, quod narrat, eſt, quod ſeptuaginta duorum dierum ſpatio tota verſio perfecta fuerit. Sed non video,

(a) *Adverſus hæreſes lib.* 3. *cap.* 25.
(b) *Strom.* 1. (c) *Præfat. in Pſalm.*
(d) *De Civit. Dei lib.* 18. *cap.* 43.
(e) *De verbo Dei ſcripto lib.* 2. *cap.* 6.
(f) *Ad annum* 231. (g) *Exercit.* 6. *cap.* 1.
(h) *In exortat. ad Gentes.*
(i) *Adverſus hæreſ. loco laudato.*
(k) *Cathec.* 4. (l) *In lib. de menſur. & ponder.*
(m) *In Prologo ad Pentateuchum.*

video, ut id fieret miraculo opus fuiſſe, præſertim quum non conſtet, utrum ſolum Pentatechum, an ceteros quoque veteris Teſtamenti libros verterint.

§. VI. Ad hanc quæſtionem quod ſpectat duo hoc in loco diſtinguenda eſſe puto: hiſtoria ipſa Ariſteæ, & hiſtoria verſionis ſub Ptolemæo illo aut perfectæ, aut ſaltem cœptæ. Ac principio plura ſunt, quæ oſtendunt, Ariſteam hunc alium eſſe a vero Ariſtea, atque impoſuiſſe libelli illius editione. Primum facit ſe Ariſteas hic miſſum a Ptolemæo ad Eleazarum conſilio Demetrii Phalerei. At id eſſe non potuiſſe facile evincitur ex iis, quæ Ariſteas ipſe narrat. Nam tempore Ptolemæi Philadelphi Demetrius Alexandriæ non erat: fuerat enim ejectus, ut tradit graviſſimus teſtis Hirmippus apud Diogenem Laertium (*a*). Deinde tempore hoc, quo adornata fertur hæc verſio, nullæ erant duodecim illæ tribus Hebræorum, quas memorat confidentiſſime Ariſteas: ſola enim Tribus Judæ, paucis ex aliis Tribubus admixtis, qui ſemper ſine nomine fuerunt, redierant ex Babylonica capitivitate. Id ignorare Ariſteas non poterat, ſi Judæus ille fuiſſet, quem mentitur. Præterea tota Ariſteæ narratio ſapit paullo recentiorum Rabbinorum fabellas, quod vel mediocriter naſuti odorantur. Quocirca aut libellus hic, qui ſub nomine Ariſteæ circumfertur, alius eſt a veteri illo, quo uſi ſunt ſuperius laudati Auctores, aut Ariſteas iſte is non eſt, quem mentitur. Ob has, & alias rationes primum Ludovicus Vives ad Auguſtin. (*b*) librum Ariſteæ in ſuſpicionem vocavit: deinde Leo a Caſtro, Alphonſus Salmero, Joſephus Scaliger conjecturas adverſus Ariſteam longius promoverunt: tandem Humfredus Hodyus, & Antonius Wandalius rem plane perfeciſſe videntur.

VII. Quicquid autem ejus libelli ſit, non idcirco conficietur etiam Ptolemæi Philadelphi tempore nullam vel cœptam, vel perfectam verſionem librorum ſacrorum veteris Teſtamenti extitiſſe. Nam & certum eſt Apoſtolorum tempore verſionem hanc ſeptuagintaviralem extitiſſe, & certum, Apoſtolos, & Patres Apoſtolis viciniores, ex ea verſione veteris Teſtamenti loca citaſſe. Accedit conſenſus veterum Judæorum, & Chriſtianorum, qui cum ſcripſerint de publico facto, nec nimis remoto, nec omnes una mentiri poterant, nec omnes decipi. Neque vero illud conceſſe-

(a) *Lib. 6. ſect.* 78. (b) *De Civit. Dei lib.* 11. *cap.* 42.

ceſſerim, ex hoc Ariſtea omnes, quæ de hujuſmodi verſione narrant, accepiſſe: nam & diſcordant in pluribus, quod eſſe non ſolet in his, qui ex uno fonte hauriunt; & traditio ejus verſionis publico inſtituto feſto, quod tradit Philo Judæus Alexandrinus homo, integra ad hos auctores devenire potuit. His accedit quod probabile nullo modo eſt, Judæos Helleniſtas, qui linguam hebraicam, & chaldaicam ignorabant, nulla habuiſſe Biblia in Græcam linguam verſa, quæ legerent. Tantum igitur abeſt, ut dubitem factam eſſe aliquam ſub Ptolemæo librorum veteris Teſtamenti verſionem, ut potius cenſeam non abhorrere a vero, quod narrat Ariſtobolus Judæus auctor perantiquus apud Clementem Alexandrinum (*a*), & Euſebium (*b*), extitiſſe verſionem aliam Græcam, Alexandro Magno antiquorem, aut æqualem. In quam opinionem, ut cetera deſint argumenta, id me vehementiſſime impellit, quod, ut dixi, nequeo mihi perſuadere, Hebræos Alexandrinos, Epheſios Seleucienſes nullas habuiſſe vulgari lingua divinas Scripturas, quas legerent, quum ceteri Judæi adſcita quiſque lingua ſcripturas legere conſueverint.

VIII. Perſpicuum eſt ex ſuperioribus, canonem veteris Teſtamenti antiquiorem eſſe epocha chriſtiana. Illud ſupereſt inveſtigandum, quinam hujus Auctor fuerit, & quando conſignatus. Obſervandus autem omnium primum eſt aureus Joſephi locus (*c*), qui locus merito laudatur Danieli Huetio. Narrat eo in loco Joſephus, eam fuiſſe Judaicæ gentis conſuetudinem, ut poſt bella libros ſacros recognoſcerent. Quæ conſuetudo comprobatur ex eo, quod in II. Mach. cap. 2. legimus, Nehemiam poſt reditum ex captivitate Babylonica libros ſacros recognoviſſe & emendaſſe. In eo fundamento inædificata eſt Rabbinorum illa communis opinio, canonem veteris Teſtamenti ab Eſdra, auctoritate Synagogæ Magnæ, ſoluta captivitate Babylonica, compilatum fuiſſe. Erat enim vero Eſdras ad id aptiſſimus, propter eximiam rerum ſacrarum peritiam. Atque hæc opinio tam invaluit apud veteres Chriſtianos, ut plerique vetuſti Patres crediderint, omnes libros ſacros Hieroſolymorum incendio funditus periiſſe, atque ab Eſdra Divino Spi-

(a) *Stromat.* I.
(b) *In* 13. *Præpar. Evang. cap.* 12.
(c) *In lib. I. contra Apionem.*

Spiritu iterum dictatos de verbo ad verbum, quod Auctor libri VI. Eſdræ narrat. Sed utcumque prior opinio ab veri ſimilitudine non abhorreat, poſterior aperte falſa eſt. Primum, quartus Eſdræ liber, nec genuinus eſt, & putidiſſimis fabulis ſcatet. Deinde non eſt probabile in Hieroſolymorum incendio nullos privatos codices ſuperfuiſſe: neque enim in templo tantum & domibus Hieroſolymorum libri ſacri exſtabant, verum etiam quacumque patuit Judæa. Tandem quidam libri canonici, ut Paralipomenon, Judicum, Regum, ex vetuſtioribus codicibus, ad quos ſæpe Lectores remittuntur, compilati ſunt, quod pugnat cum hoc ſyſtemate.

IX. Scio Ricardum Simonium (*a*) opinionem hanc de Synagoga Magna, deque canone ab Eſdra collecto, inter fabulas Rabbinorum retuliſſe. Scio præterea, & Benedictum Spinoza (*b*), & Thomam Hobbes (*c*) cenſuiſſe poſt Judam Machabæum Canonem Hebraicum fuiſſe conflatum, eo præſertim argumento motos, quod in hoc canone quidam libri recepti ſunt, qui res geſtas Eſdra recentiores narrant. Cui ſententiæ accedere videtur & Iſaacus Newtonus commentariis in Danielem. Sed me hæc movere nequeunt. Primum in antiquo illo Eſdræ canone nullus liber eſt qui ſit Eſdra recentior: omnes enim ſunt auctorum aut Eſdra antiquiorum, aut ſupparum. Quod ſi fortaſſis in his libris memorentur, aut reſpiciantur res poſteriores, id tribuendum eſt inſtauratoribus Scripturarum, qui cum notulas ad textus intellectum interſererent, progreſſu temporis in textum ipſum irrepſere. Deinde libri iſti, qui ſunt in Hebræorum canone, nec omnes ſimul ſcripti ſunt, nec Eſdræ primum tempore divini ſunt habiti, quod patet ex tota hiſtoria Judaica. Quæ cum ſint, quis concoquat Hebræos verbi divini ſtudioſiſſimos ante Eſdram libros divinos non curaſſe, non diſtinxiſſe a non divinis, non in unum corpus collegiſſe? Præſertim cum diſcamus ex Joſepho *contra Apionem*, euſque fuiſſe ſuper ea re Judæos Religioſos, ut quoniam poſt Eſdram falſos Prophetas magna copia emergere ſcirent, nullum alium librum ullius Prophetiæ cooptare in canonem voluerint, ne periculo

---

(a) *In hiſtoria Crit. Vet. Teſtam.*
(b) *In Tract. Theol. Polit.*
(c) *In Leviat.*

culo ſe exponerent cooptandi falſos (1). Quod ſi id non feciſſent Judæi, profecto diligentiores fuiſſent Romani in libris Sybillinis cuſtodiendis, quam in ſuis divinis Hebræi. Itaque oportet, ut canon Hebraicus antiquiſſimus ſit, nec uno tempore conſignatus, ſed ea ſucceſſione, qua libri Prophetarum ſcripti ſunt.

Prop. XLVIII. Deus vetuſtis prophetiis Jeſu miſſionem teſtificatur.

Quoniam nec Hebræi, quorum præcipue intererat ſua noſſe, negant toto veteri Teſtamento Meſſiam fuiſſe deſignatum; & id per totum orientem invaluerat, ut Tacitus teſtatur (2), & Suetonius (3): ac poſtremo nemo, cui Hebræorum libri noti ſint, tam eſſe poteſt aut obtuſi pectoris, aut perfrictæ frontis, qui audeat negare: id heic mihi agendum eſt, ut ex vetuſtis illis libris Meſſiæ characteres, ne Hebræis quidem refragantibus, depromam, eoſque

(1) Ferebantur apud Judæos alii Prophetici libri, quorum quoſdam primi Chriſtiani laudant. Prophetiam Enoch antiquiorem eſſe epocha chriſtiana neceſſe eſt: ad eam enim alludit S. Judas, citatque Tertullianus, aliique. Prophetias Heldam, & Monad laudat Hermas in libro Paſtoris lib. 1. Cotelerius notis ad Conſtitution. Clement. lib. IV. obſervat, apud Judæos libros Prophetarum LXX. numerati, quos tamen libris illis indubie divinis minime miſcuerunt.

(2) Hiſt. lib. ult. *pluribus*, inquit, *perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret oriens, profectique Judæa rerum potirentur*. Hæc hinc falſa opinione exiſtimat Veſpaſianum ac Titum ſpectare.

(3) Suetonius in Veſpaſiano. *Percrebuerat oriente toto VETUS ET CONSTANS opinio, eſſe in Fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur*. Qui item in Veſpaſianum vertit.

Addere hic licet Virgilii carmen Ecloga IV.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo,
Jam redit & virgo, redeunt ſaturnia regna,
Jam nova progenies cælo delabitur alto.

Hoc in loco Virgilius ea regna adventare ſcribit, quæ in carmine Cumeæ Sybillę prædicta exſtabant. Atque hæc revera in antiquo Sybillæ carmine exſtare dubitare nos non ſinit locus Ciceronis luculentiſſimus de divinat. lib. II. qui, quod eſſent qui Romæ eum Regem imminere crederent, ut erat ille purus putuſque Republicanus, & Sybillam vehementer vexat, & interpretes. Hæc de Chriſto Sybillam vaticinatam plurimis demonſtrare ſtudet Cudvvorthus Syſt. Intell. cap. 10. §. 16. Scio Moſhemium in contraria ire, atque de anno magno & Platonico Virgilium canere arbitrari. Sed qui hunc locum cum iis Suetonii verbis, VETUS ET CONSTANS OPINIO contulerit, vereor ego ut in Moſshemii ſententiam concedat.

eoſque in Jeſum quadrare omnes demonſtrem. Meſſiæ characteres in veteri Teſtamento hos præcipue octo exaratos reperimus, Hebræis non diffitentibus. I. Meſſiam Patribus promiſſum fore Regem: II. Et Prophetam ceteris omnibus majorem. III. Et Sacerdotem Altiſſimi: IV. Venturum inclinante ad interitum Republica Judaica: V. Naſciturum Bethleemi: VI. Naſciturum ex Virgine: VII. Gentes omnes ad ſe vocaturum: VIII. Fundaturum regnum æternum pacis & amoris. Mitto cetera minus vulgata.

Primus character demonſtratur ex Pſalmo II. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodie genui te. Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Scio hunc pſalmum non de Meſſia, ſed de Davide, aut Salomone recentiores Judæos interpretari. At veteres Judæi ingenue confeſſi ſunt, hæc ad Meſſiam partinere, ut conſtat ex Thalmude libro *Sucan* cap. v. Rabbi Selemoh Jarchi, Rabbi Aben-Ezra, Rabbi David Kimki (*a*). Etiam Mahummedani ad Chriſtum locum hunc referunt, teſte Mahummede Ebben Jacob Alfiraubzaudio in Lexico, quod *Chamus*, ſeu Oceanum inſcripſit. Quid quod Paullus Apoſtolus in Hebraiſmo verſatiſſimus, quippe qui in lege inſtitutus fuerat a Gamaliele, eundem locum ex veterum procul dubio Hebræorum conſenſu, de Chriſto interpretatur. Nam Actorum XIII. 32. & 33. ſic loquitur: *Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt: quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſal. II. ſcriptum eſt, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quod profecto non feciſſet Apoſtolus, niſi ſciſſet, eodem modo locum hunc interpretari a Judæis ſui temporis; quippe Apoſtoli conſueverunt Judæos pertinaciæ ſuæ refellere armis ſuis. Et vero nec David, nec Salomon univerſam terram poſſederunt, aut Reges tributarios habuerunt. Ac quamquam verbum *Univerſa Terra* plerumque in ſcripturis divinis ſignificet totam & ſolam Cananæam; hoc tamen in loco majorem habet extenſionem, cum gentes pro hereditate promittat, addatque terminos terræ, & reges

(a) *Conſulatur Ligthfootus in horis hebraicis ad Joh. cap. V. 17.*

ges terræ. Conſulatur Euſebius (*a*). Porro Meſſias uti Rex deſcribitur quoque in aliis pſalmis, & apud Iſaiam (*b*), & Jeremiam (*c*). Ex quibus locis illud etiam patet, regnum Meſſiæ futurum regnum pacis, & amoris, qui eſt octavus character. Verba Iſaiæ in laudato loco ſunt manifeſta: *erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ovis ſimul morabuntur*. Qua in re conſentiunt veteres omnes & recentes Rabbini.

Secundus character demonſtratur potiſſimum ex verbis Deuteronomii XVIII. 15., ubi Deus, *Prophetam ſuſcitabo de medio fratrum tuorum ſimilem tui* (Moyſis), *& ponam verba mea in ore ejus*. Locum hunc de Meſſia ſemper intellexerunt Hebræi: nam inſtauratores Scripturarum ad caput XXXIV. Deuteronomii ad verſum 10. hæc verba addiderunt, *& non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes*: quæ conteſtatio demonſtrat, eam Prophetiam ſolum Meſſiam illum alibi promiſſum ſpectare. Hebræi temporis Jeſu Chriſti eodem modo Prophetiam illam interpretabantur, ut patet ex c. III. Act. 22. Præterea veteres Hebræos crediſſe Meſſiam fore Prophetam probant verba libri I. Machabæorum c. XIV. 41. quæ conſule. Erat autem hæc perſuaſio ante mille & octingentos annos communis genti toti Judæorum, quippe qui cum Jeſu Nazareni opera viderent, dicebant, *hic revera eſt Propheta ille, qui venturus eſt*: aut interrogabant, *num hic eſt Propheta ille qui venturus eſt?* Mulier etiam Samaritana ex eo quod Jeſum tamquam Prophetam cognoverat, collegit eum eſſe Meſſiam, Joannis IV. 29. Unde autem niſi ex communi illa perſuaſione? Et unde communis illa perſuaſio, niſi ex revelatione aut ſcripta, aut tradita?

Meſſiam fore Sacerdotem diſerte docet David Pſalmo 109. *juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Hunc locum de Meſſia veteres Hebræos interpretatos eſſe, patet ex c. XXII. Matthæi, quo in loco cum Chriſtus ea verba de Meſſia explicuiſſet Phariſæis, *nemo poterat ei reſpondere verbum*,

(a) *Lib. 4. Dem. Evang. cap.* 16. *& Orig. in* I. *contr. Celſ.*
(b) *Cap.* XI. 1. 4. *&* 10.
(c) *Cap.* XXIII. *6. & alibi.*

bum, quod nempe is erat omnium ejus temporis Rabbinorum ſenſus. Quæ adverſus hoc argumentum recentes Hebræi opponunt, frivola eſſe & frigida demonſtrat Huetius (*a*). Huic loco addi poteſt alter apud Iſaiam (*b*), qui adeatur. Tres iſti Meſſiæ characteres tria illius munera explicant, quibus genus humanum redemturus erat: ſiquidem Prophetæ eſt ſalutem annunciare, Sacerdotis impetrare, Regis vero conferre.

Veniamus ad tempus Meſſiæ, qui eſt quartus character. Id tempus ſtatutum eſt vertente ad interitum Hebræorum Republica. Habemus ſuper ea re apertiſſima Scripturarum teſtimonia (*c*). In Geneſi Jacobus hereditariam benedictionem filiis impertiens, poſtquam aliis annunciaſſet quæ ventura erant, accerſito Juda, ait, *non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium*. Ita verba expreſſit vulgatus interpres. Occurrunt in Textu Hebraico duo verba, quorum notiones paullo ſunt implicatiores, *Schebeth*, & *Mhhokeh*. Primum vulgo vertitur *ſceptrum*: ſecundum vero alii vertunt *Ducem*, alii *Legislatorem*, alii *Magiſtratum*, aut *Senatum*. Buſtorfius in Lexico Hebraico paucis hunc locum interpretatur: *Non auferetur ſceptrum de Juda*, ideſt Reges & Regia auctoritas, juxta triplex Thargum, & Hebræos veteres Thalmudicos. Clarius *non* auferetur ſummum Imperium de Juda, ideſt de Tribu Juda, quæ ſola poſt captivitatem rediit, & Principatum inter Hebræos habuit, & *Mhhokeh*, ideſt Legislator, ſeu Senatus, qui non tantum habeat jus leges ferendi, ſed & latas interpretandi, & ſecundum eas jus dicendi: donec veniat Schiloh (vertitur in vulgata, *qui mittendus eſt*) ideſt filius tranquillus, pacificus, proſper, princeps pacis, ut nominatur Iſaiæ IX. 6. Quin autem eo vocabulo Meſſias intelligatur, vetus omnis Hebræorum perſuaſio dubitare nos non ſinit: ſcilicet tres paraphraſes vetuſtiſſimæ, Onkeli, Jonathanis, & Hieroſolymitana pro *Schiloh* legunt *Meſſiah*.

Interpretationes doctorum hominum ſuper eo Geneſeos loco infinitæ prope ſunt, quas unus exhibebit Daniel Huetius

(a) *In Demonſtr. Evang. prop.* 7. (b) *Cap.* 53. 4.
(c) *Geneſeos* XLIX. 10. *Danielis c.* IV. 29. *Aggæi c.* II. 10.
(d) *In Demonſtr. Evang. prop.* 7.

tius (*d*). Omnium tamen maxime naturalis mihi videtur interpretatio Scherlochii Theologi Angli (*a*). Is obſervat principio, morem fuiſſe Patriarcharum divinam benedictionem, quam Deus Abrahæ fecerat, quum eſſent in extremo vitæ, velut teſtamento filiis impertiri. Complectebatur autem benedictio Abrahæ facta partes tres, promiſſionem Terræ Chanaan, multiplicationem prolis, & Meſſiam, in quo omnes gentes benedicerentur. Jacob igitur quum adpropinquaſſet morti, convocatis filiis, inter eos avitam hereditatem diſtribuit. Terram Chanaan in duodecim portiones tribuit, proſperitatem & augmentum omnibus auguratus. Duæ iſtæ partes veteris hereditatis, quæ dividi poterant, ad omnes pertinebant poſteros. Tertia vero pars indiviſibilis erat: nam Meſſias non poterat niſi ex uno ſtipite naſci. Ea portio contigit Judæ. Senſus igitur Prophetiæ hic eſt. Quælibet Tribus, cum ſit parvus quidam Principatus, jus habet ſe regendi, Magiſtratus & leges creandi: Idem jus eſto Tribui Judæ: *Non auferetur ſceptrum... & Dux de Juda, de interpedes Juda*, ideſt ſummum hoc jus ſe regendi, etiam aliis Tribubus diſſipatis, conſervabitur in Tribu Juda, nec ceſſabit, donec veniat Shiloh, ideſt, Meſſias. Animadvertit deinde in hujus interpretationis confirmationem, Hebræorum regimen numquam fuiſſe abſolute Monarchicum, ſed Ariſtocraticum, in quo nempe Tribus omnes Imperium exercebant. Præterea obſervat, longe a vero aberrare eos, qui pro Sceptro Monarchiam intelligunt, pro Juda omnes Tribus, ſeu totam gentem Judaicam. Quod poſtremum Scripturæ aperte repugnat, quæ demonſtrat hanc benedictionis partem ſolam Tribum Judæ ſpectare.

Emerſere nuper Deiſtæ quidam, qui hunc in modum locum iſtum intellexerunt. Non auferetur Sceptrum de Juda, ideſt non ceſſabit tyrannis, qua Hebræi in Ægypto vexabantur a Pharaonibus; donec veniat *Schiloh*, ideſt vir aliquis magnus, & potens, qui eos in libertatem vindicabit. Seu prudens, ajunt, ſenex perſpexerit, venturum Ducem aliquem gentis Hebraicæ, cujus manu liberarentur de ſervitute: ſeu Moyſes ipſe viam ad ea ſibi fecerit, quæ agere in animo habebat. Itaque de Moſe hæc dicta contendunt. Ita prorſus auctor libri *Examen de la Religion*, edi-

(a) In *Opuſculo De uſu Prophetiæ*.

editi . *Londini anno* 1745. *pag.* 78. Sed quam miſere! Primum hoc tempore, mortis ſcilicet Jacobi, cum adhuc eſſet in vivis Joſeph, nondum ſervitute premebantur Hebræi. Deinde ſi Moſes ipſe de ſe hæc finxerit, ut viam Imperio ſummo ſibi ſterneret, non Judæ, ſed Levi ea verba adaptaſſet, cum ille non de Tribu Judæ, ſed de Tribu Levi eſſet. Nempe auctor iſte ut cauſæ Deiſtarum litet, non veretur ea ſcribere, quæ pueros pudeat.

Locus Danielis eſt inſignis. Ibi enim ſic Angelus Danieli loquitur: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & reducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur Viſio, atque Prophetia, ut ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte: ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus.... & Civitatem ac Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio*. In hoc vaticino promitti Meſſiam, demonſtrari deſolationem Jeroſolymorum ſub Tito, atque ſtatui hebdomades annorum, quæ conficiant 490. annos, nemo unquam Hebræorum veterum dubitavit. Egregia igitur in primis hæc eſt Danielis Prophetia.

Supereſt Aggæi oraculum. Id ſciſcit, Meſſiam venturum ſtante adhuc ſecundo Templo. Verba ſunt in cap. II. 10. clariſſima, nec ulli exceptioni obnoxia: *Et veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria.... magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ pluſquam primæ.... & in hoc dabo pacem*. Quocirca ſi conſtet everſum eſſe Templum ſecundum, Meſſias venit: venire enim ille debuit ſtante Templo ſecundo, ut docet Aggæus.

Tranſeamus ad locum nativitatis, qui eſt quintus character. Meſſiam naſciturum Bethlehemi diſertis verbis docet Michæas (*a*): *Et tu Bethlehem Ephrata parva es in millibus Juda: ex te enim mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael*. Nec dubitabant ea de re Judæi, qui tempore Jeſu vivebant, ut patet ex *c.* II. *Matt. v. 6.* De Meſſia quoque

(*a*) *Cap. V.* 2.

que hoc vaticinium intellexerunt Jonathan (*a*), auctores Thalmudis (*b*), Rabbi Selemoh, Rabbi David Kimki, aliique.

Ex Virgine illibata naſciturum Meſſiam, qui eſt ſextus character, teſtatur Iſaias (*c*): *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Vocabulum *Halemah*, ideſt Virgo, quod hoc in loco uſurpatur, adoleſcentulam, puellam, virginem adhuc domi latitantem, & integram, ſignificare, ex perpetuo hujus vocis in Scriptura Sacra uſu patet. Conferatur Buxtorfius (*d*), & Huetius (*e*). Quæ pertinent ad duos poſtremos characteres explicata ſunt ſuperius.

His ſtatutis veniamus ad rem ipſam, atque principio demonſtremus Meſſiam jamdudum adveniſſe. Primum argumentum deſumitur ex Prophetia Jacobi. Ex ea enim patet, Meſſiam venire debuiſſe, vergente ad interitum Judæorum Republica. Quum autem ſub Tito Imperatore funditus ea ſit deleta, Meſſias ante Titi tempora venire debuit. Ad rem Tertullianus adverſus Judæos: *Quomodo naſcetur Dux de Judæa, & quomodo procedet de Bethlehem, ſicut divina Prophetarum volumina nuntiant, cum nullus ſit illic relictus ex Iſrael, cujus ex ſtirpe naſci poſſet Chriſtus? redde ſtatum Judææ, quem Chriſtus inveniat, & alium venire contende.* Secundum argumentum deſumitur ex Prophetia Danielis. Septuaginta enim illæ hebdomades jamdiu præterierunt, undecumque initium facias: ergo jamdiu Meſſias venit. Tertium argumentum ſuppeditat Aggæus. Ex Aggæo enim Chriſtus venire debuit ſtante Templo ſecundo; quod cum ſub Tito everſum fuerit, ante Titi tempora Chriſtus venire debuit. Quartum argumentum deſumitur ex quinto charactere: eo enim aſſeritur naſciturum Bethlehemi: quum autem nulla alia ſuperſit Bethlehem; conficitur venire debuiſſe antequam Bethlehem ſubverteretur.

Scio quid ad hæc reponant recutiti Hebræi: nempe propter Hebræorum peccata Deum diſtuliſſe adventum Meſſiæ. Sed inane effugium eſt. I. Deus hæc peccata Hebræorum prævidebat, cum prænunciabat Meſſiam. II. In Danielis Prophetia dicitur Deum abbreviaſſe tempus propter peccata populi, tantum abeſt, ut diſtulerit. III. Regula eſt Rab-

(a) *In ſua Paraphraſi.* (b) *In libro Sanhedrim c. ult.*
(c) *Cap.* VII. 14. (d) *In Lexico.*
(e) *In Demonſtr. Evang. prop.* IX. *cap.* 9.

binorum omnium, Deum minas quidem differre, & pœnas, non præmia. IV. Potuiſſet exceptio hæc locum habere, ſi nullus prædicto tempore comparuiſſet, in quo characteres Meſſiæ reperti fuiſſent omnes.

Conſtat ergo ex Prophetiis Meſſiam adveniſſe, idque ante everſionem Jeroſolymorum, ideſt ante Titi tempora. Demonſtrandum nunc eſt, Jeſum Nazarenum Mariæ Virginis Filium fuiſſe Meſſiam illum in lege promiſſum. Id vero plurima demonſtrant. Primo nemo eo tempore, quod a Prophetis ſtatutum erat, comparuit, qui ſe operibus Meſſiam eſſe probaverit: itaque Judæi ipſi, qui Jeſus opera videbant, dicere ſolebant, *Meſſias cum venerit, an plura faciet ſigna, quam hic facit?* II. Prophetiæ omnes de Meſſia in Jeſu ſunt impletæ, quod cum veteres, tum recentiores Theologi, in primis Huetius (*a*) luculentiſſime demonſtrarunt. Nos contenti erimus, ſi demonſtraverimus in Jeſu completos eſſe characteres omnes præcipuos Meſſiæ. Et primum quidem Jeſum fundaſſe Regnum, & profecto æternum, & ad ſe omnes gentes vocaſſe, quod primus, ſeptimus, & octavus characteres ſciſcunt, totus orbis Chriſtianus prædicat, omnia ſcripta evangelica docent. Itaque Paullus Pſalmiſticum illud confidenter repetit, *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* (*b*). Vide ut argumentum iſtud egregie pertractat B. Chryſoſt. (*c*).

Reponunt Hebræi Meſſiam reducere debuiſſe Hebræos, atque res, & Regnum Hebræorum reſtituere, quod tantum abeſt, ut Jeſus fecerit, ut potius ab ejus tempore res Hebræorum publica, ſemper in deterius abierit; ergo Jeſus non eſt Meſſias ille a Prophetis prædictus. Sed non rite Scripturas intelligunt. Regnum enim Chriſti, non temporale, ut contendunt Hebræi, ſed ſpirituale eſſe debuit. Quippe Meſſias non humana Imperia, ſed religionis & beatitudinis Imperium fundaturus venire debuit. Hinc Jeſus (*d*): *Regnum meum non eſt de hoc mundo, ideſt non eſt qualia ſunt Regna hujus mundi*. Id quod Propheta Jeremias (*e*) aperte dicit: *Et ego*, inquit Dominus, *congregabo reliquias Gregis mei de omnibus terris, ad quas*

ejecero

(a) *Prop. IX. Demonſtr. Evang.* (b) *Ad Rom.* X. 18.
(c) *In hom. Quod Chriſtus ſit Deus*.
(d) *Jo.* XVIII. 36. (e) *Cap.* XXIII.

ejicero eos illuc, & convertam eos ad rura ſua, & creſcent & multiplicabuntur .... ecce dies veniunt, dicit Dominus, *ſuſcitabo David germen juſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter.* Hæc Prophetia niſi intelligatur de regno Chriſti æterno numquam alias impleri poterit, cum non amplius extent Tribus diſtinctæ, quas in loco hoc ſpectat Propheta.

Jeſum fuiſſe Sacerdotem, atque Sacrificium morte ſua conſummaſſe, ex toto novo Teſtamento patet. Mortem hanc cum omnibus ſuis circumſtantiis, qualem Evangeliſtæ narrant, prædixerat Iſaias. Legendum eſt caput LIII. hujus Prophetæ. Ibi enim de Meſſia prædicitur, non tantum quod ei non fuerit ſpecies, neque decor, quod fuerit deſpectus, noviſſimus virorum, vir dolorum, & alia; ſed quod hæc omnia victimæ inſtar particularis pro peccatis noſtris tulerit, quod languores noſtros ipſe portaverit, quod vulneratus ſit propter iniquitates noſtras, quod Deus omnium noſtrum iniquitates in eo poſuerit, quod poſuerit animam piaculum, ſeu ſacrificium pro peccato, & alia ſimilia (a).

Jeſum fuiſſe Prophetam multa demonſtrant. I. Miracula, quibus fuiſſe a Deo miſſum probavit, quæ miracula ne Hebræi ipſi in Thalmude negare audent, quæque, ut ſuperius demonſtravimus, vel ab ipſis Chriſtiano nomini infenſiſſimis hoſtibus, Celſo, Porphyrio, Juliano, aliiſque negata non ſunt, & quorum totus Chriſtianiſmus teſtis eſt luculentiſſimus. II. Prædictiones manifeſtæ de ruina Jeroſolymorum, de proditione Judæ, de caſu Petri, de Morte ac Reſurrectione ſua, & trecentæ aliæ operæ completæ, ut nihil dicam de iis, quæ futura ſæcula ſpectant, potiſſimum de conſumatione ſæculi.

Jeſum natum Bethlehemi narratur in Evangelio (b), eratque ſcriptum in Tabulis Cenſualibus Romanorum, quas confidenter citat Tertullianus, tamquam quæ in Archiviis Romanis conſervarentur. Natum ex Virgine illibata iidem narrant Evangeliſtæ. Quum ergo in Jeſum Mariæ Filium quadrent characteres omnes Meſſiæ, Jeſus Mariæ Filius eſt Meſſias ille in lege prædictus.

(a) *Vide Orig. in* II. *c. Cel*. (b) *Matt.* II. & *Luc.* II.

Jam vero plurimæ aliæ ſunt Prophetiæ Meſſiam ſpectantes, quæ in ſolum Jeſum conveniunt, & quarum ubertiſſimam copiam ſuppeditabit Huetius (*a*). Nos paucas eligemus ſpeciminis ergo. Jeſus ex Davidis fuit poſteritate (*b*): talis autem debuit eſſe Meſſias juxta Jeremiam (*c*), & Ezechielem (*d*). Jeſus doctrinam ſuam prædicare cœpit in Galilæa (*e*): quod efficere debebat Meſſias juxta Iſaiam (*f*). Præterea prædicit Iſaias (*g*), Meſſiam ſanaturum fore omne morbi genus, quod de Jeſu narrant Evangeliſtæ (*h*). Meſſias prædictus eſt Magiſter gentium (*i*); quod Chriſtus per Apoſtolos ſuos effecit. Ad hæc Meſſias cultum idolorum ſubvertere debuit (*k*); quod Jeſus effecit. Sed legatur Huetius ipſe prop. IX.

Objiciunt Judæi primo. Iſaias (*l*), aliique Prophetæ prædicunt aperte, ſub Regno Meſſiæ pacem & juſtitiam regnaturam: contra vero a tempore Jeſu omnia bellis cum inteſtinis, tum externis, omnia ſchiſmatibus, hæreſibus, ſceleribus agitata ſunt, atque etiamnum agitantur, ut tirones in hiſtoria populorum norunt; Meſſiæ ergo Regnum nondum venit. Reſpondemus eas Prophetias eſſe intelligendas de doctrina Meſſiæ, quæ ad pacem, amorem, juſtitiam, manſuetudinem unice directa eſt, quamque ſi homines perfecte obſervarent, in pace & tranquillitate profecto viverent: totius enim legis Evangelicæ principium, & finis caritas eſt erga Deum & proximum. Deinde eſt in citatis prophetiis emphaſis quædam hyperbolica, ſpectans lætitiam publicam, ob adventum Meſſiæ futuram. Quæ emphaſis dum ſenſus litteralis earum prophetiarum exquiritur reſecanda eſt. Præterea Prophetiæ hujuſmodi ſpectabant ſtatum rerum humanarum, in quo illæ futuræ fuiſſent Meſſiæ tempore, quo ſenſu completæ ſunt. Eo enim tempore, quo Jeſus natus eſt, per totum Imperium Romanum, quod Aſiæ Africæque bonam partem, Europæ vero maximam obtinebat, pax illa & tranquillitas regnavit,

(a) *In Demonſtr. Evang.* (b) *Matt.* I.
(c) *Cap.* XXIII. 5. (d) *Cap.* XXIV. 24.
(e) *Matt.* IV. 12. (f) *Cap.* IV. 2.
(g) *Cap.* XXXV. 5. (h) *Matth.* XI. 8.
(i) *Pſal.* II. 8., *Iſaiæ* 12., *Zachariæ* 11.
(k) *Iſaiæ* XXXI. 7., *Sophoniæ* I. 4.
(l) *Cap.* II. & XI.

vit, ita ut ſub Octavio Auguſto Jani portæ fuerint clauſæ, quod fieri a Romanis non conſuevit, niſi cum totum Imperium eſſet in pace. Legatur Suetonius in Auguſto (*a*).

Objiciunt ſecundo Meſſiam reducturum fore Judæos in terram promiſſam, juxta vaticinia Iſaiæ (*b*), Ezechielis (*c*), Joelis (*d*), & Zachariæ (*e*). Nunc autem tantum abeſt, ut per Jeſum populus Judæus in terram ſuam ſit reductus, ut non multo poſt ipſius adventum univenſa Judæorum reſpublica funditus deleta ſit ac diſſipata. Reſpondet perſpecte Epiſcopius (*f*), eas prophetias, unum ſi Zachiariam excipias, qui poſt captivitatem Babylonicam prophetavit, loqui de reſtitutione Judæorum in Palæſtinam ex Babylone. Nam Prophetæ, qui hæc prædicunt ii ipſi, & mentionem faciunt annorum 70. & eorum omnium, qui populum Dei adflixerunt, Aſſyriorum potiſſium, & gentium, quæ benedictionem iſtam divinam viſuræ erant, quæ gentes erant quidem eo tempore, & aliarum rerum, quæ manifeſto oſtendunt, Prophetas in hujuſmodi prophetiis Babylonicam captivitatem ſpectaſſe. Sed idem Auctor reſpondet etiam, ea vaticinia non eſſe intelligenda ſecundum literam, ſed ſecundum ſpiritum, de regno Meſſiæ ſpirituali, cum ea conditione, niſi Judæi pertinaces ſint. Quum autem Judæi in regnum Chriſti vocati renuerint venire, adpellare ad prophetias iſtas nequeunt. Conferri poteſt & Limborchius (*g*).

Objiciunt tertio, Jeſum legem Moyſis aboleviſſe, quæ lex cum fuerit a Deo lata, æterna eſſe debuit & immutabilis; Meſſias ergo ille non fuit. Reſpondemus legem Moyſis tres habere partes, moralem, cæremonialem, ſive canonicam, & judicialem, ſive politicam. Moralis cum nihil ſit aliud quam ipſa lex æterna & naturalis, immutata manet, neque unquam a Jeſu abrogata fuit, ſed tantum clarius explicata. Cæremonialis vero, & judicialis ſtatui reipublicæ Hebraicæ adaptata erat; adeoque cum ipſa republica interire debuit. Ceterum mirum eſt Judæos hæc nobis poſſe objicere, cum legant in Thalmude titulo *de Syne-*

(a) *Vide Org. II. cont. Celſ.*
(b) *Cap. XI.* 11. 12. & 13.
(c) *Cap. XXXVII.* 25. & *ſeqq.*
(d) *Cap. II.* 27. (e) *Cap. II.* 10.
(f) *Inſtitutionum Theologicarum lib.* 3. *cap.* 24.
(g) *In Amica Collatione cum Judæo.*

Synedrio, ad imperium Praphetæ qualecumque præceptum intrepide violari.

CAP. XIII.

Objectiones Deiſtarum reliquæ, quum quæ petunt hiſtoriam evangelicam, tum quæ dogmata, diluuntur.

I. NE ſæpe rerum ordinem perturbarem, reliquas Deiſtarum objectiones in hunc coegi locum. Eæ duorum ſunt generum: nam quædam ſunt quæ hiſtoriam ſpectant, alia quæ dogmata. Utraque, nec vero ineptias quoque, ſed potiſſima, majori, qua fieri poteſt brevitate & exponam, & refellere ſtudebo.

II. Primum ſit, quo potiſſimum contra inſpirationem librorum Evangelicorum pugnat Benedictus Spinoza (*a*). Deus quum homines alloquitur non ſolet argumentis & ratiociniis uti, ſed res gravitate Legislatore digna proponit, earumque unum eſt & maximum argumentum, Deum dicere. Homines autem argumentis, & ratiociniis pronunciata ſua confirmare ſtudent, quia non alia ratione poſſunt ea aliis perſuadere. Ratiocinantur autem Apoſtoli, dum ſua dogmata docent, præſertim Paullus; non igitur Dei ſpiritu, ſed humano docent.

III. Reſpondemus, ſpiritum Dei, & conſequenter ſpiritûs & verbi Dei adminiſtros, Prophetas, ſcilicet, & Apoſtolos, aptaſſe ſeſe hominum imbecillitati; *factoſque omnia omnibus, ut omnes lucrifacerent*, quemadmodum Paullus loquitur. Ipſe Spinoza non diffitetur, Deum non eſſe *locutum* per veteres Prophetas, niſi linguam filiorum hominum, & docuiſſe ſcientiam naturæ hominum adtemperatam. Quum igitur homines ratione duci ament eaque regatur argumentis, inde factum eſt, ut ipſi Prophetæ, & Chriſtus, non tantum Apoſtoli, quod contendit Spinoza, ſæpe argumentis uſi ſunt. Totum igitur hoc Spinozæ argumentum ſophiſtica eſt argutatio. Præterquam quod diſtinguendæ ſunt in divinis libris Leges, quas per Adminiſtros ſuos Deus promulgat, ab argumentis, quibus populo fidem facit ſuorum Adminiſtrorum θεοπνευςίας, ſeu divinæ inſpirationis.

(a) *In Tractatu Theologico-politico.*

tionis. In legibus promulgandis, quarum ſanctitas, & divinitas ſtatim per ſe omnibus innoteſcit, *unum cole Deum; non occides, diliges Dominum Deum tuum ſuper omnia, & proximum tuum ſicut te ipſum, &c.* ſuprema Legislatoris poteſtate utitur: nec proœmia adhibet, nec argumentatur, ut philoſophi efficere ſolent, ut inde quoque Grotius pro divinitate Librorum ſacrorum argumentum concluſerit. Sed neceſſarium erat, ut aut miraculis, aut prophetiis, aut ſimilibus argumentis fidem faceret a ſe miſſos eſſe eos, qui nomine Dei loquebantur. Ita Chriſtus, ſi non *vultis credere mihi, at credite operibus, quæ ego facio.* Non rerum argumenta profert, ſed miſſionis. Inter hujuſmodi argumenta non raro Apoſtoli eo utuntur, quod a Prophetiis deducitur. Quum ſcilicet Auctores veteris Teſtamenti Prophetæ fuerint, eorumque prophetiæ maxima ex parte Chriſtum, & Eccleſiam ſpectaverint, ut inter Judæorum magiſtros conveniebat; divinæ Œconomiæ fuit ea via Hebræos ad Chriſti Divinitatem agnoſcendam perducere. Tandem in divinis Scripturis diſtinguunt quidam inter *inſpirationem, & aſſiſtentiam Spiritus Sancti* ita, ut licet non deceat in iis, quæ inſpirata ſunt, argumentari, doceant minime dedecere in iis, quæ ex *aſſiſtentia* tantum Spiritus Sancti ſunt. Videri poteſt Olden de *analyſi Fidei* libro primo. Quæ doctrina, quæ plurium noſtrorum Theologorum eſt, ita eſt intelligenda, ut omnia, quæ Scripturis continentur Spiritus Dei ſint, ſive inſpirantis, ſive aſſiſtentis, hominum tamen ingenio ſeſe aptantis; non ut quædam ſint pure humana, in quo errat graviſſime, me ſaltem auctore, Olden.

IV. Superiori argumento & hoc adjungunt profani homines. Sæpe Chriſtus loquitur per ambages: *non enim loquebatur, niſi in parabolis*, quas interdum ne Apoſtoli quidem intelligerent. Quin data opera ſic eſſe loquutum, ne Judæi *intelligerent, & converterentur, & ſanaret eos*, idque ex veteri prophetia, aperte in Evangelio traditum eſt. Ac ne illud quidem, quod maximopere oportebat, & in quo caput rei vertebatur, ſe eſſe Meſſiam, niſi per involucra dixit. Quis autem non videat quantopere hæc Dei majeſtatem, & bonitatem dedecent? Principio quid adtinet Deum loqui, ſi nolit intelligi? nec enim deludificare homines tantam decet majeſtatem. Deinde cum ejus bonitate non conſentit quidem quemquam a ſe veluti projicere, niſi qui ipſe per ſe contumax ſit & refractarius. Ambiguus igitur ille

ſer-

ſermo, impervius, flexiloquus (pergit profanum genus) quum Dei proprium eſſe nequeat, tum conſuetas hominum artes ſapit. Certe inde potiſſimum Ethnicorum oraculorum calliditas detegitur, quæ ita erant omnia ancipitia, *ut*, quod ſalſe Cicero ait, *interpres egeret interprete*.

Sed nihil ego hoc argumento nec contumelioſius legi unquam, nec ineptius, ut cogar repetere crebro, nemini mortalium minus eſſe Evangelicos libros cognitos, quam iis, qui Chriſtianæ Religioni bellum indixere, quum, ſi plane ſuſcepto munere fungi vellent, nemini eſſe deberent notiores. Quod ut planum faciam, ſecernam ego in Evangelicis libris ea, quæ Dei majeſtatem & benignitatem decebat omnibus eſſe in medio poſita, ab iis, quæ neceſſe non erat ut ſtatim omnibus eſſent nota. Ac illa ſunt leges, vis mediatoris, fides in Chriſtum, certa argumenta, quibus ſibi homines etiam ſtipites, aut perditæ vitæ, Chriſtum a Deo veniſſe perſuaderent: hæc vero quæ reliquam vitæ Chriſti partem ſpectabant: quæ futuros Chriſtianorum cœtus, quæ ultima ſeneſcentis orbis tempora; quæ arcana quædam alterius vitæ, ac ejuſdem generis plura. Hæc neceſſe non erat, ut omnia aperte ediſſererentur: vellicanda enim erat curioſitas: excitanda in animis humanis fides: alenda ſpes: fovenda caritas: homines Dei imperio aſſuefaciendi.

At illa, ſine quibus nec boni eſſe poſſent, nec Chriſtiani, quibus videlicet officiorum ſemina & regulæ eorum animis informarentur, quibus diſcerent qua ratione aut cum Deo agendum eſſet, aut cum hominibus vivendum: quibus ne ſtulte crederent, ſed certi eſſent divinæ Jeſu Chriſti miſſionis; hæc, inquam, aperta eſſe debuere, & indubia.

Si noſtri temporis Dialectici ea, qua par eſt, diligentia, libros Evangelicos legiſſent, non arbitror quidem eos ſuperioris argumenti ineptias potuiſſe effutire: nam ipſi per ſe ſenſiſſent & ea eſſe clare in iis ſcripta, & a Chriſto, etiam in parabolis, aperte tradita, quæ ut ſic traderentur oportebat; & quæ ſunt obſcura neceſſe non fuiſſe, ut perſpicue ediſſererentur. Quid enim intererat ſine ambagibus omnes ſcire, qua eſſet Chriſtus morte periturus, ac quando? Quid, qui eſſent beatarum mentium ordines in Regno Cælorum? Quid, quo tempore hominum genus extinguendum eſſet, omneſque in judicio ſtaturi? Hæc ad officia minime pertinent. Sed ne illud aperte quidem verbis di-

cere debuit (quamquam nec obſcure dixit & crebro) ſe eſſe Meſſiam; quum id ſatis teſtatum facerent miracula, quam ejus taciturnitatis cauſam idem Chriſtus protulit: qui enim tam manifeſtis miraculis non permoverentur, eos verbis credituros fuiſſe exiſtimabimus? Sed me quoque pudet in re non neceſſaria ſupervacua uti argumentatione.

III. Tertium argumentum eſt Joannis Craig Scoti (*a*). Is ad calculum adducere conatus eſt probabilitates hiſtoriæ Evangelicæ, quibus tota nititur Chriſtina doctrina. Eas perpetuo decreſcere arbitratur, quouſque tandem in nihilum referantur. Tempus iis conſtituit annorum 3193. Ceterum arbitratur, antequam id temporis conficiatur, Chriſtum denuo venturum homines judicatum. Non ego heic calculos arithmeticos producam, quibus ille tantam abſurditatem machinatur; nam ea hypotheſis, in qua ſubſtruuntur, precaria eſt, & falſa. Hoc potius fundamentum excutiam. Res, ait, quæ accidunt, iis, qui oculis ſuis contuentur, plena certitudine, ac, ut ajunt, phyſica conſtant. Iis, qui ſequenti ætate vivunt, in qua oculatorum teſtium conteſtatione ſtabiliuntur, minor eſt ea certitudo: eſt enim non *phyſica*, ſed *moralis*. Tertiæ ætatis hominibus ab iis narrantur, qui ſecunda ætate vixerunt; minor igitur adhuc eſt. Ita fit ut ea perpetuo decreſcat; quod autem perpetuo decreſcit, id finiat tandem aliquando neceſſe eſt.

VI. Sed nihil eſt hoc ſophiſmate ineptius. Fundamentum certitudinis moralis ſunt teſtes primum oculati, tum qui iis proximi ſunt. Quouſque igitur ii teſtes perſtent, eamdem illi fidem faciunt ſemper. Qui Julium Cæſarem Romæ occiſum oculis ſuis viderant, luculentiſſimum ejus rei teſtimonium filiis ac nepotibus faciebant. Si ii altero ab occiſo Cæſare ſæculo vixiſſent, nemo dubitabit, quin eamdem facturi eſſent fidem: jam eamdem feciſſent & tertio, & quarto ſæculo, ſi ad eam uſque ætatem vitam continuaſſent. Qui ſi nunc viverent, tamque eſſent mente & ſenſibus vegeti & alacres, quam id temporis fuere, quum tantæ res acciderent, ecquis eſſet tam duræ frontis, qui minorem illis fidem deberi, quam a filiis, ac nepotibus olim adhibebatur, dicere auderet? Qua ex re præclare mihi confici videor, iiſdem exſtantibus teſtibus, eamdem eſſe teſtificationis

---

(a) *In opere* Theologiæ Chriſtianæ principia Mathemathica *edito Londini an.* 1699.

nis vim; eamdem factorum certitudinem; eamdem poſtremo fidem iis deberi. At non minus eſt perſpicuum, exſtantibus oculatorum teſtium libris, teſtes ipſos exſtare vegetos ac vivos, tantoque certiores, quantum nullam illis nec ætas, nec novæ utilitates, nec nova partium ſtudia labem afferre queant. Quum igitur Apoſtolorum codices, teſtium ſcilicet oculatorum, integros adhuc habeamus, ac quantum ex præſentibus rebus humanis conjicere licet, perpetuo ſimus habituri, dicere non eamdem in nobis nunc fidem gignere poſſe, quam tum fecere, quum ore ſuo eadem prædicarent, mihi aut ſecum ipſos pugnare, qui dicunt, videtur, aut vocabula ſine ſenſu effutire. Nam aut ii codices integram fecere olim fidem, atque eamdem nunc faciant neceſſe eſt: aut ſi nunc non faciunt, ne olim quidem fecere: aut ſi neutrum, vana ac ſenſu vacua verba is effutit, qui affirmat.

Adeo, inquit aliquis, rerum humanarum es imperitus, ut ignores, quanta in libris labes & irrepſerit olim, & fieri etiamnum poſſit? Non hæc me latent. Sed arbitror ſatis ſuperius genuinitatem librorum Evangelicorum eſſe demonſtratam: &, ut nunc ſe res habent humanæ, admodum eſſe difficile ita eos labefactare, ut nullam amplius ſint fidem facturi. Quod ſi contingat, quod ego ne fieri quidem amplius poſſe cenſeo, nedum cum his libris, ſed ne cum Homero quidem, aut ullo profano ſcriptore: tum ii viderint, qui tanti olim miraculi teſtes erunt. Nos qui hac ætate vivimus, delirare omnes oportet, ſi idcirco nullam Polybio, aut Tacito fidem præſtare velimus, quod ii, qui poſt triginta ſæcula naſcituri ſunt, flammis eorum codices omnes ſint addicturi.

VII. Vetere illi Sophiſtæ Celſus, Julianus, Porphyrius, & cynoedi noſtri dialectici ſuperioribus argumentis facile depulſi, externas, ajunt, ſe munitiones libenter deſerere, modo arcem tueantur. Caput, inquiunt, rei totius de qua agitur, eſt, ſcriptores vitæ Jeſu Chriſti hiſtoriam ne ſcribere voluerint, an fabulam adornare? Sinceri ne fuerint, & probi, & rerum, quas narrant, conſcii, convictique, an callidi impoſtores? Spiritu ne Sancto inſpirati ſcripſerint, an de genio ſuo ſint mentiti? Non fuiſſe autem eos nec probos, nec ſinceros, nec a Spiritu Sancto inſpiratos, tria potiſſimum probant. I. Senatus Hieroſolymitani decretum, quo veluti facinoroſi, atque publicæ tranquillitatis

per-

perturbatores conſtanter damnati ſunt. II. Mala fides, qua veteribus propheriis abutuntur. III. Pugnantia quum in factis, tum in doctrina, quæ ſcribunt.

Ac principio Chriſtus publico decreto velut *ſeductor* cruci affixus fuerat, ac magnis quidem cum ludibriis non plebeculæ ſolum, ſed principum, & ſacerdotum (*a*). Mox ejus diſciplina vetita (*b*). Poſtremo conjecti in carcerem Apoſtoli, variiſque pœnis affecti quum ipſi, tum ejus ſectatores. Hæc ut Sanhedrin, ſeu ſupremum Gentis tribunal efficeret, niſi probe ſciviſſet, totam eam rem eſſe commentitiam; falſa eſſe miracula; non recte Chriſto accommodatas veteres prophetias; Chriſtum denique non habuiſſe characteres Meſſiæ, quis eſt, inquiunt, qui ſibi perſuadeat? Præſertim quum Synagoga eſſet apud Hebræos Senatus, non ſolum magnis civilibus negotiis, ſed religionis cuſtodiæ a Deo præfectus, quique falli non poſſet.

Deinde, ſi vera ea fuiſſent miracula, quæ Chriſtum perpetraſſe ſcribunt, iique, qui ſcribunt, ea fuiſſent poteſtate præditi, qua narrant, ecquid cauſæ eſſe poterat, ut prophetiis potius uti vellent, quo eam rem obſtipis Hebræis perſuaderent? Id monſtrat eos ſibi & cauſæ ſuæ parum confidiſſe. Sed rem conficit abuſus prophetiarum. Quid enim adtinebat veteris teſtamenti tot loca velut prophetica congerere, in quibus tamen conſtat nihil eſſe prophetici? Ut ecce quum Matthæus Angeli verba retuliſſet ad Joſephum, *Joſeph filii David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, &c.* ſubdit, *hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per prophetam dicentem, Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, &c.* Hæc leguntur quidem apud Iſaiam (*c*), ſed cum alio plane ſenſu, ut utrumque locum conferenti patet: agitur illic de propheriſſa, quæ continuo tum *concepit, & peperit*: heic de Jeſu. Jam vero quum Jeſus ex Ægypto rediret, Matthæus docet (*d*) id factum, *ut adimpleretur quod ſcriptum eſt a domino per Prophetam dicentem, ex Ægypto vocavi filium meum*. Hæc apud Oſeam leguntur, nec tamen prophetice, ſed hiſtorice; agitur nempe de populo

(a) *Matth. XXVII. v.* 1. 39. 63. *&c.*
(b) *Actor.* II. 18. *& V.* 1. 40.
(c) *Cap.* VII. *v.* 14. (d) *Matth.* II. 15.

pulo Judæo, quem Deus de ægyptiaca ſervitute liberave-rat. Eodem loci Joſephus Herodem timens *ſeceſſit in partes Galilææ, & veniens habitavit in Civitate quæ vocatur Nazaret, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur*. Ubi hæc ſcripſerint Prophetæ non conſtat: ſed videtur hiſtoricus ſpectaſſe Nazareiſmum, qui erat profeſſionis nomen, non loci; ut idcirco nihil attineat ad hanc vitæ Chriſti partem. Ejuſdem generis eſſe ajunt ceteras prophetias, quas Chriſto Apoſtoli adaptare ſtudent.

Poſtremo (pergunt Deiſtæ) non conſentiunt inter ſeſe Evangeliſtæ & Apoſtoli ceteri nec in hiſtoria, nec in dogmatibus. Plurima narrat Joannes, quæ tacent reliqui tres: inter quæ Woolſton turbas concitat, tacitam a tribus Evangeliſtis Matthæo, Marco, Luca, Lazari, reſurrectionem, a Joanne, qui omnium ultimus ſcripſit, tantopere ornari; quam ille rem idcirco fictitiam habet. Ajunt Matthæum peccare in veteri Hebræorum Chronologia: peccare Lucam in Actis. Diſſentire a ſe mutuo quum in aliis, tum in cœna enarranda. Non idem ſentire de fide in Chriſtum, cui Paullus omnia tribuit; quum Jacobus operibus potius tribuenda eſſe contendat. Sum in hoc loco enarrando brevis; eſt enim a propoſito noſtro alienum concordiam commentari Evangeliſtarum, quam infiniti viri doctiſſimi, quum olim, tum memoria prope noſtra ediderunt. Argumentum attigiſſe mihi ſat eſſe credo.

Quum tribus partibus hæc argumentatio conſtet, priorem leviter attingam, velut quæ ipſa per ſe ſatis labefactetur. *Damnatus eſt Chriſtus a Synagoga: proſcripta ejus ſecta*. Hæc conſtant. Quid igitur? *Non conſtitit*, inquiunt, *Synagogæ Jeſum eſſe Meſſiam Patribus promiſſum: non quadrabant igitur in eum veteres prophetiæ: vera non erant miracula*. Credunt eſſe ullum, quibus notæ ſint res Judæorum ejus ævi, perſpectaque hiſtoria Evangalica, quem hæ perturbent concluſiunculæ? Nam mortuo Herode, Archelao vero decimo imperii ſui anno ultra alpes relegato, in provinciam a Romanis redacta fuerat Palæſtina. Omne igitur imperii jus amiſerant Hebræi, eratque id temporis Synagoga hominum potius facinoroſorum, avariſſimorum atque publice infamium ſacerdotum, quam ſenatorum ſapientum & gravium concilium. Id facile ei fiet perſpicuum, qui priores Joſephi *de bello Judaico* libros perlegerit. Sed &

patet

patet ex tota hac, de qua agimus, Chriſti cauſa. Quid enim vero egit Senatus ille ea conſideratione ac prudentia, qua ne in minimis quidem rebus deſtitui decebat? Omnia geſta ſunt ira, indignatione, livore, tumultu: non oculati teſtes auditi: non diſceptatum niſi tumultuoſe ſuper prophetiis: non miracula ad ſeverum examen adhibita: falſus rumor: accenſi privatis utilitatibus animi: falſi teſtes ſubducti. Hanc ut ſerii judicii formam habeamus? Quin Gamaliel vir unus antiqui moris, qui id effecit, ut in tanta re deliberanda ſedatiores eſſent, totumque negotium tempori committerent, ſatis aperte demonſtravit, quam non jure in Chriſto damnando egiſſent. Ad hujuſmodi ergo decreta, non ratione ulla dictata, ſed metu, odio, ira; nulla ſervata nec legis, nec judicii ratione, ſed omnia tumultu geſta, imperite & ſtulte appellant Chriſtiani nominis hoſtes. Quid, inquiunt, faciemus Synhedrii auctoritati? Videlicet & Synhedrii auctoritas una cum regno extincta eſſe debuit, & res, quæ ſequutæ ſunt, ſatis clare oſtendunt, Deum hoc tempore ſtatuiſſe, & gentem, & ſenatum, & leges excindere. Id quum prædictum eſſet a Prophetis, nemini mirum eſſe debet accidiſſe.

Alteri parti copioſe, quum ab aliis, tum præſertim ab Hugone Grotio reſponſum eſt (*a*). Ego brevitati ſerviam. Igitur ait non id præcipue agere voluiſſe Apoſtolos iis teſtimoniis, ut contumacibus Hebræis perſuaderent Jeſum eſſe promiſſum Meſſiam: id enim ſatis erat miraculis demonſtratum, quæ cui ſatis non erant, nihil eſſe poterat ſatis. At quibus id jam perſuaſum erat Jeſum eſſe illum Meſſiam (quod erat plurimis) aut quibus ſcrupulus adhuc aliquis ſupererat ob religionem Prophetiarum, his ſimul oſtenſum voluerunt quomodo tota divina οικονομια priorum temporum hunc ipſum Chriſtum ejuſque res geſtas, ut pulcherrimam & perfectiſſimam ſpeciem, perpetuo ante oculos habens, cetera omnia ad illud inſtar effinxerit. Huc ſpectat præter alia, quod Chriſtus (*b*) dicatur *præcognitus ante mundi conſtitutionem*: *& ejus ſapientia prædeſtinata ante ſæcula* (*c*): &

(a) *Grot. ad Matth. cap.* I. *v.* 22. *Vide in hunc eumdem locum Maldonatum*.

(b) *I. Pet.* I. 20.

(c) *I. ad Corinth.* II. 7.

quod aperte ſcribit alibi idem Apoſtolus (*a*), *Hebræis accidiſſe omnia τυπικῶς in figura*: & Chriſtum eſſe πλήρωμα *plenitudinem temporum* (*b*). Non igitur inſtituta tantum legis umbra Chriſti fuerunt (*c*), ſed & res geſtæ, præſertim nobiliores. Hoc erat Judæis notiſſimum. Itaque Tertullianus (*d*) *ſcimus*, inquit, *ut vocibus*, *ita & rebus Prophetarum*. Et Chryſoſtomus in epiſtolam ad Romanos: *Non loquuti ſunt*, inquit, *tantum Prophetæ*, *ſed & ſcripſere quæ loquuti ſunt*: *nec ſcripſere tantum*, *ſed & rebus figurarunt*. Quod ſi res ipſæ divino conſilio Chriſtum ſpectant, ſane & ſigna rerum divinitus inſtituta eodem referenda ſunt, ſeu quæ ſpectantur, ſeu quæ audiuntur. Omnium autem horum generum exempla novi fœderis ſcriptores uberius ſuppeditant. Chriſtus in paſchali agno fuit adumbratus (*e*): item petra aquas Hebræis largiente, ut idem Paullus docet. Tranſitus quoque maris rubri, eodem Apoſtolo tradente, typus fuit baptiſmatis: duæ Abrahæ uxores, libera, & ancilla: item duo filii, utrumque teſtamentum figurabant. Mitto cetera. Hæc quum ſint, mirum eſſe non debet, Apoſtolos ad Chriſtum plurima vetera traduxiſſe, quæ ſeu verbis enunciata, ſeu ſymbolis præfigurata, ſeu geſta, præter obvium ſenſum, reconditiorem habebant alium, & ſublimiorem, Meſſiam videlicet ſpectantem, qui ſcopus, ut dixi, erat totius veteris œconomiæ. Ea in re nihil mala fide geſſiſſe, ſed ex conſenſu ipſo Hebræorum, id probat abunde, quod quum plura illis opponerent Judæi, nunquam quidquam ſuper hac re objecere. Chriſtus igitur, & tranſitu illo ex Ægypto, & Nazareiſmo, & facto illo apud Eſaiam ita præfigurabatur, ut agno Paſchali, ut petra, ut mari rubro, ut catulo illo Leonis Jacobi, ac trecentis aliis. Ac ita figurabatur, ut plus multo eſſet in re figurata, quam in figuris. Quum hæc jam credentibus nota eſſe vellent Apoſtoli, tam confidenter poterant hæc ſigna, & facta ad Chriſtum traducere, quam vere, quamque ex communi Judæorum ipſorum perſuaſione.

Tertiam poſtremo argumenti partem facile ego pene totam

(a) *I. ad Corinth. X.* 11. (b) *Gal.* IV. 4. *Eph.* I. 10.
(c) *Ad Hebræos* VIII. 5. X. 1.
(d) *De Reſurr. Car.*
(e) I. *Corinth. v.* 7.

tam prætaeribo; nam & veteres, in primis Auguſtinus (*a*); & omnes recentes ſcripturarum interpretes ita eam rem confecerunt, ut neceſſarium non ſit quidquam amplius in ea operæ collocare; hos conſulat is, cui ea de re ſcrupulus aliquis injectus eſt: habebit unde ſibi abunde faciat ſatis, Evangeliſtas nempe nec in factis ſibi adverſari, neo in doctrinis, quamquam ſæpe alter alias περιςασεις enarret, alia facta, alia dicta, quæ tacet alter; quod tantum abeſt ut ſuſpectæ fidei faciat, ut potius ſit argumento, non eos inter ſeſe colluſiſſe, ſed ea enarraſſe, quæ viderant, quæ audiverant, quæ manibus ſuis contrectaverant. Nam quod ajunt de fide in Chriſtum tam eſt puerile, ut pudeat ſerio refellere. Fidei quum omnia Paullus tribuit, fidem per charitatem operantem intelligit: cum operibus Jacobus non alia intelligit opera, niſi quæ a fide velut a radice pullulent, ſintque cum ea conjuncta. Itaque his miſſis Lazari tantum factum paullo latius expedire eſt animus.

Principio ajo nullum hiſtoricum malæ fidei damnari poſſe, quod non omnia minutatim narret, modo & ea narret, quæ inſtituto ſuo ſufficiunt, & nihil taceat, quod narraſſe factorum veritatis intereſſat; alioquin nullus fuerit bonæ fidei hiſtoricus. Matthæum, Marcum, Lucam, non hoc tantum Lazari factum prætermiſiſſe, ſed infinita alia, id demonſtrat, quod ſæpe binis verbis annuunt, Chriſtum alia feciſſe, & dixiſſe, quæ ipſi neceſſarium non duxerunt ſingillatim perſcribere (*b*). Quin Matthæus (*c*) aperte indicat, plures fuiſſe a Chriſto reſuſcitatos, quam quos diſerte meminit: eo enim loci diſcipulis Joannis ait Chriſtus, *cæci vident*, *claudi ambulant*, *mortui vivunt*. Quid *mortui*, quum unius tantum eo uſque mentionem feciſſet Evangeliſta? Fuerant igitur alii, quos omiſerat. Joannes ipſe, qui Evangelium valde ſenex ſcripſiſſe videtur, ut omiſſa ab aliis ſuppeditaret, in operis ſui calce profitetur, ſe vix particulam unam rerum enarraſſe; quod videlicet nequirent Chriſti dicta & facta omnia ſcribi, quin infinitus pene numerus librorum exſtaret. Eorum videlicet ſcopus erat, ut ſciremus Jeſum fuiſſe Meſſiam; cetera prædicatione nota ſupponebant. Hæc quum ſint, cui præterea

(a) *De concordia Evangeliſtarum.*
(b) *Matth. VIII. v. 16. Luc. IV.* 40.
(c) *Cap. XI. v.* 4. *&* 5.

mirum eſſe poterit, quædam a tribus illis Evangeliſtis tacita, quæ Joannes deſcribit?

Hæc Woolſtoni intemperiei coercendæ ſatis eſſe poſſunt. Interea viri quidam docti in varias conjecturas iverunt, qui factum ſit, ut rem tam rumoroſam tres illi tacuerint, quas haud abs re noſtra erit binis verbis enarrare. Grabius quidem & Millius exiſtimaverunt, Matthæum & Marcum eam ob occaſionem ſcripſiſſe Evangelium, ut fabulas, quæ in Evangelio *ſecundum Hebræos* ſparſæ erant, revincerent: Lucam item ut Evangelium *ſecundum Ægyptios* corrigeret; quæ duo Evangelia & id temporis in manibus erant omnium, & per plures poſtea fuere annos ad quartum uſque ſæculum. Quum igitur illa exemplaria emendata vellent, eamdem, atque illorum ſcriptores, viam & rationem ſequi coacti ſunt. Eam viam non preſſit Joannes. Atque hinc arbitrantur factum eſſe, ut reperiantur in hujus Evangelio, quæ illis deſunt.

Grotius (*a*) cenſet ſummo conſilio tres illos Lazari factum tacuiſſe. Eſt enim vetus traditio hunc hominem, poſtquam ſcilicet e mortuis ſurrexerat, triginta fere annos vixiſſe. Quum is vivus luculentiſſimum teſtimonium diceret Chriſti divinitati, eique idcirco eſſent primores Hebræorum infenſiſſimi, Matthæus, Marcus, Lucas, qui eo adhuc vivo ſcribebant, conſulto id factum tacuerunt, tamquam nec narratu neceſſarium, & quod ſummam Lazaro invidiam creare poſſet. At Joannes extincto demum eo ſcripſit, nullaſque habuit celeberrimi miraculi tacendi cauſas: omnes contra enarrandi.

VIII. Quintum Deiſtarum, Mahummedanorum, Ethnicorum argumentum eſt ejuſmodi. Doctrina eſt Chriſtianorum librorum, Chriſtianam pietatem, nec primum in animis humanis ingeneratam fuiſſe, nec deinde continuatam, nec nunc gigni, ac fervere ſolis doctorum vocibus, ſed in primis interna Dei vi: nam illæ aut ſcriptæ, aut ore elatæ voces, ſi intima Dei vis, inſpiratio, vocatio, gratia abſit, verberare quidem aures poſſunt, animi pietatem ciere nequeunt, neque ullam in illis fidem gignere. Longum eſſet hæc confirmare velle aut ex evangelicis libris, aut ex veterum Chriſtianorum perſuaſione. Quum igitur quæratur, vera, nec ne, ſit Chriſtiana Religio, id præcipue quæritur, verum ne ſit, Deum intima vi in eorum animos age-

(a) *Ad Joan. XXII.*

agere, qui Chriſtiani dicuntur, necne. Nam ſi nihil agit, tota hæc res humana fabula eſt, non divina inſtitutio. At falſum eſt, inquiunt, Deum ſua vi, adſpiratione, gratia in eorum animis agere, qui libros Chriſtianos ſequi profitentur; quod ſic oſtendere poſſe arbitrantur. Principio eorum vita, qui peculiari modo huic ſe religioni manciparunt, quique aut ejus ſunt doctores, aut populorum paſtores, atque penitiſſime eam introſpexerunt, immane quantum a theoria evangelica diſſentit; in iis igitur non agit Deus. Quid igitur faciemus aliis, qui tantas res ne primoribus quidem labiis deguſtaverunt. Tum longe quoque depravatiores ſunt reliquæ plebis chriſtianæ mores; ne in his igitur quidem agit. Jam vero qui vitam Chriſtianorum, nec de plebe tantum, ſed Clericorum præcipue a ſeptimo ad XV. ſæculum contemplatus fuerit, eamque aut cum iis contulerit, quæ libri Evangelici dictant, aut cum trium priorum ſæculorum moribus, is qui dubitare poteſt vix ulla alias fuiſſe in Europa ſæcula aut magis barbara, aut magis fœda? Iis ergo ſæculis in Chriſtianorum pectoribus non agebat Deus. Motibus XVI. ſæculi factum eſt, ut minus agreſtis ac barbarus, minuſque fœdus Chriſtianiſmus videretur: ſed exinde adeo ſenſim luxuries caput extollere cœpit, ut nihil nunc ſit tam ſanctum, quod non indigne corruperit; nihil tam tectum atque abditum, quo non prorepſerit. Inde nulli rei, niſi auro, honos: juſtitia, humanitas, decorum, virtus denique omnis aut deriſui, aut ſolis labris, quo cautius ſimpliciores fallantur, culta. Nullus niſi fictus Cæleſtium metus: nullum jusjurandum: fides omnibus pluſquam punica. Jam nulla nuptiarum fides, excuſſa muliebri verecundia, omnia late luxu populante: nulla amicitia: omnis penes cupiditatem, privatas utilitates, libidinem ſæva atque improba dominatio. Quid attinet convicta rebus verbis eloqui? Non igitur Deus in eorum animis agit, qui chriſtiana dogmata profitentur. At qui veriſimile eſſe poteſt Deum ea deſeruiſſe, quæ tanta cura incœptaverat? Ergo non videtur e cælo eſſe Chriſtiana Religio (1), quum factis demonſtretur non eſſe Auctori ſuo curæ. Breviter; homines tam ſunt nunc pravi, inquit Voltairus, quam olim fuere: nihilo meliores poſt natum Jeſum facti ſunt? non igitur eos ſervare venit.

(1) Hæc ut Ethnici ediſſerant, alii Europæi, tum præcipue homo nemini ego mirum eſſe arbitror: at Italus omnem fidem ſuperat. ut in iis ſibi belle blandiantur quum

Me quoque delectat philoſophos videre publicæ eſſe pravitatis atque fœditatis cenſores; eſt enim præcipuum philoſophiæ munus, gignere in hominum animis & verecundiam, ne impune diffluant, & virtutis ſtudium. Sed mihi cachinnos, quum id agunt, excutiunt Deiſtæ. Nam ut me ad virtutem Ariſtides, aut Coruncanus extimulet, in eam partem accipio, quam debeo: quum id Ariſtippus efficit, aut Sardanapalus, totis ſe viribus diaphragma concitat. Sed ea res alias: agamus nunc quod inſtat. *Nulli cura Deo eſt Chriſtiana Religio*; *Divina ergo non eſt*, *nec proinde vera Evangelici ſcriptores prodidere*. Aſſumtionem Chriſtianorum vitiis atque fœditatibus probant. Sed eos, qui ita argumentantur, principio quæſiverim boni ne ſint & honeſtatis ſtudioſi, an improbi atque depravati? Bonos vix ego putaverim, qui tanta protervitate virtutis & ſanctitatis leges oppugnant. Mali ſi ſint, ut eos eſſe cenſeo, quo ii jure cenſores agunt? Cui bono tanta miſericordia? Nempe ut id etiam fræni, quod reliquum eſt, excutiamus? videlicet, ut impune belluarum inſtar vivamus! Deinde ſciant velim non Chriſtianam modo Religionem ſe petere, ſed naturalem quoque; quippe morum fœditas æque cum natura pugnat atque cum Chriſtianiſmo. Ita fit, ut nihil ea argumentatione eliciatur, quando plus quam fas eſt conficitur. Præterea ut inde quidquam efficiatur, duo in anteceſſum conſtituant ejus argumenti patroni neceſſarium eſt. I. Deum aperte teſtatum in libris Evangelicis, omnes eos, qui Chriſto darent nomen, vellent nollent, atque, ut ajunt, ingratiis, integros vitæ, omniſque ſceleris puros perpetuo futuros; ut ſi id non fiat, de jecinore ſuo mentiros dicamus Apoſtolos. II. Deum debere ita in hominum animis fidem atque pietatem gignere, ut ne ſi velimus quidem queamus ab eo deſciſcere, atque ingenium noſtrum ſequi. Niſi hæc duo conſtituantur, tota illa argumentatio ſophiſtica eſt. At ea ſunt ambo falſa. Primum aperte in his ipſis libris traditur, ventura olim tempora, quæ tanta fœditate dehoneſtarentur. Chriſtus ipſe diſcipulis palam edixerat: *Si me*, inquit, *perſequuti ſunt*, *& vos perſequentur* (*a*): & paullo poſt, *ſed venit hora*, *ut omnis*, *qui interficit vos*, *arbitretur obſequium ſe præſtare Deo* (*b*): at alibi, *mitto vos in medios lupos*. Hæc Apoſtoli non ad ſua tantum tempora pertinere, ſed ad futura aperte docu-

cue-

(*a*) *Joan. XV.* 20. (b) Joan. *XVI.* 3.

cuerunt: *veniet enim tempus, quum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus* (*a*): Ac paullo ante ſcripſerat, *in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis, quam Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*. Hæc tempora, quæ & ſæpe alias fuerunt, & nunc præcipue ſunt, tandem aliquando veniſſe, nemini mirum eſſe debet, quando divini ea vates prædixere.

Tum lex Chriſtiana moralis eſt, non mechanica: libertati ergo committi debet. Quod Dei eſt, pœnis refractarios revocare, interna inſpiratione, & vocatione homines ad ejus cultum allicere, id & feciſſe olim, quum miracula, tum primorum Chriſtianorum ſanctitas demonſtrant: & etiamnum efficere, vel ii ipſi teſtari poſſunt, qui magna ſunt in morum pravitate, modo ingenui eſſe velint. Probat & id, quod ubique gentium plures & fuerunt ſemper, & nunc ſunt, qui pietatem & ſanctitatem pure caſteque profiteantur. At id poſcere ut Deus invitos etiam ad ſe pertrahat, nullumque virtuti locum relinquat, id cum Dei ſapientia pugnat.

Ceterum quum multæ ſint cauſæ ejus morum fœditatis, qua ſæpe Chriſtiani depravantur, tum illam ego principem habeo, quæ eſt craſſa divinorum codicum ignorantia, de qua & veteres Patres queruntur, & viri omnis ætatis docti & cordati. Nam quum diligenter ac pluries in eorum vitam inquiſiviſſem, qui omni pravitate dehoneſtantur, neminem ego eorum, niſi cortice tenus in chriſtiana doctrina inſtitutum reperii. Qui primorum Chriſtianiſmi ſæculorum imaginem ſibi animo repræſentet, magnum ille & divinum ſpectaculum nequit non tacitus totuſque ſacro quodam horrore concuſſus mirari: adeo & amor in Deum, & caritas in proximum, & nulla fugacium rerum cura, contra cæleſtium, atque omnis virtutum chorus primos illos mortales beatos efficiebant. At is ſciat unicum fuiſſe atque ſummum id temporis ſtudium, divinorum nempe librorum lectio. Inſpirant enim libri illi neſcio quem divi-

(a) II. *ad Timoth. cap.* IV.

num in animis afflatum, ut nemo ſit tam perduellis, qui Deo æterniſque rebus ſe non mancipet. Nunc hæc negligentia, atque in pleriſque contemtus, ut divinorum rerum ignaros, ita virtutis incurioſos, parumque veræ noſtri felicitatis ſollicitos efficit; unde magni vitiorum cultores exiſtunt, atque longe lateque vitæ luxuries graſſatur. Joſephus in II. contra Appionem libro Judæos non hoc ſolum ceteris gentibus præſtare ſcribit & pietate, & morum ſanctitate, quod Deum ipſum legislatorem habuerint; ſed in primis quod leges, omniaque divina inſtituta non frigidis codicibus ſervarunt, ſed mente atque corde: perpetua enim & ſacri voluminis lectione, & diſciplina ita in habitum converterant, ut tota eorum vita nihil eſſet aliud, niſi lex, ut ita dicam, vivens, & rebus ipſis expreſſa. Meretur hic Joſephi locus qui attentiſſime legatur.

IX. Superiori argumento & hoc addunt, in libris Evangelicis quum alibi paſſim, tum præſertim in Joanne, ſine ambage eſſe traditum, neminem eorum, quos Deus elegerit, quique Chriſto ſunt traditi, periturum (*a*). Hos Chriſtus *puſillum gregem vocat*. Ait, *non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi* (*b*). Chriſtianorum ipſorum dogma eſt, prædeſtinatorum ad vitam æternam neminem perire unquam; eoſque, qui pereunt, ex prædeſtinatis non eſſe. Pereunt autem multo plures ſine ulla comparatione, quam ſervantur, etiam ex iis, qui Chriſtianiſmum profitentur. Hæc demonſtrant ex ſyſtemate chriſtiano Deum nolle omnes homines beatos. At hæc pugnant cum iis dogmatis, quæ ratio æque & chriſtianæ ſcripturæ alibi docent. Nam Deum eſſe ut omnium hominum opificem, ita ex æquo omnium patrem, communis rationis eſt dogma: & hæ ipſæ Scripturæ docent, *Chriſtum veniſſe in mundum, ut redimeret mundum: veniſſe ſalvum facere, quod perierat: veniſſe in hunc mundum peccatores ſalvos facere* (*c*): *velle omnes homines ſalvos fieri*. Quum hæc ſint contradictoria, & factis ipſis revincantur, quia non omnes ſalvantur; conficiunt Deiſtæ, hæc de genio ſuo Chriſtianiſmi prædicatores effinxiſſe.

Ut huic objectioni ſatisfiat, neceſſe eſt totum ſyſtema Chriſtianæ Religionis animo comprehendamus. Id huc redit.

(a) Vide *Joan. XVII.* (b) *Joan. XVII. v.* 9.
(*c*) *I. ad Timoth.* 1. *v.* 15.

dit. I. Deum ita primos mortales procreaviſſe, ut ſi in eo ſtatu permanſiſſent, in quo creati erant, ipſi per ſe iis, quibus erant dotibus inſtructi, eaque cæleſti aura, qua erant afflati, & heic, & in altera vita beati eſſe potuiſſent. II. Quum libertate ſua abutentes ex eo deliciarum & felicitatis gradu excidiſſent, totum hominum genus immutabili lege morti evaſiſſe obnoxium. III. Non poſſe homines hinc emergere, atque in priſtinum ſtatum, ac primæva jura ſe ſe reſtituere, niſi *fide in Chriſtum*, ejuſque gratia ſubvectos. IV. Deum idcirco omnium Patrem pro omnibus omnino hominibus filium neci tradidiſſe. V. Omnes qui in eum credunt, ſine ullo diſcrimine ſervatum iri, atque hanc eſſe legem, qua novo fœdere Deus ad ſe homines revocat: neminem, qui eam migrat, ſervari. VI. Sed neminem poſſe in eum credere ſine ejus gratia: eſſe hanc alteram voluit novi fœderis legem. VII. Gratiam, qua in Chriſtum credimus, nemini tribui, niſi oranti, ac petenti: tertiam hanc eſſe legem conſtituit. VIII. Gratiam vero orandi ac petendi & non petenti dari, ut ei petenti altera detur. IX. Deum quoſdam ex omnibus nationibus elegiſſe, eoſque iis cæleſtibus donis adornare, quibus fiat, ut certiſſime ſerventur, hoſque & electos, & prædeſtinatos nominari. X. Sed non tamen neglexiſſe alios ita, ut nullo prorſus modo ſervari poſſint: verum ejuſmodi iis impertiri gratiam qua petere majores poſſint; neque alia lege ſervari poſſe.

Hæc ſatis inter Chriſtianos conveniunt. Si quis autem ea cum dogmatibus rationis pugnare dicat, is alia ratione, quam ceteri homines, polleat oportet. Quid enim vetuit creatorem primis mortalibus eam legem tuliſſe? nam nec quæ fieri nequirent præcipiebat; nec, ſi illi libere violarent, iniquum erat eas dare pœnas, quibus eam ob legem erant ſubjecti. Quod ſi non iniquum, ne cum Dei quidem natura pugnans. Alterum vero cum hominibus fœdus ſanxiſſe totum Dei benignitatis fuit. Leges huic fœderi appoſitas quis aut duras, aut cum utraque natura, Dei nimirum & hominis, parum conſentaneas dixerit? Principio nihil ferme aliud præcipitur, niſi & *credere Deo*, cui etiam ſine ullo fœdere ſtultum eſt fidem non habere; & eum, hominesque omnes rite amare, quod ipſa rerum natura poſcit. Præterea nemo ſecum reputare debet, Deum quæ poſſibilia non ſunt, præcipere; ſed jubere & *facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis*, ut præclare diſputat Auguſtinus,

Dei

Deinde oportuit Deum principis majeſtatem ſervare, hominesque ejus, quem in rerum natura obtinent, loci moneri: minime illum ita decuit invitis dona ſua largiri, niſi qua uſque cupidi efficerentur, atque petendi vi pollerent: neceſſarium his erat ita vitæ ſuæ rationes inire, ut agnoſcerent, poſt primam illam labem nihil in ſe relictum eſſe nec juris, nec virtutis, qua ipſi per ſe vitam illam beatam aut ſequi poſſent, aut adipiſci.

Hæc docent divini Scriptores: hæc Chriſtiani prædicant. Hæc nec pugnantia ſunt, nec cum Dei benignitate colliduntur. Sed ajunt factis revinci: nam quam paucos Deus ad ſe vocet trahatque, id ſatis aperte, inquiunt, demonſtrat, quod & infinitæ pene gentes ſunt, quæ ne fando quidem Chriſtiana dogmata audiverunt: & in ipſis Chriſtianis tanta ſit & Chriſtianiſmi negligentia, & morum fœditas. Neutrum ego hoc negaverim, & plures eſſe gentes Chriſtianæ legis ignaras, & magnam eſſe inter Chriſtianos ipſos Chriſtianæ pietatis negligentiam, ac fœditatem. Hæc enimvero factis revincuntur. Sed illud inter nos, & Deiſtas quæritur, defectu ne Dei & Chriſtianæ legis id fiat, an hominum? Hominum fieri neglectu atque improbitate id probat, quod ii, qui ſincero animo pias Deo preces fundunt, in eoque, & viriliter, & fortiter, & continenter perſeverant, ubique gentium veri ſunt Chriſtiani, magnaque & pietate, & juſtitia, & humanitate illuſtres.

Sed quoniam conſtat inter Chriſtianos hoc fieri non poſſe ſine ea gratia, qua majora dona petamus, id expoſtulant Deiſtæ, ut demonſtremus, utrum ea aut omnibus, aut magnæ ſaltem hominum parti a Deo tribuatur: niſi enim tribuitur, ſequitur, ut nec omnes ex æquo curet, nec poſſibilia præcipiat. Scio quot diſſidia hæc res & inter noſtros exciverit; nec is ego ſum, qui ingeniolo meo poſſe illa componere confidam. Illud non diffiteor, mihi Ambroſii Catharini, eorumque, qui magno numero eum ſectantur, hoc in loco arridere ſententiam, eam videlicet gratiam, quam *ſufficientem* vocavere ſcholæ, omnibus peræque a Deo dari; eamque eſſe gratiam, qua Deum omnes orare poſſimus, atque ab eo *majora lumina & chariſmata* petere. Hoc præſidium ſub poteſtate hominis eſſe: eo qui rite recteque utuntur, & fidem obtinere, & eam gratiam, qua poſtremo ſerventur. Ea ſi ita fiat, ut ego eſſe credo, illa ignorantia, illa impietas, ille rerum divinarum neglectus,

ctus, illa morum fœditas, non Deo, nec Chriſtianæ legis imbecillitati tribui debet, ſed ingenii humani pravitati. Ita fit, ut non de genio ſuo hæc mentiantur Chriſtianiſmi auctores. Sed facta, inquiunt, refragantur: tot terræ auſtrales teſtimonium contra perhibent; tot veteres ante natum Chriſtum gentes. Quæro a Dialecticis noſtris, incolæ illi auſtralium terrarum tam, ut ajunt, immanes, ad genus ne humanum pertinent? animantes ne ſunt ratione præditi, an belluæ? Si ſunt, ut ſunt profecto, ii ſuapte natura quum univerſi procreatorem Deum, tum naturæ jura, ac legem intelligere poſſunt. Eadem opera fit, ut officii erga Deum ſui memores eſſe poſſint. His Deum petitionis gratiam ajo tribuere (1). Hanc ſi non ut par eſt procurant, ſi ei obluctantur, indigni ſunt, qui majoribus donis donentur. Atque eadem eſt omnium ratio. Facta ergo, ad quæ appellant, probare poſſunt tam eam non dari, quam illos non ea rite uti. In hac ancipiti concluſione æquius eſt, ut exiſtimemus, id non Dei defectu fieri, ſed hominum: nam conſtat & Deum non poſſe ſua benignitate exui; & homines perpetuo eſſe illi ingratos.

IX. Se-

(1) Quum Job cap. 35. ſcripſiſſet, *Qui docet nos ſuper jumenta Terræ*, inde plures & graves Theologi, in primis Thomas Aquinas 2. 2. q. 3. art. 7. ad 3. confeſſere, Deum etiam iis, qui nihil unquam de Chriſtiana lege inaudiverunt, aut naturæ via, aut ſecretiori alia, eas ſuppeditare & *cognitiones*, & *gratias*, quibus ſi vitam æternam conſequi poſſint. Ac conſtat quidem inter Chriſtianos Theologos, neminem vitam beatam contingere poſſe, ſine fide in Chriſtum: ſed duplicem fidem diſpeſcuere quidam, *explicitam* nempe, ut vocant, & *implicitam*; atque hos de quibus agimus *implicita fide* ſervari poſſe ajunt. Sed enim *credere eſt cogitare cum aſſenſione*, ut ait Auguſtinus: *actus intellectus deliberantis cum firma adhæſione ei, quod cogitat*, ut diſputat S. Thomas loco ſuperius laudato art. 1.: qui ergo concipi poteſt fides iſthæc *implicita*? Quod enim eſt implicitum atque in ea re, de qua cogitamus, veluti alte merſum, id nos lateat oportet, dum cogitamus; alioquin non implicita, ſed explicita eſſet fides. Quum ergo ea de re nihil cogitemus, ne deliberare quidem poſſumus; quod ſi non deliberare, ne credere quidem: fides ergo hæc implicita commentitia eſt, atque vocabulum, quod ſecum pugnat. Cui illud addunt Apoſtoli, *fides ex auditu .... Quomodo credent ſine prædicante* Quæ eos Theologos non movent. Nam quod ajunt, fidem eſſe ex auditu, id illi ſic interpretantur, ut ſit ſive ex corporeo auditu, ſive ex altero menti interno: utrique Deus loqui poteſt, & loquitur. *Magiſtri*, inquit Auguſtinus, *verberant aures*: at Deus cor ipſum hominum auritum efficere poteſt. Illud vero, non videri credi, quod in ea re alte merſum eſt, de qua cogitamus, pluribus exemplis falſum eſſe demonſtrant: nam idiotæ, atque id genus homines parum ratione pollentes, infinita non alia fide credunt

quam

IX. Septimum argumentum. Quum dogma ſit chriſtianum, Chriſti expiatione omnes homines a condito mundo indiguiſſe, cur Deus omnium ex æquo pater tamdiu ceſſavit? An qui Chriſtum anteceſſerunt homines minus Dei erant filii? Si *nulla eſt apud Deum perſonarum acceptio*, ut Auctores Evangelici ſcribunt, ne temporis quidem eſſe debet ulla: fuit autem: nam iidem Evangelici Scriptores ajunt aperte, *Deum omnes in infidelitate concluſiſſe*, idque per

quam hac implicita, atque quaſi tacita. Hanc autem fidem ea cogitatione comprehendi ſcribit S. Thomas, qua Dei providentiam nobis perſuademus: qui enim minime de illa dubitant, ii certi quoque ſint neceſſarium eſt, Deum homines miſerari, nec eos ita deſerere, ut ne ſi velint quidem, ullo modo beati eſſe poſſint. Atque hujuſmodi Theologi eum in modum veteres illos Patres accipiunt, qui ſcripſere, præſtitiſſe philoſophiam Ethnicis, quod Lex Hebræis, Evangelium Chriſtianis, ut ſæpe Clemens Alexandrinus in Stromatibus: & rationem fuiſſe Gentilibus, quod Chriſtianis Chriſtus, qui Dei ratio eſt, ut diſſerit Juſtinus in *Apologia II.*: & fidem in Chriſtum non fuiſſe iis Ethnicis neceſſariam, qui ante Chriſtum vixere, ut diſerte Chryſoſtomus homil. XXXVII. in Matthæum: fidem, ajunt, explicitam, non etiam implicitam. Hanc rem præter Auguſtinum Calmetum in Epiſtolam ad Romanos, docte & erudite proſecuti ſunt Benedictus Pererius in Geneſim, & Diegus Payva, Andradius Theologus olim primi in Tridentinis Comitiis ſubſellii. Hujus hominis locum illuſtrem, etſi longiuſculum, *ex lib.* III. *Orthodoxarum explicationum* hic exhibere eſt animus: longitudo enim utilitate compenſabitur.

Fidem, veramque Dei cognitionem, *ait*, fundamentum juſtitiæ perpetuo extitiſſe, nemo unquam ſanæ mentis dubitavit, cum ſit non modo D. Pauli teſtimoniis, ſed omnium prophetarum vaticiniis, evangeliſtarumque monumentis confirmatum. In fide enim veteres majoreſque noſtros teſtimonium juſtitiæ fuiſſe conſecutos D. Paulus ait (*a*), utpote ex qua juſtus vivit, & juſtitia omnis excitatur: veram autem Dei cognitionem non ex ſacris tantum literis, divinisque oraculis, ſed ex rebus etiam iis, quæ ſenſibus ſubjiciuntur, haberi poſſe, idem Paulus teſtatur (*b*), cum veterum philoſophorum crimina nulla ignorationis excuſatione defendi poſſe aſſerit, quippe qui abdita maxime, & recondita Dei myſteria, & quæ cerni corporeis oculis non poſſunt, per res ipſas creatas tanquam per fidiſſimos quoſdam interpretes docere divinum numen ſolet. Ut enim in rebus creatis divinæ bonitatis amplitudo, omnipotentiæ, felicitatis, ſapientiæque ſplendor elucet, ita qui res haſce accurata circumſpectione conſideraverit, divinæ gratiæ lumine mentem illuſtrante (cujus ſola vis errorum omnium tenebras propulſare poteſt) in Creatoris cognitionem venire facile poterit. Quare, qui divini ſpiritus fulgore illuſtrati, cæleſtibuſque beneficiis aucti, in præclarum illud philoſophiæ genus incubuerunt, ut ex terrenis rebus cæleſtia, ex humanis divina, ex temporalibus ſempiterna, ex creatis creatoris ipſius majeſtatis amplitudinem cognoſcerent, ab inani illa Deorum multitudine vehementer abhorruerunt, unicum vero Deum, quem aſſidua meditatione

(a) Ad Hebræos c. 12. (b) Ad Rom. c. 1.

per quadraginta ſæcula; doctrina igitur chriſtiana aut ipſa ſe deſtruit, aut cum Dei bonitate pugnat.

Qui

ne, totique animi viribus inquiſiverunt, & mente, cogitationeque complexi, & religioſe venerati ſunt; in ipſo omnes ſuas ſpes collocarunt, illi perpetuo placere ſtuduerunt, ab illo virtutum remunerationem, officiorumque gratiam ſperarunt; illos tu, Kemnici, illa fide, Deique cognitione deſtitutos dices, qua tanquam initiis, & fundatis excellentiſſima juſtitia excitatur? Non meminiſti, Davidem (a) dierum, noctiumque viciſſitudinem, & admirabilem ordinem, Dei voces appellaſſe, quas nulla ſit tam barbara, & inculta gens, quæ non percipere queat, atque ab illis admirabilem Dei providentiam, infinitamque potentiam diſcere poſſit? Has voces ad homines inſtituendos conflatas, tam abſonas, atque fuſcas tamque inanes putabis, ut qui illis fuerit mirabiliter Dei beneficio inſtructus, fide tamen præditus, & vera Dei cognitione exornatus dici nullo modo debeat? Non vides quanta injuria divinæ bonitati inuratur, ſi ille, qui totas vires comparat, ut in cognitionem divini numinis veniat, nihil eorum prætermittit, quæ ad hoc ſunt conſequendum inſtituta, nullum tamen poſſit aut laboris fructum percipere, aut a Deo gratiam conſequi? Qualem vero laboris illum eſſe fructum exiſtimabis, ſi neque in Dei amicitiam venire, neque cæleſti juſtitia exornari poſſunt? Ut quis cum Deo arctiſſimo caritatis, juſtitiæque vinculo prioribus illis ſæculis conſtringeretur, nullam aliam fidem requirebat Paulus (b), quam credere Deum eſſe, & inquirentium ſe munificentiſſimum remuneratorem exiſtere, hanc qui, accepta a rebus creatis diſciplina, fuerint conſequuti, quid eſt quod a juſtitiæ finibus excludantur? Quocirca aut viam aliquam demonſtres, Kemnici, oportet, qua ad veram fidem vigente lege naturæ, pervenire homines potuerint, aut ſatis Dei illam notionem fuiſſe confitearis, quam partim divinum numen una cum natura ipſa in hominum animis impreſſit, partim divino ſplendore illuſtrati, cæleſtibus ſuppetiis roborati conſequi, earum rerum, quæ ſub aſpectum cadunt, aſſidua circumſpectaque conſideratione poterant. Niſi forte iniquum, ferum & immaniſſimum prioribus illis ſæculis Deum fuiſſe fingas. Neque enim diritas, atque immanitas terrior ulla eſſe poteſt, quam ſempiternis cruciatibus homines mancipare, propter fidei illius inopiam, ad quam nullus patebat aditus, & quam conſequi nulla via, nullaque ratione poterant. Quod longe fiet promptius & explicatius, ſi ad fidem nunc fulgente Evangelio, & olim enitente Moſaica lege neceſſariam, animum advertamus. Quamquam enim plurima adhuc ſuperſint divina myſteria, quæ in diuturna obſcuritate ad hoc uſque tempus latuerunt, atque ſolum beatis illis mentibus, quæ Dei conſpectu fruuntur, explorata ſunt; ſi tamen plurium cognitionem a nobis quis requirat, quam ſint divinis oraculis, & Eccleſiæ definitione explicata, gravi quidem injuria Evangelium, Chriſtumque ipſum afficiet, ut qui non omnia ad ſalutem ſuis neceſſaria compararit, ſed illos vana ſalutis ſpe deluſerit: neque ſecus vigente Moſis lege, illa tantummodo ſacra myſteria cognita haberi neceſſe erat, quæ in lege, & prophetarum prædictionibus aperte fuerant, & enodate evoluta, atque explicata: nam quæ in cæremoniarum

rum

(a) Pſal. 18.
(b) Hebr. cap. 11.

Qui ita argumentantur peccant, ut ajunt Dialectici, ignoratione Elenchi. Chriſtum poſt quadraginta ab orbe condito ſæcula ad nos veniſſe, id vacat controverſia: ſed doctrina Chriſtiana, atque fides in Chriſtum tam eſt antiqua, quam orbis. Nam quamquam revelatio evangelica & evolutior ſit, & copioſior, tamen non ita Dei beneficia hoc tempore coarctanda ſunt, ut per totam retro actam ætatem defuerint. Divina enim doctrina, qua homines ut cum virtute vivant, egent, primis profecto hominibus coæva fuit: nam Deus quum dupliciter ad homines loquatur *via naturæ*, *& via prophetiæ*, ab initio utroque modo ſeſe hominibus communicavit, nec ſemel, ſed ſæpe, nec

rum involucris deliteſcebant, ut non erant omnibus enodata, ita nec omnibus erant ad cognoſcendum neceſſaria. Quid igitur eſt, quod priſcis illis legis naturæ ſæculis & cum nondum ſeſe divina bonitas tam large, ac copioſe effuderat, non illam Dei notitiam fuiſſe etiam ad ſalutem ſatis arbitremur, ad quam aditus illis hominibus patere poterat? aut perſpecta illa habere, ac credere aſtringerentur, quæ neque Deo aperiente acceperant, neque ſtudio conſequi, neque labore comparare potuiſſent: impoſſibilia enim in obligationem cadere ferus ſolum, teter, humanitatiſque hoſtis quiſpiam poterit exiſtimare. Fuiſſe quidem Chriſti cognitionem omnibus ante ſæculis ad ſalutem neceſſariam, quamvis obſcuram, & involutam, fateor: ſed qui diligenter conſideraverit, quam late pateat Dei providentia, & quanta cum vigilantia provideat rebus humanis, ſatis intelliget, humani generis per Chriſtum redemptionem in divina procuratione implicate, & abſcondite contineri. Quare qui hanc Dei providentiam perſpectam habebant, & exploratam, ſimul ſane intelligebant, nihil Deum prætermiſſurum ut homines ſempiterna felicitate perfruerentur, atque ita non prorſus ignoraſſe Chriſtum Jeſum Crucifixum, dicendi ſunt, etſi rationem, quam Deus eſſet initurus humanæ ſalutis curandæ, compertam minime habuiſſent. Si igitur illa fides, & quam ille ſtatus, vitæque conditio ferre poterat, Dei cognitio ſatis erat ad ſalutem, profecto ſi cultum, ſi pietatem, ſi religionem adverſus Deum illi adjunxiſſent, atque quem ſummum eſſe bonum intelligebant, totis animi viribus dilexiſſent, ad illius virtutis præſtantiam, quam contemplatione admirabantur, imitatione quam maxime poſſent, accedere conarentur (quod uberrimum philoſophiæ fructum dixit Plato) leges, quas recta ratio præſcribit, quoad ejus fieri poſſet, conſervaſſent, ad illius normam omnes vitæ rationes inſtituiſſent, neque officia unquam deſeruiſſent, nihil eſt certe, quod juſtos illos fuiſſe dubitemus. Quod quidem mihi docere videtur D. Paulus (*a*). Si enim illos, ait, nullam excuſationem eſſe habituros, qui cum ex procreatis rebus abunde ſatis in Dei cognitionem divino beneficio deveniſſent, illum tamen non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis; innuere ſane videtur, excuſationis illos plurimum habituros, qui quam de Deo, & de officio, animo perſuaſionem habuerunt, cultu, pietate, religione, morumque integritate, quoad ejus fieri

(a) Rom. c. 1.

nec uno modo, ſed pluribus; ut ſi homines attendere voluiſſent, nihil eis potuiſſet deeſſe, quo veram pietatis, & virtutis viam intelligerent. Ac demus hoc in loco non aliam hiſtoriæ Moſaicæ fidem, quam quæ ceteris antiquis hiſtoricis præſtatur, quam ei denegare non poſſumus ſine totius rationis everſione: quis ignorare poteſt, non Adamum modo, ſed & Cainum, atque Abelum, & Sethum, & Enochum, ac fortaſſis alios, quos præterit Moſes, in hac

ri potuit, expreſſerunt; atque adeo juſtitiam Dei, nequaquam in injuſtitia detinuerunt, ſed quæ juſta, & pia eſſe ducebant, juſte, & religioſe executi ſunt: vere item ſapientes illos habendos eſſe innuit, quorum cor non uſque adeo fuit obtenebratum, ut vero Deo, quem cognoſcebant, repudiato, immundiſſimis quibuſque animantibus divinos cultus, honoreſque deferrent immo illum ſolum, quem verum eſſe Deum divino beneficio perſuaſi erant, pie venerati, debitiſque honoribus, ac cultu ſtudioſe proſecuti ſunt, eique tantummodo placere perpetuo ſtuduerunt. Si namque quorundam impietas, nefariaque ſcelera cum vera Dei cognitione conjuncta juſtam occaſionem divinæ indignationis, promeritæque damnationi dederunt, quid eſt, quod aliorum pietas, & religio, cum officio copulata, Dei clementiam non provocaverit, illumque ad miſerendum allexerit? Quare, Kemnici, niſi nunc demum ad Manichæos velis deficere, confitearis neceſſe eſt cum Epiphanio, cui tantam ignominiam inuris, ſine lege Moſis, & Evangelica nobis per Jeſum Chriſtum data, ſola lege naturæ permultos fuiſſe Dei gratia juſtificatos, & ſalvos, cum præſertim ipſe id probet Abelis, Enochi, Jobi, aliorumque ſanctiſſimorum Patriarcharum exemplis, qui plurimis, atque ampliſſimis fuerunt divinæ liberalitatis muneribus aucti, divinæque cognitionis luminibus illuſtrati. Neque dubito quin multos ex Philoſophis in horum numerum aggregare potuiſſet, qui nunquam curaverunt genua ſua ante Baal, quod tamen faciunt Juſtinus, & Clemens, quos, ut videas quam immerito calumnieris, paulo magis adverte illorum mentem, diligentiuſque introſpice.

Qui Juſtini (a) priorem Apologiam conſiderate legerit, ſatis perſpiciet, minime quidem exiſtimaviſſe, Chriſtum Jeſum verum hominem humani generis redemptorem, admirabilemque illam divinæ humanæque naturæ arctiſſimam copulationem, ex quibus una, & eadem perſona, Chriſtus ſcilicet, evaſit, veteribus fuiſſe Philoſophis compertum, cum dixit, Socrati non fuiſſe Chriſtum prorſus incognitum, ſed divinam ſolum ipſius naturam ſpectaſſe, ob quam Chriſtus Dei verbum Deique ſapientia, per quam omnia facta ſunt, dicitur. Cum enim Dei ſapientiam, quæ in rerum procreatione, & adminiſtratione maxime ſplendeſcit, perſpectam Socrates habuiſſet, illiuſque eſſe humanam rationem, qua honeſtum a turpi, virtutem a vitio diſcernimus, quandam ſcintillam minime ignoraſſet, Chriſtum etiam, hoc eſt Dei λογον ac verbum cognoſcere quodammodo videbatur, qui vera eſt Dei ſapientia. Quare eodem in loco Juſtinus ait, Philoſophos ideo pugnantia ſæpe docuiſſe, neque exactam virtutis rationem comprehendiſſe: quia non integre mentem illam divinam, ſeu verbum Chriſtum perceperunt, eodem

(a) Juſtinus prima Apolog.

Qui ita argumentantur peccant, ut ajunt Dialectici, ignoratione Elenchi. Chriſtum poſt quadraginta ab orbe condito ſæcula ad nos veniſſe, id vacat controverſia: ſed doctrina Chriſtiana, atque fides in Chriſtum tam eſt antiqua, quam orbis. Nam quamquam revelatio evangelica & evolutior ſit, & copioſior, tamen non ita Dei beneficia hoc tempore coarctanda ſunt, ut per totam retro actam ætatem defuerint. Divina enim doctrina, qua homines ut cum virtute vivant, egent, primis profecto hominibus coæva fuit: nam Deus quum dupliciter ad homines loquatur *via naturæ, & via prophetiæ*, ab initio utroque modo ſeſe hominibus communicavit, nec ſemel, ſed ſæpe, nec

rum involucris deliteſcebant, ut non erant omnibus enodata, ita nec omnibus erant ad cognoſcendum neceſſaria. Quid igitur eſt, quod priſcis illis legis naturæ ſæculis & cum nondum ſeſe divina bonitas tam large, ac copioſe effuderat, non illam Dei notitiam fuiſſe etiam ad ſalutem ſatis arbitremur, ad quam aditus illis hominibus patere poterat? aut perſpecta illa habere, ac credere aſtringerentur, quæ neque Deo aperiente acceperant, neque ſtudio conſequi, neque labore comparare potuiſſent: impoſſibilia enim in obligationem cadere ferus ſolum, teter, humanitatiſque hoſtis quiſpiam poterit exiſtimare. Fuiſſe quidem Chriſti cognitionem omnibus ante ſæculis ad ſalutem neceſſariam, quamvis obſcuram, & involutam, fateor: ſed qui diligenter conſideraverit, quam late pateat Dei providentia, & quanta cum vigilantia provideat rebus humanis, ſatis intelliget, humani generis per Chriſtum redemptionem in divina procuratione implicate, & abſcondite contineri. Quare qui hanc Dei providentiam perſpectam habebant, & exploratam, ſimul ſane intelligebant, nihil Deum prætermiſſurum ut homines ſempiterna felicitate perfruerentur, atque ita non prorſus ignoraſſe Chriſtum Jeſum Crucifixum, dicendi ſunt, etſi rationem, quam Deus eſſet initurus humanæ ſalutis curandæ, compertam minime habuiſſent. Si igitur illa fides, & quam ille ſtatus, vitæque conditio ferre poterat, Dei cognitio ſatis erat ad ſalutem, profecto ſi cultum, ſi pietatem, ſi religionem adverſus Deum illi adjunxiſſent, atque quem ſummum eſſe bonum intelligebant, totis animi viribus dilexiſſent, ad illius virtutis præſtantiam, quam contemplatione admirabantur, imitatione quam maxime poſſent, accedere conarentur (quod uberrimum philoſophiæ fructum dixit Plato) leges, quas recta ratio præſcribit, quoad ejus fieri poſſet, conſervaſſent, ad illius normam omnes vitæ rationes inſtituiſſent, neque officia unquam deſeruiſſent, nihil eſt certe, quod juſtos illos fuiſſe dubitemus. Quod quidem mihi docere videtur D. Paulus (*a*). Si enim illos, ait, nullam excuſationem eſſe habituros, qui cum ex procreatis rebus abunde ſatis in Dei cognitionem divino beneficio deveniſſent, illuc tamen non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis; innuere ſane videtur, excuſationis illos plurimum habituros, qui quam de Deo, & de officio, animo perſuaſionem habuerunt, cultu, pietate, religione, morumque integritate, quoad ejus fieri

(a) Rom. c. 1.

nec uno modo, ſed pluribus; ut ſi homines attendere voluiſſent, nihil eis potuiſſet deeſſe, quo veram pietatis, & virtutis viam intelligerent. Ac demus hoc in loco non aliam hiſtoriæ Moſaicæ fidem, quam quæ ceteris antiquis hiſtoricis præſtatur, quam ei denegare non poſſumus ſine totius rationis everſione: quis ignorare poteſt, non Adamum modo, ſed & Cainum, atque Abelum, & Sethum, & Enochum, ac fortaſſis alios, quos præterit Moſes, in hac

ri potuit, expreſſerunt; atque adeo juſtitiam Dei, nequaquam in injuſtitia detinuerunt, ſed quæ juſta, & pia eſſe ducebant, juſte, & religioſe executi ſunt: vere item ſapientes illos habendos eſſe innuit, quorum cor non uſque adeo fuit obtenebratum, ut vero Deo, quem cognoſcebant, repudiato, immundiſſimis quibuſque animantibus divinos cultus, honoreſque deferrent immo illum ſolum, quem verum eſſe Deum divino beneficio perſuaſi erant, pie venerati, debitiſque honoribus, ac cultu ſtudioſe proſecuti ſunt, eique tantummodo placere perpetuo ſtuduerunt. Si namque quorundam impietas, nefariaque ſcelera cum vera Dei cognitione conjuncta juſtam occaſionem divinæ indignationis, promeritæque damnationi dederunt, quid eſt, quod aliorum pietas, & religio, cum officio copulata, Dei clementiam non provocaverit, illumque ad miſerendum allexerit? Quare, Kemnici, niſi nunc demum ad Manichæos velis deficere, confitearis neceſſe eſt cum Epiphanio, cui tantam ignominiam inuris, ſine lege Moſis, & Evangelica nobis per Jeſum Chriſtum data, ſola lege naturæ permultos fuiſſe Dei gratia juſtificatos, & ſalvos, cum præſertim ipſe id probet Abelis, Enochi, Jobi, aliorumque ſanctiſſimorum Patriarcharum exemplis, qui plurimis, atque ampliſſimis fuerunt divinæ liberalitatis muneribus aucti, divinæque cognitionis luminibus illuſtrati. Neque dubito quin multos ex Philoſophis in horum numerum aggregare potuiſſet, qui nunquam curaverunt genua ſua ante Baal, quod tamen faciunt Juſtinus, & Clemens, quos, ut videas quam immerito calumnieris, paulo magis adverte illorum mentem, diligentiuſque introſpice.

Qui Juſtini (a) priorem Apologiam conſiderate legerit, ſatis perſpiciet, minime quidem exiſtimaviſſe, Chriſtum Jeſum verum hominem humani generis redemptorem, admirabilemque illam divinæ humanæque naturæ arctiſſimam copulationem, ex quibus una, & eadem perſona, Chriſtus ſcilicet, evaſit, veteribus fuiſſe Philoſophis compertum, cum dixit, Socrati non fuiſſe Chriſtum prorſus incognitum, ſed divinam ſolum ipſius naturam ſpectaſſe, ob quam Chriſtus Dei verbum Deique ſapientia, per quam omnia facta ſunt, dicitur. Cum enim Dei ſapientiam, quæ in rerum procreatione, & adminiſtratione maxime ſplendeſcit, perſpectam Socrates habuiſſet, illiuſque eſſe humanam rationem, qua honeſtum a turpi, virtutem a vitio diſcernimus, quandam ſcintillam minime ignoraſſet, Chriſtum etiam, hoc eſt Dei λογον ac verbum cognoſcere quodammodo videbatur, qui vera eſt Dei ſapientia. Quare eodem in loco Juſtinus ait, Philoſophos ideo pugnantia ſæpe docuiſſe, neque exactam virtutis rationem comprehendiſſe: quia non integre mentem illam divinam, ſeu verbum Chriſtum perceperunt, eodem

(a) Juſtinus prima Apolog.

Qui ita argumentantur peccant, ut ajunt Dialectici, ignoratione Elenchi. Christum poſt quadraginta ab orbe condito ſæcula ad nos veniſſe, id vacat controverſia: ſed doctrina Christiana, atque fides in Christum tam eſt antiqua, quam orbis. Nam quamquam revelatio evangelica & evolutior ſit, & copioſior, tamen non ita Dei beneficia hoc tempore coarctanda ſunt, ut per totam retro actam ætatem defuerint. Divina enim doctrina, qua homines ut cum virtute vivant, egent, primis profecto hominibus coæva fuit: nam Deus quum dupliciter ad homines loquatur *via naturæ*, *& via prophetiæ*, ab initio utroque modo ſeſe hominibus communicavit, nec ſemel, ſed ſæpe, nec

rum involucris deliteſcebant, ut non erant omnibus enodata, ita nec omnibus erant ad cognoſcendum neceſſaria. Quid igitur eſt, quod priſcis illis legis naturæ ſæculis & cum nondum ſeſe divina bonitas tam large, ac copioſe effuderat, non illam Dei notitiam fuiſſe etiam ad ſalutem ſatis arbitremur, ad quam aditus illis hominibus patere poterat? aut perſpecta illa habere, ac credere aſtringerentur, quæ neque Deo aperiente acceperant, neque ſtudio conſequi, neque labore comparare potuiſſent: impoſſibilia enim in obligationem cadere ferus ſolum, teter, humanitatiſque hoſtis quiſpiam poterit exiſtimare. Fuiſſe quidem Christi cognitionem omnibus ante ſæculis ad ſalutem neceſſariam, quamvis obſcuram, & involutam, fateor: ſed qui diligenter conſideraverit, quam late pateat Dei providentia, & quanta cum vigilantia provideat rebus humanis, ſatis intelliget, humani generis per Chriſtum redemptionem in divina procuratione implicate, & abſcondite contineri. Quare qui hanc Dei providentiam perſpectam habebant, & exploratam, ſimul ſane intelligebant, nihil Deum prætermiſſurum ut homines ſempiterna felicitate perfruerentur, atque ita non prorſus ignoraſſe Chriſtum Jeſum Crucifixum, dicendi ſunt, etſi rationem, quam Deus eſſet initurus humanæ ſalutis curandæ, compertam minime habuiſſent. Si igitur illa fides, & quam ille ſtatus, vitæque conditio ferre poterat, Dei cognitio ſatis erat ad ſalutem, profecto ſi cultum, ſi pietatem, ſi religionem adverſus Deum illi adjunxiſſent, atque quem ſummum eſſe bonum intelligebant, totis animi viribus dilexiſſent, ad illius virtutis præſtantiam, quam contemplatione admirabantur, imitatione quam maxime poſſent, accedere conarentur (quod uberrimum philoſophiæ fructum dixit Plato) leges, quas recta ratio præſcribit, quoad ejus fieri poſſet, conſervaſſent, ad illius normam omnes vitæ rationes inſtituiſſent, neque officia unquam deſeruiſſent, nihil eſt certe, quod juſtos illos fuiſſe dubitemus. Quod quidem mihi docere videtur D. Paulus (*a*). Si enim illos, ait, nullam excuſationem eſſe habituros, qui cum ex procreatis rebus abunde ſatis in Dei cognitionem divino beneficio deveniſſent, illum tamen non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis; innuere ſane videtur, excuſationis illos plurimum habituros, qui quam de Deo, & de officio, animo perſuaſionem habuerunt, cultu, pietate, religione, morumque integritate, quoad ejus fieri

(a) Rom. c. 1.

nec uno modo, ſed pluribus; ut ſi homines attendere voluiſſent, nihil eis potuiſſet deeſſe, quo veram pietatis, & virtutis viam intelligerent. Ac demus hoc in loco non aliam hiſtoriæ Moſaicæ fidem, quam quæ ceteris antiquis hiſtoricis præſtatur, quam ei denegare non poſſumus ſine totius rationis everſione: quis ignorare poteſt, non Adamum modo, ſed & Cainum, atque Abelum, & Sethum, & Enochum, ac fortaſſis alios, quos præterit Moſes, in hac

---

ri potuit, expreſſerunt; atque adeo juſtitiam Dei, nequaquam in injuſtitia detinuerunt, ſed quæ juſta, & pia eſſe ducebant, juſte, & religioſe executi ſunt: vere item ſapientes illos habendos eſſe innuit, quorum cor non uſque adeo fuit obtenebratum, ut vero Deo, quem cognoſcebant, repudiato, immundiſſimis quibuſque animantibus divinos cultus, honoreſque deferrent immo illum ſolum, quem verum eſſe Deum divino beneficio perſuaſi erant, pie venerati, debitiſque honoribus, ac cultu ſtudioſe proſecuti ſunt, eique tantummodo placere perpetuo ſtuduerunt. Si namque quorundam impietas, nefariaque ſcelera cum vera Dei cognitione conjuncta juſtam occaſionem divinæ indignationis, promeritæque damnationi dederunt, quid eſt, quod aliorum pietas, & religio, cum officio copulata, Dei clementiam non provocaverit, illumque ad miſerendum allexerit? Quare, Kemnici, niſi nunc demum ad Manichæos velis deficere, confitearis neceſſe eſt cum Epiphanio, cui tantam ignominiam inuris, ſine lege Moſis, & Evangelica nobis per Jeſum Chriſtum data, ſola lege naturæ permultos fuiſſe Dei gratia juſtificatos, & ſalvos, cum præſertim ipſe id probet Abelis, Enochi, Jobi, aliorumque ſanctiſſimorum Patriarcharum exemplis, qui plurimis, atque ampliſſimis fuerunt divinæ liberalitatis muneribus aucti, divinæque cognitionis luminibus illuſtrati. Neque dubito quin multos ex Philoſophis in horum numerum aggregare potuiſſet, qui nunquam curaverunt genua ſua ante Baal, quod tamen faciunt Juſtinus, & Clemens, quos, ut videas quam immerito calumnieris, paulo magis adverte illorum mentem, diligentiuſque introſpice.

Qui Juſtini (a) priorem Apologiam conſiderate legerit, ſatis perſpiciet, minime quidem exiſtimaviſſe, Chriſtum Jeſum verum hominem humani generis redemptorem, admirabilemque illam divinæ humanæque naturæ arctiſſimam copulationem, ex quibus una, & eadem perſona, Chriſtus ſcilicet, evaſit, veteribus fuiſſe Philoſophis compertum, cum dixit, Socrati non fuiſſe Chriſtum prorſus incognitum, ſed divinam ſolum ipſius naturam ſpectaſſe, ob quam Chriſtus Dei verbum Deique ſapientia, per quam omnia facta ſunt, dicitur. Cum enim Dei ſapientiam, quæ in rerum procreatione, & adminiſtratione maxime ſplendeſcit, perſpectam Socrates habuiſſet, illiuſque eſſe humanam rationem, qua honeſtum a turpi, virtutem a vitio diſcernimus, quandam ſcintillam minime ignoraſſet, Chriſtum etiam, hoc eſt Dei λογον ac verbum cognoſcere quodammodo videbatur, qui vera eſt Dei ſapientia. Quare eodem in loco Juſtinus ait, Philoſophos ideo pugnantia ſæpe docuiſſe, neque exactam virtutis rationem comprehendiſſe: quia non integre mentem illam divinam, ſeu verbum Chriſtum perceperunt, eodem

(a) Juſtinus prima Apolog.

Qui ita argumentantur peccant, ut ajunt Dialectici, ignoratione Elenchi. Chriſtum poſt quadraginta ab orbe condito ſæcula ad nos veniſſe, id vacat controverſia: ſed doctrina Chriſtiana, atque fides in Chriſtum tam eſt antiqua, quam orbis. Nam quamquam revelatio evangelica & evolutior ſit, & copioſior, tamen non ita Dei beneficia hoc tempore coarctanda ſunt, ut per totam retro actam ætatem defuerint. Divina enim doctrina, qua homines ut cum virtute vivant, egent, primis profecto hominibus coæva fuit: nam Deus quum dupliciter ad homines loquatur *via naturæ*, & *via prophetiæ*, ab initio utroque modo ſeſe hominibus communicavit, nec ſemel, ſed ſæpe, nec

rum involucris deliteſcebant, ut non erant omnibus enodata, ita nec omnibus erant ad cognoſcendum neceſſaria. Quid igitur eſt, quod priſcis illis legis naturæ ſæculis & cum nondum ſeſe divina bonitas tam large, ac copioſe effuderat, non illam Dei notitiam fuiſſe etiam ad ſalutem ſatis arbitremur, ad quam aditus illis hominibus patere poterat? aut perſpecta illa habere, ac credere aſtringerentur, quæ neque Deo aperiente acceperant, neque ſtudio conſequi, neque labore comparare potuiſſent: impoſſibilia enim in obligationem cadere ferus ſolum, teter, humanitatiſque hoſtis quiſpiam poterit exiſtimare. Fuiſſe quidem Chriſti cognitionem omnibus ante ſæculis ad ſalutem neceſſariam, quamvis obſcuram, & involutam, fateor: ſed qui diligenter conſideraverit, quam late pateat Dei providentia, & quanta cum vigilantia provideat rebus humanis, ſatis intelliget, humani generis per Chriſtum redemptionem in divina procuratione implicate, & abſcondite contineri. Quare qui hanc Dei providentiam perſpectam habebant, & exploratam, ſimul ſane intelligebant, nihil Deum prætermiſſurum ut homines ſempiterna felicitate perfruerentur, atque ita non prorſus ignoraſſe Chriſtum Jeſum Crucifixum, dicendi ſunt, etſi rationem, quam Deus eſſet initurus humanæ ſalutis curandæ, compertam minime habuiſſent. Si igitur illa fides, & quam ille ſtatus, vitæque conditio ferre poterat, Dei cognitio ſatis erat ad ſalutem, profecto ſi cultum, ſi pietatem, ſi religionem adverſus Deum illi adjunxiſſent, atque quem ſummum eſſe bonum intelligebant, totis animi viribus dilexiſſent, ad illius virtutis præſtantiam, quam contemplatione admirabantur, imitatione quam maxime poſſent, accedere conarentur (quod uberrimum philoſophiæ fructum dixit Plato) leges, quas recta ratio præſcribit, quoad ejus fieri poſſet, conſervaſſent, ad illius normam omnes vitæ rationes inſtituiſſent, neque officia unquam deſeruiſſent, nihil eſt certe, quod juſtos illos fuiſſe dubitemus. Quod quidem mihi docere videtur D. Paulus (*a*). Si enim illos, ait, nullam excuſationem eſſe habituros, qui cum ex procreatis rebus abunde ſatis in Dei cognitionem divino beneficio deveniſſent, illum tamen non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis; innuere ſane videtur, excuſationis illos plurimum habituros, qui quam de Deo, & de officio, animo perſuaſionem habuerunt, cultu, pietate, religione, morumque integritate, quoad ejus fie-
ri

(a) Rom. c. 1.

nec uno modo, ſed pluribus; ut ſi homines attendere voluiſſent, nihil eis potuiſſet deeſſe, quo veram pietatis, & virtutis viam intelligerent. Ac demus hoc in loco non aliam hiſtoriæ Moſaicæ fidem, quam quæ ceteris antiquis hiſtoricis præſtatur, quam ei denegare non poſſumus ſine totius rationis everſione: quis ignorare poteſt, non Adamum modo, ſed & Cainum, atque Abelum, & Sethum, & Enochum, ac fortaſſis alios, quos præterit Moſes, in hac

ri potuit, expreſſerunt; atque adeo juſtitiam Dei, nequaquam in injuſtitia detinuerunt, ſed quæ juſta, & pia eſſe ducebant, juſte, & religioſe executi ſunt: vere item ſapientes illos habendos eſſe innuit, quorum cor non uſque adeo fuit obtenebratum, ut vero Deo, quem cognoſcebant, repudiato, immundiſſimis quibuſque animantibus divinos cultus, honoreſque deferrent immo illum ſolum, quem verum eſſe Deum divino beneficio perſuaſi erant, pie venerati, debitiſque honoribus, ac cultu ſtudioſe proſecuti ſunt, eique tantummodo placere perpetuo ſtuduerunt. Si namque quorundam impietas, nefariaque ſcelera cum vera Dei cognitione conjuncta juſtam occaſionem divinæ indignationis, promeritæque damnationi dederunt, quid eſt, quod aliorum pietas, & religio, cum officio copulata, Dei clementiam non provocaverit, illumque ad miſerendum allexerit? Quare, Kemnici, niſi nunc demum ad Manichæos velis deficere, confitearis neceſſe eſt cum Epiphanio, cui tantam ignominiam inuris, ſine lege Moſis, & Evangelica nobis per Jeſum Chriſtum data, ſola lege naturæ permultos fuiſſe Dei gratia juſtificatos, & ſalvos, cum præſertim ipſe id probet Abelis, Enochi, Jobi, aliorumque ſanctiſſimorum Patriarcharum exemplis, qui plurimis, atque ampliſſimis fuerunt divinæ liberalitatis muneribus aucti, divinæque cognitionis luminibus illuſtrati. Neque dubito quin multos ex Philoſophis in horum numerum aggregare potuiſſet, qui nunquam curaverunt genua ſua ante Baal, quod tamen faciunt Juſtinus, & Clemens, quos, ut videas quam immerito calumnieris, paulo magis adverte illorum mentem, diligentiuſque introſpice.

Qui Juſtini (a) priorem Apologiam conſiderate legerit, ſatis perſpiciet, minime quidem exiſtimaviſſe, Chriſtum Jeſum verum hominem humani generis redemptorem, admirabilemque illam divinæ humanæque naturæ arctiſſimam copulationem, ex quibus una, & eadem perſona, Chriſtus ſcilicet, evaſit, veteribus fuiſſe Philoſophis compertum, cum dixit, Socrati non fuiſſe Chriſtum prorſus incognitum, ſed divinam ſolum ipſius naturam ſpectaſſe, ob quam Chriſtus Dei verbum Deique ſapientia, per quam omnia facta ſunt, dicitur. Cum enim Dei ſapientiam, quæ in rerum procreatione, & adminiſtratione maxime ſplendeſcit, perſpectam Socrates habuiſſet, illiuſque eſſe humanam rationem, qua honeſtum a turpi, virtutem a vitio diſcernimus, quandam ſcintillam minime ignoraſſet, Chriſtum etiam, hoc eſt Dei λογον ac verbum cognoſcere quodammodo videbatur, qui vera eſt Dei ſapientia. Quare eodem in loco Juſtinus ait, Philoſophos ideo pugnantia ſæpe docuiſſe, neque exactam virtutis rationem comprehendiſſe: quia non integre mentem illam divinam, ſeu verbum Chriſtum perceperunt, eodem

(a) Juſtinus prima Apolog.

hac Dei ſchola edoctos fuiſſe? Quis in eadem inſtructos Noemum ac liberos, deinde Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, ac deinceps alios? Itaque non nationum modo parentes primi, ſed porro alii ſæpiſſime a Deo edocti fuere, ut ſi homines eam doctrinam ſervare voluiſſent, ac non affectus ſuos ſectari, habuiſſent procul dubio poſteri omnes illa omnia pietatis & virtutis præſidia, quæ Hebræi. Quærere autem, cur Deus non aliis nationibus ſimiliter fecerit, atque Hebræis, eſt nimis curioſe in arcana providentiæ Dei decreta inquirere. Conſtat hoc in loco, divinam revelationem ita hominibus factam, ut & ad omnes pertinuerit, &, ſi, ut dixi, in ea cuſtodienda diligentiores fuiſſent veteres Gentium parentes, omnes ejus participes eſſe potuerint. Quod ſi quis ite-

eodemque prorſus modo de Chriſto loquitur (a) in Apologia ad M. Antoninum Pium. Nam nequis exiſtimaret, omnes, qui Chriſti adventum ætate præcurrerunt, omni culpa caruiſſe, quippe quod diſciplinam a Chriſto accipere non potuerint, quæ ſola perfecta virtutis, juſtitiæque ornamenta tradit, ait, Chriſtum primogenitum Dei didicimus, eundem mentem eſſe demonſtravimus, cujus totum humanum genus eſt particeps, & qui cum ratione vixerunt Chriſtiani ſunt, etiam ſi non noviſſe Deum exiſtimati ſunt. Quales apud Græcos fuerunt Socrates, Heraclitus, aliique ſimiles; apud Barbaros Abraham, Ananias, Azarias, Miſael, Helias, & multi alii, quorum nomina, & res brevitatis cauſa nunc non percenſebimus itaque & etiam illi, qui ante Chriſtum natum ſine ratione vixerunt, ἀχρηστοι, & inimici Chriſto erant, & ſectatores rationis Chriſtiani, fortes, & imperterriti permanſerunt. Hæc Juſtinus. Quare non eos hic appellat Chriſtianos, qui, Chriſtum verum Deum, ac hominem cognoſcunt, ſed qui legem, quam Chriſtus docuit, & quam Dei verbum, ac ſapientia humanis animis ſimul cum natura infixit, ſtudioſe ſervant. Quæ, ſi impia ducis, Kemnici, etiam impium dicas neceſſe eſt, naturalem legem ab æterna illa & incommutabili lege profectam fuiſſe, atque per Chriſtum Dei verbum, & ſapientiam humanis eſſe mentibus impreſſam, atque conſignatam. Quare illos Chriſtianos appellat Juſtinus, qui hanc naturæ legem, quam Dei ſapientia ac verbum hominum animis conſignavit, ſtudioſe conſervarunt.

Clemens (b) vero Alexandrinus cum dixiſſet, philoſophia fuiſſe quoſdam juſtificatos, aperte mox docet: non quidem philoſophiam ipſam habuiſſe unquam vim ad juſtificandum, ſed ad juſtitiam comparandam fuiſſe Græcis olim neceſſariam, quia divinarum humanarumque rerum aſſidua illa contemplatio in veri Dei cognitionem ducebat, & in virtutum ſtudia acrius incitabat. Dei vero auxilium tanquam excellentiſſimum theſaurum, ait, reconditum fuiſſe, & illam conſenſionem, qua ad Dei cultum, & pietatem in Deum ducebantur. Quibus verbis ſatis declaravit vir ſanctiſſimus, non aliter accipiendum eſſe quod dixerat, philoſophiam ſcilicet juſtificare, quam divinum numen philoſophiæ miniſterio uſum fuiſſe, ut homines excellentiſſimæ illi diſciplinæ deditos, clariſſimis juſtitiæ ornamentis illuſtraret. Quod ipſum ſignificat, cum philoſophiam pæda-

(a) Juſtin. Apolog. ſecunda. (b) Clemens in Stromat.

iterum quærat, cur non prius evolutior hæc & copioſior Novi Teſtamenti revelatio facta fuerit, binis verbis cum Theodoreto reſpondeo: *Reprehendite, ſi poteſtis, Medicos, quod valentiora medicamenta poſtremo loco reſervent. Nam lenibus uſi antea, fortiora poſtmodum adhibent* (a). Præclare hæc diſſerit & S. Athanaſius in *l. de Incarnat.*: Ibi, *prolapſis in peſſima quæque mortalium ſtudiis, ac moribus, non defuiſſe Numinis providentiam*, ait, *quominus iis conſuleret, ac quibus par erat modis & rationibus ad ſalutaria & honeſta revocaret. Primum conditarum uſu rerum & aſpectu ad auctoris notitiam, ac cultum, & amorem allicere ſtuduiſſe; cæli, ſolis, ac reliquorum Siderum, terræ, maris, elementorumque omnium, ac corporum: quorum ex mirabili concentu, & in unam conſentiente varietate deprehendere ac noſſe poterant artificem Dei ſapientiam. Sed quum fruſtra hæc expertus eſſet, legem & Prophetas, vivos ſcilicet pro mutis præcones, doctoreſque ſubmiſiſſe. Quod quum nihilo felicius reſpondiſſet, tum demum filium Dei neceſſario deſcendiſſe.* Hæc latius ibidem Athanaſius. Locum eumdem egregie pertractat S. Joannes Chryſoſtomus in libro, quem ad eos ſcripſit, *qui ſcandalo erant affecti*: ubi divinam erga homines curam, ac ſolicitudinem, & innumera in eum beneficia pulcherrime deſcribit. Legendus & Theodorus Ancyranus in oratione natali Domini (b). Paullinus

(a) *Serm. 6. contra Græcos tom.* IV. (b) *Videatur & Petavius Theologicorum dogm. tom.* IV. *lib.* II. *cap.* 6. §. 7.

pædagogum ad Chriſtum, Moſaicæ legis inſtar appellat. Nam ſicut Moſaica lex præceptorum numero & multitudine, ſuppliciorumque terrore Iſraeliticum populum in officio continebat, & ad majora munera excellentioraque myſteria perinde præparat, ac ætatem teneram ad viri munera pædagogus præmunire, & præfulcire ſolet, ita philoſophiæ meditatio cum mentem Dei cognitione illuſtrat, pietate informat, virtutumque inſtitutis, & amore exornat, ad Evangelium quodammodo viam munit. Animus enim, qui vera Dei cognitione, virtutumque luminibus eſt illuſtratus, atque in divinarum rerum contemplatione ſatis verſatus, facilius quidem ad reliqua fidei myſteria adducetur. Eſt enim (inquit Clemens Alexandrinus) una via veritatis, ſed in eam tamquam in flumen perenne alia aliunde fluenta influunt. Quare vir idem eruditione (c), & ſanctitate egregius, non modo ex ſacris litteris, ſed ex philoſophiæ penetralibus argumenta ducit, ad Evangelicæ fidei veritatem confirmandam. Memineris autem, Kemnici, ne philoſophiæ nomine fallaris, longe multumque differre veram philoſophiam, de qua Clemens ſermonem facit, a falſa, & ſophiſtica, quam Sancti Patres ſemper rejecerunt, & aſpernati ſunt.

(c) In eodem Strom. lib.

nus Epiſcopus Nolanus in Panegyrico de Obitu Celſi idipſum cecinit verſibus his:

Multa mihi dederat prius & promiſſa ſalutis,
Et præcepta, quibus per bona dirigerer.
Sed quia nec legis poſito medicamine, primi
Inveterata patris vulnera dilueram:
Et neque præmiſſis divino ex ore Prophetis
Expectare Dei munera, credideram:
Et genus humanum paſſim ſine lege fidei
Deſperata ſalus merſerat in tenebras,
Regnabatque ſimul peccatum in corpore noſtro,
Mores in peccato, dæmon in interitu,
Captivumque hominem triſtis metus, & miſer error
Altius in mortem præcipitare dabant,
Interea Pater ipſe polo miſeratus ab alto
Errantum lapſus peſtiferos hominum,
Serpentemque truci dominantem in morte cadentum,
Non tulit, & natum miſit ad omne bonum.

Sed & veteres quidam Chriſtiani quo plane Dei adverſus homines benignitas conſtaret, in eam iverunt ſententiam, bonam veterum hominum partem, qui inferis locis coarctabantur, quum eo Chriſtus deſcendiſſet, iis vinculis fuiſſe exſolutos, atque cæleſtis beatitudinis factos participes. Chriſtum ad inferos deſcendiſſe fidei Chriſtianæ formula Chriſtianiſmi initiis par, docet. Sed & Petrus Apoſtolus iis, qui apud inferos erant, prædicaſſe aperte ſcribit (*a*). S. Auguſtinus eo quoque ſpectare verba Actorum II. 24. cenſuit (*b*). S. Thomas (*c*) & hoc Zachariæ IX. *tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſti vinctos de lacu* ad eamdem doctrinam pertinere arbitratur. Quem in locum Zachariæ vide Hieronymum. Omnes ne, qui apud inferos erant liberaverit, an eos tantum, qui crediderant, in dubio eſſe cenſuit Nazianzenus (*d*). Omnes ſecum inde abduxiſſe, ſeu *inferos ſpoliaſſe* ſine ulla tergiverſatione ſcribit Hilarius Diaconus *ad Epheſios* IV. *v.* 8. inter opera Ambroſii. Alios ejus inter veteres opinionis auctores recenſuit Auguſtinus Calmet. Recentiores Theologi

(a) *S. Pet. cap.* 3. *v.* 19. *vide textum Græcum.*
(b) *S. Aug. de Gen. ad lit. lib. XII. cap.* 33.
(c) *S. Th.* 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. *ad* 2.
(d) *Orat.* 42.

logi hoc ad eam inferorum partem pertinere ajunt, quem *Lymbum* vocant, qua pueri, ſimplices, integri vitæ ſceleriſque puri, quum ex Hebræis, tum ex Ethnicis comprehendebantur; quæ certe non exigua hominum pars eſt.

X. Octavum argumentum ex iis Novi Teſtamenti doctrinis depromunt Deiſtæ, quibus decreta quædam, eaque prima, rationis naturalis convelli opinantur. Sunt vero hujuſmodi Novi Teſtamenti doctrinæ præcipue tres, *Trinitas*, *Incarnatio divini Verbi*, *Peccatum originale*. Primo dogmate hoc naturale decretum, *quæ ſunt unum eidem, ſunt unum inter ſe*, oppugnari putant: altero plura rationis naturalis ſcita, quibus conſtat infinitam eſſe inter naturam Dei, & hominis diſtantiam: tertio hoc Philoſophorum omnium dogma, *qualitates non migrare de ſubjecto in ſubjectum ſine ſubjecto*. In quibus argutationibus refellendis paullo erimus longiores: niſi enim tota aberremus via & ratione, ea afferemus, quibus prolixitas compenſetur. Ita autem refellemus, ut principio demonſtraturi ſimus, eſſe illas ineptas: mox particulatim enucleaturi.

XI. Ac in primis ineptas voco, quod non de ſuis & propriis principiis conriverentur, quodque idcirco hoc unum concludere poſſint, mentem noſtram eſſe breviſſimam, ac eſſe plura quæ ejus captum excedunt. Omnium primum quatuor eſſe dico gradus humanæ cognitionis, I. Senſum, II. Phantaſiam, III. Rationem puram, IV. Fidem, ſeu aſſenſum ſuperiori rationi præſtitum. Primus, iſque, ut mihi quidem videtur, imperfectiſſimus gradus eſt ſenſus. Is enim non attingit niſi præſentia, & a quibus tangitur. Præterea non attingit niſi ſingularia, & corporea. Hoc primum omnium utuntur pueri. Alter gradus huic connexus, ſeu paullo latior, & provectior, eſt *imaginatio*, ſeu *phantaſia*: extenditur enim ad illa etiam quibus ſenſus minime tangitur. Sed & in hoc cum ſenſu convenit, quod nonniſi ſingularia & corporea imaginari poſſumus. Tertius eſt *pura ratio*, quæ longo intervallo a ſenſu, ac phantaſia diſtat, progrediturque longiſſime, & incorporea, ac univerſalia quoque complectitur. Quartus tandem eſt communicatio ſuperioris rationis, eaque pertendi in infinitum poteſt, per gradus, quorum alii aliis ſint altiores: nam & finita eſt mens humana, & infinita Dei ratio, quæ humanæ menti paullatim, & per gradus communicari poteſt. Perſpicua ſunt hæc, & certa.

XII. Deinde conſtituendum eſt, nec totam rerum natu-

ram a nobis comprehendi poſſe (1), & naturam Dei omnino eſſe incomprehenſibilem. Conſtat hoc inter nos ex una parte, & Collinum, Bælium, alioſque Deiſtas ex altera. Itaque neutrum longiori demonſtratione indiget. Sed ne repetere idem ſæpius cogamur, paucis id totum explicabo. Primum naturam ego rerum heic dico totam hanc rerum univerſitatem, quæ ſubſtantiis conſtat corporeis, atque incorporeis. Eam comprehendi a nobis non poſſe pronuncio: ſed omnes idem ultro fatentur. Poſita eſt autem in his ea incomprehenſibilitas. Primum genera ſubſtantiarum minima ſcimus; falſum enim eſſe arbitror nullas eſſe alias, præter quas ipſi, quaſi mundum emenſi, deſignare ſolemus. II. ignoramus ſubſtantiarum intimas eſſentias: inde tot ſuper iis Philoſophorum concertationes. III. non omnes ſubſtantiarum proprietates in numerato habemus. IV. naturam, & extenſionem virium activarum minime comprehendimus. V. Quæ ex his conſecutura ſunt in longius tempus, & omnia, quæ compoſſibilia cum illis ſunt. VI. Omnia, quæ minime incompoſſibilia. Ex quibus conſequitur manifeſto, ut plurima nobis vera a ſuperiori ratione communicari poſſint de iis, quæ in rerum univerſitate ſunt, quæ omnem noſtrum captum ſuperent. Tum communicari nobis poſſunt plurima compoſſibilia, quæ item captum noſtrum excedunt, aut videntur compoſſibilia.

XIII. Secundo, quod de rerum natura diximus, id potiori jure de Deo dicamus oportet. Plene ejus naturam, & eſſentiam nec comprehendunt, nec omnino unquam comprehendere poterunt mentes creatæ. Quum enim ſit ens *extenſive*, & *intenſive* infinitum, quamvis datam ampliſſimam, ſed finitam, capacitatem, infinito ſemper intervallo exſuperat. Itaque I. Non omnia Dei attributa intelligit humana ratio, quamvis purgatiſſima. II. Nec totam attributorum ejus extenſionem. III. Nec naturam & extenſionem interioris actionis, & neceſſariæ intellectionis, & volitionis. IV. Nec totam extenſionem potentiæ, aut actionum externarum, & liberarum. V. Nec omnia compoſſibilia cum his, aut incompoſſibilia. Ea interim omnia Deus ipſe comprehendit. Poſſunt ergo ſuper iis rebus infinita vera nobis a Deo communicari, quæ interea nos nul-

(1) *Facit huc Plinianum illud.* *Furor eſt menſuram ejus naturæ*) animo quoſdam agitaſſe, atque prodere auſos.... quaſi vero menſuram ullius rei poſſit agere, qui ſui neſciat. *Hiſt. Nat.* Lib. I. cap. 1.

nullo modo, aut ratione noſtra metiri, aut intelligere valeamus. Hæc ſi quis negat, is dicere quoque debet, univerſorum juſtam menſuram eſſe mentem humanam. Quod ſi quis dicit, cum eo diſputatio omnis erit interciſa.

XIV. Quibus conſtitutis ſubducamus nunc rationes accuratius, ac videamus, quænam cum ratione recta revera pugnent; quæ eſſe falſa neceſſe eſt, cum illa, quæ excedunt, non idcirco falſa dici poſſunt, quod excedant, ne perabſurdi eſſe velimus. Principio ajo, ea pronunciata contraria eſſe rationi naturali, ac propterea falſa, quæ poſita in uno gradu cognitionis, ſuis clare perceptis manifeſto adverſari intelliguntur; ut quum pronunciantur de ſenſu, vel phantaſia, quæ clare perceptis ſenſus & phantaſiæ manifeſto adverſantur; aut quum pronunciantur de penu rationis, quæ clare perceptis a ratione contraria ſunt; aut de ratione ſuperiori, ſeu auctoritate divina, quæ manifeſtæ auctoritati divinæ repugnant. Ita ſi quis pronunciet non eſſe corpora, aut non eſſe ſolida, aut non eſſe lucida, idque veluti ex ſenſuum experimentis, is contraria rationi pronunciat. Item ſi quis proferat velut ex ratione *tres trianguli angulos æquales eſſe tribus rectis*, aut, *idem ſimul eſſe & non eſſe*, is falſa profert. Præterea ſi quis aſſerat velut de auctoritate divina, *futuram non eſſe reſurrectionem corporum*, quod manifeſtæ auctoritati divinæ eſt oppoſitum, id falſum eſt. Hujus primæ propoſitionis ratio eſt, quia ut claræ ſenſuum perceptiones in rebus ſenſibilibus ceteris præferuntur; ita claræ rationes in intelligibilibus; & claræ auctoritates divinæ in iis, quæ non aſſequimur facultatibus noſtris, veri criteria ſunt.

XV. Deinde ajo, ea pronunciata, quæ de inferiori gradu cognitionis adverſus claras teſtificationes gradus ſuperioris depromuntur, quantumvis videantur manifeſta, eſſe rationi contraria, & falſa, ſtandumque in iis eſſe ſuperioris gradus evidentiæ, non inferioris. Enim vero tota ratio dictat meliori & perfectiori rationi credendum, quam imperfectiori. Itaque ſi quis geometricam demonſtrationem perceptis ſenſuum, vel phantaſiæ oppugnat, is plane eſt abſurdus. Si in eadem baſi intra eaſdem parallelas duo parallelogramma conſtituantur, alterumque in infinitum per totam æternitatem protrahatur, dum alterum uno digito comprehenditur, ſemper eſſe æqualia demonſtratur a Geometris, reluctante phantaſia. Curvam ad ſuam aſymtoton

per totam æternitatem accedere, quin ſeſe contingere poſſint, eſt perſpicuum: quamvis datam lineam in infinitum dividi poſſe, nemo, niſi ſtupidus dubitat: extitiſſe ab æterno ens aliquod, nec æternitatem ſine ullo initio nos præcedere, apertiſſimum eſt. His omnibus reluctatur phantaſia, gradus ſcilicet cognitionis ratione pura inferior: nec interim auditur: ſuperiora illa non attingit: fallitur: de ratione pura nemo unus ſubdubitat. Idipſum dici neceſſe eſt, ſi de ratione pura oppugnantur ea, ad quæ pura ratio progredi nequit, qualia ſunt quæ nobis communicantur a Deo, aut de rerum naturà, aut de natura ſua rationi noſtræ incomprehenſibilia. Ridet Geometra puerum, qui quod phantaſia intelligere theorema nequit, illud falſum eſſe inclamat. Ridet Metaphyſicus idiotam, qui quod ſubſtantias incorporeas tangere nequit, nullas eſſe contendit. Diſtantia major eſt inter rationem hominum purgatiſſimam, & Dei rationem, quam inter ſenſum, & intelligentiam. Ergo is quoque ridiculus eſt, qui humana ratione divinæ rationis theoremata oppugnat.

XVI. Ajo tertio, recte oppugnari theoremata inferioris gradus cognitionis, quantumvis videantur clara, de clara ſuperiori ratione, veluti puræ humanæ rationis de divina, quæ ſit certa: ſenſuum, & phantaſiæ, de ratione. Nam quum videntur ſibi adverſari, par eſt, inferior ſuperiori concedat: id recta dictat ratio, atque id in philoſophicis agimus. Remum rectum aqua ex parte merſum curvum diſtincte & conſtanter intuemur omnes: ſolem omnes pedalis magnitudinis: objecta corporea omnia extra nos videre, perpetuum oculorum præjudicium eſt. Quum interim aperte demonſtrationes Opticæ, & Aſtronomicæ adverſentur, reperias neminem, qui non in his falli ſenſus intelligat. Scilicet potior omnibus eſt intelligentia pura, quam ſenſuum, & phantaſiæ fides. Itaque tunc ſenſibus aſſentimur, eoſque ſectamur duces, quum ſuperior ratio non reluctatur. Quoniam vero conſtat inter omnes, & Deum eſſe, & Dei rationem eſſe infinitam, eamque homini communicari poſſe, ſi quæ ſint theoremata ſenſuum, phantaſiæ, aut rationis, quibus Dei auctoritas clara refragatur, nemo eſſe poteſt, qui non Dei rationi potius auſcultandum eſſe fateatur, quam humanæ; id autem dico, non quod theorematis puræ intelligentiæ ulla eſſe divinitus revelata contraria putem, ſed ut intelligant omnes,

quam

quam momenti nullius ſit ratio humana, ſi, quod ex hypotheſi ponimus ea divinæ videatur contraria.

XVII. His, quæ hunc in modum demonſtrata ſunt, omnia argumenta, quæ Deiſtæ ex ratione humanâ adverſus dogmata revelata produxere, aut producere poſſunt, ita refelluntur, ut ipſa humana ratio unicuique dictare comprehendatur, non poſſe illa eſſe, niſi ſophiſmata. Sed nunc particulatim quoque iis eſt reſpondendum. Tres divinæ Perſonæ una ſunt numero ſubſtantia divina. Ea eſt & Scripturarum, & Traditionis, & Catholicæ Eccleſiæ doctrina. Id ergo de ſuperiori conſtat ratione; ejus videlicet generis, adverſus quam nihil juris ratio humana habet, quemadmodum nihil juris ineſt ſenſibus ad ea, quæ puræ ſunt rationis. Audienda ergo non eſt humana ratio. Idipſum dictum volo de tribus aliis recenſitis in eo §. myſteriis. Sed *quæ ſunt unum cum eodem, unum ſunt inter ſe*: omnium hominum eſt axioma. Non refragor. Id rogo, ex quibus ideis id natum axioma? Aut ideæ, quibus continetur, ex quibus tandem rebus hauſtæ, naturæ, an Dei? Naturæ profecto. Teſtem de Deiſtis Lockium, quem hominem ſcio quanti faciunt (*a*). Non ergo majorem extenſionem habere poteſt, quam rerum naturam. Nam ex ſingularibus rerum noſtrarum ideis proficiſcuntur axiomata; & paullatim ut humana mens capacior, ita ea univerſaliora efficiuntur, intra rerum tamen naturæ ambitum, unde naſcuntur. Naturam itaque Dei non attingit. Ergo inde nec pro, nec contra argumentum duci poteſt. Quo modo ex rationibus rerum corporearum, quas deferunt ſenſus, utcumque univerſalibus, ſed numquam attingentibus incorporea, pro, aut contra intelligibilia argumentari non licet. Itaque eos probare nullo modo poſſum, qui ratione humana, aut demonſtrare conantur, aut in modum rerum noſtrarum nimis ſtudioſe explicare fidei myſteria. Appoſite & præclare B. Thomas (*b*). *Qui probare*, inquit, *nititur Trinitatem Perſonarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primo quidem quantum ad dignitatem ipſius fidei, quæ eſt, ut ſit de rebus inviſibilibus, quæ rationem humanam excedunt... Secundum quantum ad utilitatem tradendi alios ad fidem. Quum enim aliquis ad pro-*

(a) *Lib. I. de Intell. human. & II.*
(b) *I. p. q. 23. art. 1. in Corp.*

probandam fidem inducit rationes, quæ non ſunt cogentes, cedit in irriſionem infidelium: credunt enim quod hujuſmodi rationibus innitatur, & propterea credamus. Quæ igitur fidei ſunt, non ſunt tentanda probare niſi per auctoritates his qui auctoritates ſuſcipiunt. Apud alios vero ſufficit defendere non eſſe impoſſibile, quod prædicat fides. (*a*) Ac vero non eſſe impoſſibilem Perſonarum Trinitatem in eadem numerica ſubſtantia duo demonſtrant: Primo quod intrinſecæ emanationes Filii a Patre, & Spiritus Sancti a Patre, & Filio, etſi minime nobis intelligibiles, tamen cum eadem ſubſtantia numerica, individua, ac immutabili, conſiſtere poſſint, cui coexſiſtunt neceſſario. Vide D. Thom. (*b*). II. quod tres Perſonæ, ideſt *unius eſſentiæ tres relationes ſubſiſtentes*, ut loquitur B. Thomas, minime pugnent cum natura Dei, ut pluribus idem S. Doctor iſto poſtremo loco probat: neque enim *tria individua* ad modum rerum noſtrarum concipienda ſunt, ſed *tres perſonæ* longe ab ea notione, qua inter nos perſonas dicimus, ſeparatæ, atque omnem humanum ſenſum ſuperantes. Breviter; Ea Trinitas, quam ratio naturæ oppugnat non eſt Chriſtianorum Trinitas: illam enim ratione metimur, hæc omnibus humanis mentibus eſt incomprehenſibilis.

XVIII. Super Incarnationem porro ineptiſſime, ut olim Celſus, ita nunc ratiocinantur Deiſtæ. Ita enim eam doctrinam accipiunt, quaſi divinitas tranſmutata ſit in humanitatem, in quo neſcio ſtupiditatem ne prius, an malitiam redarguam (*c*). Catholica doctrina eſt, quam paucis ſymbolum Athanaſianum complexus eſt: *Deus ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: & Homo ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus. Perfectus Deus, perfectus Homo .... unus Chriſtus, non converſione Divinitatis in carnem, ſed aſſumtione humanitatis in Deum. Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate Perſonæ.* Quocirca inter ſe duæ convenere naturæ, ut poſt unionem duæ nihilominus perſeveraverint, ſalvis ſuis proprietatibus, invicem diſtinctæ. *Tenet enim*, inquit Sanctus Leo Papa (*a*), *ſi-*

(a) Conſule & Sylvanum Regis *Uſage de la raiſon, & de la Foi lib.* III.

(b) I. *p. q.* 38. *art.* 1. *& Boſſuetium in Admon.* 6. *adverſus Jurieum.* (c) *Vide* Orig. *l.* II. *contr. Celſ.*

a), *ſine defectu proprietatem ſuam utraque natura*. Itaque non æternum, increatum, immenſum, & immutabile converſum in hominem, uti Deiſtæ ineptiunt; ſed æternum, immenſum, immutabile, hominem (nam ita veteres loquuntur Patres) aſſumpſit, & cum eo junctum eſt, *ſalva proprietate utriuſque Naturæ*, ut ejuſdem Sancti Leonis verbis utar (*b*). *Unio illas ambas ſine ulla confuſione naturas conſervat*, ait Cyrillus. Origenes contra Celſum, qui idem hoc argumentum objiciebat Chriſtianis, exemplo apud Gentiles uſu recepto Apollinis, & Vatis, reſpondit; ut quomodo Apollo vati jungitur, quin quidquam de natura ſua immutet, ita, licet arctiori unione, quæ dicitur *hypoſtatica*, divinum Verbum cum homine conjunctum eſt. Ac eſt aliquid in hoc exemplo, quo intelligebant Ethnici eam unionem ſuis notionibus non adverſari; ſed, quod in ceteris ſimilitudinibus contingit, non in omnibus ſui partibus perfectum eſt. Athanaſiani Symboli Auctor hominis utitur exemplo: *nam ſicut*, inquit, *anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*. Ac propterea, ut non pugnat cum natura rerum, mentem corpori uniri, ita nihil prohibet Deum peculiari modo uniri cum homine, cum ceteris rebus omnibus ſuo modo uniatur. Præterea uti ex mente humana, & corpore non duæ conſtituuntur perſonæ, quamvis ſint illæ duæ ſubſtantiæ diverſi generis: ita ex Verbo, mente humana, & corpore, tribus ſcilicet ſubſtantiis, unus Chriſtus, una Perſona, efficitur: qua voce ſignificatur modus ſubſiſtendi, quo tres illæ ſubſtantiæ ſunt in uno ſingulari: *Nomina*, inquit, B. Thomas (*c*), *generum, & ſpecierum, ut homo, vel animal, ſunt impoſita ad ſignificandum ipſas naturas communes... ſed individuum vagum, ut aliquis homo, ſignificat naturam communem, cum determinato modo exſiſtendi, qui competit ſingularibus: ſed in nomine ſingularis deſignati ſignificatur determinatum diſtinguens... Hoc autem nomen* perſona, *non eſt impoſitum ad ſignificandum individuum ex parte naturæ, ſed ad ſignificandam rem ſubſiſtentem in tali natura. Perſona igitur* (*d*) *in quacumque natura ſignificat id, quod eſt diſtinctum in natura illa. Sicut in*

(a) *Serm.* I. *de Nativ.*
(b) *Epiſt.* 10. *cap.* III.
(c) I. *p. q.* 30. 3. *in Corp.*
(d) *Id. q.* 29. *art.* 4. *in Corp.*

in humana natura ſignificat has carnes, & hanc animam, quæ ſunt principia individuantia hominem (*a*). Ita argutationes Bælii articulo *Pyrrho* evaneſcunt.

XIX. Quid intererat, reponunt (*b*), Deum optimum, maximum cum homine jungi, naſci, ceterorum mortalium animantium inſtar adoleſcere, omnibus humanæ naturæ malis fieri ſubjectum, hoſtes infenſiſſimos habere eos ipſos, inter quos natus erat, nec poſſe eo adducere, quo volebat: quin ita ab iis vexari, omnibuſque modis excruciari, ut poſtremo cum latronibus velut impoſtor atque publicæ tranquillitatis perturbator crucifigeretur? Homines, dicitis, ſervatum venit: venit eos liberatum ex diaboli ſervitute: pietatem & juſtitiam in animis humanis informatum. Sed principio, ajunt, quid opus erat, ut ea fierent, ut Dei majeſtas ad hæc ſe demitteret? Nam quum is ſit animorum humanorum ſupremus moderator, ſat erat voluiſſe, ut omnes pii & juſti evaderent. Deinde ne id quidem, quod maxime concupiverat, adeptus videtur: eſt enim tam hodie late patens diaboli regnum, quam fuerit unquam; etiam inter eos, qui Chriſto nomen dedere (*c*). Hoc igitur dogma pluribus modis cum ratione pugnat.

XX. Duas habet hoc argumentum partes, quarum utraque neceſſitatem incarnationis adgreditur. *Potuit Deus alia ratione tanto numine digniori humanum genus ſervare*. Hæc prima eſt. *Sed ne incarnatione & morte ſua quidem ſervavit*; quæ eſt altera. Hanc poſteriorem partem ſcelerato (nam quo alio vocabulo dicam?) conſilio longe exornavit Bælius, ut annalibus belli inter Deum & diabolum materiem ſuppeditare voluiſſe videatur, ſupraque Dei majeſtatem diaboli regnum extollere. Nos ſuperius nervos omnes hujus argutationis pluribus in locis fregimus. Nam ſatis ex iis, quæ natura fiunt, perſpicuum eſſe arbitror, Deum non ita ſua potentia uti in hujus mundi procuratione, ut nihil ſemel poſitis legibus relinquat, ſed tantum potentiæ adhibere, quantum rerum naturæ & ordines poſcunt. Quum autem ea ſit hominum natura, ut ratione, voluntate, libertate

(a) *Vid. & Petav. de Trinit. lib.* IV. *cap.* 7. *& de Incarn. lib.* II. *cap.* 3.

(b) *Apud Orig. lib. II.* Examen de la Religion, *Voltaire, aliique recentes Deiſtæ*.

(c) *Bayle Art.* Mohammed, *Xenophanes*, *& al.*

tare duci amet, atque ita ut doceretur, Deus ſtatuerit; hac via & ratione regenda erat, ne eum ſuæ ſapientiæ pœniteret. Aperiendus ei erat aditus ad beatitudinem, qui primo hominum crimine occluſus erat: erant vires præſtandæ, quibus progredi longius poſſet: veteris criminis pœnæ dandæ; ac redemtionis pretium ſolvendum: ſed nihil vi agendum erat, nec evertendæ rerum naturæ. Hæc omnia quum Jeſus præſtitiſſet (ea eſt enim chriſtiana doctrina) regnum diaboli, quoad in ipſo poſitum erat, fierique ſapientiæ divinæ leges ſinebant, deſtruxit, nec, quominus homines in plenam libertatem vindicentur, aliud ſupereſt, niſi ut velimus. Neque vero ii, qui nihil morte ſua Chriſtum effeciſſe ſcribunt, a calumnia liberari poſſunt. Enim vero quantum & ſapientiæ ac vitæ ſanctitatis chriſtiana religio induxerit, & vitiorum naturæ humanæ infeſtorum avulſerit, ſatis, opinor, ex iis patet, quæ ſæpe a nobis adverſus ethnicam fœditatem diſputata ſunt, Præterea non id tantum ſpectandum, quod fecit, ſed eo quoque vertendus eſt animus, quid efficere ſit idonea Chriſti doctrina, ſi patientes ei aures præbeamus, quando ea lege nobis promulgata eſt, ut naturæ noſtræ ſit conſentanea. Qui autem chriſtianæ legis animam mentemque probe introſpexerit, eaque penſitaverit, quæ primis chriſtianiſmi ſæculis contigerunt, quum una eſſet mens, unaque in omnibus Chriſtianis anima, is nullo pacto dubitare poteſt, quantæ ſit ea virtutis ad pietatem & juſtitiam in animis humanis informandam. Ecquis enim ceterorum quantumvis ſapientum legiſlatorum id legibus ſuis, non dicam obtinuit, ſed ſperare auſus eſt? Quod quum Chriſti lex non promiſerit ſolum, ſed præſtiterit, facile intelligere poſſumus, e cælo totam eſſe ejus vim & poteſtatem. Quum itaque ea ſit divinæ providentiæ œconomia, ut nolit invitos ad pietatem, juſtitiam, humanitatem adigere, ſed cupidos efficere, & volentes adducere; qui ſequi detrectant, ipſi per ſe ab eo rebellant. In quo quid eſt quod diabolus adverſus Deum triumphare dicatur? Non enim cum Deo belligerat, ſed cum homine: nec de homine triumphat niſi hominis ipſius auxiliaribus copiis, Quid ſi dicam, ne triumphat quidem de homine? Ac vero æquius eſt, ut dicamus hominem ipſum videntem ac prudentem ſe tranſverſum agere, quam ut a diabolo vincatur; qui *allicere quidem poteſt*, ut Hieronymus alicubi ait, *ſed cogere nequit*.

XXI. Illa moleſtior videtur quæſtio, in qua ne noſtri quidem ſatis inter ſe conveniunt, ecquid neceſſe erat, hominem Deum fieri, quo homines ſeverentur? Conſtat enim inter omnes pluribus id modis per Dei omnipotentiam fieri potuiſſe: qua ex re fit, ut incarnatio non fuerit præciſe, &, ut ajunt, abſolute neceſſaria (*a*). Quum hæc quæſtio longe lateque a veteribus diſputata ſit (*b*), nihil ego eorum ratiociniis addendum arbitror. Non defuiſſe Deo alia hominem liberandi conſilia, nemo eſt tam in Theologia peregrinus, qui ignoret: ſed ceteris hoc prætuliſſe ea ratione factum exiſtimant plerique omnes, quod *ſanandæ miſeriæ noſtræ convenientior alius modus non fuerit*, ut ait Auguſtinus (*c*). Cur autem nullus alius fuerit convenientior, Sanctus quidem Thomas pluribus ex cauſis demonſtrat loco ſuperius laudato: ſed illa in primis & vetuſtis Patribus, & Theologis recentioribus uſurpata eſt, quod aliter plene offenſo numini ſatisfieri, & illata huic injuria ſarciri nequiverit. Nulla enim creatura tam excellens eſſe poteſt, cujus meritum ac dignitas adæquari cum injuriæ, quæ peccato Deo facta fuerat, gravitate & infinitate potuit (*d*).

XXII. Sed fuere, qui præter eam, quam diximus, ampliorem aliam rationem neceſſitatis incarnationis protulerunt, quæ videlicet non hominem ſolum complectatur, ſed totam rerum naturam, quacumque patet, cujus eſt Chriſtus primum ac præcipuum decus & ornamentum. Ajunt igitur in æternis Dei fuiſſe conſiliis, ut rerum iſthæc natura, primum quidem quæ mentes comprehendit, tum quæ res ceteras, plenum decus atque ornamentum in Chriſto acciperet. Ita aliquoties ratiocinatur Origenes contra Celſum. Quum Paullus in epiſtola ad Epheſios (*e*) dixiſſet, Chriſtum veniſſe *inſtaurare omnia, quæ in cælis & in terra ſunt*, veteres Theologi perdiligenter quum in vim verbi ἀνακεφαλαιώσασθαι, tum in ſententiam inquiſivere. Tertullianus (*f*) vertit *recapitulare omnia in Chriſtum, quæ in cælis, quæ in terris, ut oſtenderet* (quemadmodum alibi loquitur (*g*) *in ſe eſſe & initii*

(a) *S. Th.* 3. *p. q.* 1. *art.* 2. *in corp.*
(b) *Vide Petav. de Incarn. lib.* II.
(c) *Lib.* XIII. *de Trinit. cap.* X.
(d) *Vide Petavium loco cit. cap.* XIII.
(e) *Cap.* I. *v.* 9. (f) *Lib.* V. *contra Marc. cap.* 17.
(g) *De Monogamia cap.* 5.

initii decurſum ad finem, & finis recurſum ad initium. Hieronymus commentario in eam epiſtolam ſcribit: *Itaque univerſa myſteria, & omnis diſpenſatio vetuſtatis, non ſolum quæ in terris, ſed etiam quæ in cælis geſta eſt, in Chriſti paſſione completur. Quæ autem in cælis geſta dicuntur, horum hiſtoria nobis occulta eſt*, Poſtrema hæc Hieronymi verba ad Origenianum neſcio quid de προὔπαρξει, ideſt *præexſiſtentia* animarum alludere Petavio videntur (*a*). Scilicet quum Origenes juſto æquius platonizaret, eo lapſus videtur, ut animas humanas exiſtimaret cum Platone diu ante humana corpora conditas fuiſſe, atque in aſtris ſitas: indeque delabi in tellurem, quo admiſſorum ibi criminum pœnas dent. Ea igitur ſpectaſſe Hieronymum conjicit vir doctus. Qui aſtra habitari opinantur, ad eorum quoque incolas incarnationem pertinere ſtatuunt, eoque alluſiſſe Hieronymum putant. Sunt hæ fabellæ. Illud igitur potius crediderim, Hieronymum angelos ſpectaſſe, non animas planetas incolentes: nam dogma eſt Patrum conſtans & perpetuum, Chriſtum non hominum modo principatum adeptum fuiſſe, ſed angelorum quoque.

XXIII. Tandem minus quoque moleſtiæ eſt in originali peccato cum ratione conciliando, ſi quid ſit peccatum originale intelligamus; nam illa objectio inde tota proficiſcitur, quod Deiſtæ id dogma non rite recteque capiunt. Antequam Adam peccaret, gratia ſanctificante & juſtitia originali præditus erat. Id Scripturæ divinæ aperte docent. *Quoniam autem unumquodque habet ſpeciem a ſua forma*, inquit præclare B. Thomas (*b*), *oportet, ut formale peccati originalis in ea forma ſit poſitum, quæ juſtitiæ originali eſt oppoſita. Jam tota ordinatio juſtitiæ originalis in eo erat conſtituta, quod volutas hominis erat Deo ſubjecta, quæ quidem ſubjectio primo & principaliter erat per voluntatem: cujus eſt movere omnes alias partes in finem: unde ex averſione voluntatis a Deo conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus; ſic ergo privatio originalis juſtitiæ, per quam voluntas ſuddebatur Deo, eſt formale in peccato originali: Omnis alia autem inordinatio virium animæ ſe habet in peccato originali, ſicut quiddam materiale*. Eodem ferme modo ratiocinantur alii Theologi, Bonaventura, Scotus,

(a) *Loco laudato*.
(b) 1. 2. *q*. 82. *art*. III. *in Corp*.

tus, Durandus, Gabriel, Eſtius (a) Quoniam igitur peccatum hoc non eſt poſitum in aliqua reali entitate, ſed in privatione, tota illa objectio evaneſcit; non enim difficilius intelligitur ex Adamo orbato juſtitia originali naſci homines juſtitia originali orbatos, quam ex illitterato naſci illitteratum, ex oleaſtro oleaſtrum, ut loquitur ſæpe Auguſtinus. Non ignoro Auguſtino ipſi, quo nemo diutius in hæc inquiſivit, difficilem ſemper rem viſam eſſe propagationem peccati originalis, uti conſtat ex Epiſt. ad Hieronymum 29. vet. edit. & lib. I. de Moribus Eccleſ. cap. XXII. Sed quoniam poſita doctrina & communis eſt inter Catholicos, & clara, non video qui pugnet cum ratione eo modo propagari in poſteros Adæ peccatum. Nam qua ratione totum id cum Dei bonitate conſentiat, ea alia quæſtio eſt; qua de re alibi.

CAP. XIV.

Librorum veteris Teſtamenti divinitas demonſtratur ex novo.

QUI chriſtianæ doctrinæ bellum indixere & hoc in illam vibrare telum ſolent, non eſſe eam, niſi Judaiſmi ſurculum, ut eodem loco utraque, chriſtiana videlicet & Judaica lex haberi debeat. Enimvero quod *novum* dicitur *Teſtamentum* Veteri innititur, cujus eſt aut complementum, aut explicatio, aut emendatio. Ita fit ut nequeat unum labaſcere quin & alterum labefactetur. Ajunt autem vetus illud Teſtamentum nihil eſſe aliud, niſi barbaræ nationis, &, ut ait Tacitus, *Diis atque hominibus inviſa*, leges & inſtituta, quæ nihil aliud ſummæ divinitatis præſeferant, niſi quod aut horrida gentis phantaſia ſibi perſuaſit, aut callidi docuerunt legislatores. Hæc Celſus, hæc Julianus jactabant; hæc recentes Deiſtæ crebro in nos jaciunt. Itaque quo integram Chriſtianæ pietatis defenſionem habeant lectores noſtri, eſt hæc calumnia amovenda, atque veteris Teſtamenti divinitas demonſtranda. Ad quam rem ita adgrediemur, ut primum id ex ſuperioribus propoſitionibus evincamus: deinde ex eorum libro-

(a) *In 3. Lombardi librum diſt. 3. Vide & Sot. de nat. & grat. cap. 7. 8. 9.*

librorum prophetiis: mox legem & doctrinam veteris fœderis tueamur: poſtremo adverſariorum argutiolas diluamus. Sed Deo primum ſupplicemus, ut cujus numine totam hanc rem exorſi ſumus, eodem ad exitum perducamus.

Prop. XLIX. Novum Teſtamentum demonſtrat veteris Teſtamenti divinitatem.

I. In aſſerenda veritate, & divinitate librorum Veteris Teſtamenti, facilitatem nobis faciunt maximam, quæ in ſuperioribus prop. de libris Evangelicis demonſtravimus. Sane quoniam libri Evangelici, genuini ſunt, veraces, & divini; & libri veteris fœderis pro divinis habentur in his Evangelicis; conſequitur, & libros veteris fœderis veraces eſſe, atque divinos. Quod autem vetuſti illi libri veraces & divini habeantur in Novo Teſtamento, ex eo eſt perſpicuum, quod in hoc citantur, & commendantur aut in confirmationem, aut in conteſtationem eorum, quæ Chriſtus, & Apoſtoli docent. Citantur quoque ut prophetici, ideſt tanquam a Deo inſpirati. Abſurdum autem eſt divinos Novi Teſtamenti Scriptores libros Veteris Teſtamenti appellare in ſuis pronunciatis, illoſque habere ut propheticos, niſi illi vere ſint divini. Quum tota hujus argumentationis vis in aſſumptione ſit poſita, accurate eam demonſtrabimus.

II. Moyſis legem, ideſt Pentateuchum, ex uſu Hebraico, paſſim citant Evangeliſtæ, & Apoſtoli ut librum genuinum, & propheticum, ſpeciatim Joannes *cap.* 1. *verſ.* 45. & *cap.* 5. 46. Geneſis laudatur *Matth.* 19. 4. & 6. *Et ad Roman.* 4. 3. Exodus *Matthæi* 5. 21. & 22. *Joann.* 5. 31. *ad Roman.* 9. 7. Numeri *Joan.* 19. 39. 1. *ad Corinth.* 10. Leviticus *Matth.* 8. 4. & 13. 5. Deuteronomium *Matth.* 44. & paſſim: *Joan.* 8. 17. *Ad Rom.* 11. 13. Liber Pſalmorum *Matth.* 4. 6. *Joan.* 22. 17. Iſaias paſſim in omnibus ſcriptis Evangelicis: Jeremias *Matth.* 5. 17. *Joan.* 6. 45. & alibi. Ezechiel *ad Roman.* 21. Daniel *Matth.* 24. 15. Michæas *Matth.* 11. 6. *Joan.* 7. 42. Oſea *Matth.* 21. 15. *ad Rom.* 9. 25. Malachia *Matth.* 25. 4. *Joan.* 12. 4. Mitto ceteros, ne ſim longior. Libri igitur Veteris Teſtamenti veraces ſunt, & divini, quoniam, ut divini citantur a divinis Novi Teſtamenti Auctoribus. Nec opponant Deiſtæ Paullum citaſſe quoque carmina Arati, & Epimenidis Græcorum poetarum; non enim ut propheticus citat, ſed ut Græcis oſtendat, quæ dicit, non ignota ipſis Græcis fuiſſe.

Prop.

Prop. I. Novum Teſtamentum veteris divinitatem demonſtrat ex prophetiis.

I. Quum prophetiæ operé completæ argumentum ſint perſpicuum divinitatis, quæ per Prophetas loquitur (prop. 39.) ut ex prophetiis oſtendatur, veteris Teſtamenti libros eſſe divinos, id ſupereſt demonſtrandum, eſſe in libris illis prophetias, eaſque opere eſſe completas. Vix ea res demonſtratione indigeret, niſi impudentiſſimi quidam mortalium id pernegare in animo conſtituiſſent. Nullus enim veteris Teſtamenti liber eſt, qui ſi inſpiciatur, non propheticus manifeſto appareat. Veteres quidam Theologi Tertullianus (*a*), Cyprianus (*b*), Euſeb. Cæſarienſis (*c*), Auguſt. (*d*) egregie hanc rem pertractaverunt. Acceſſerunt nuper viri plurimi eruditiſſimi Huetius (*e*), Prideaux (*f*), Baldus (*g*), aliique. Nos, ex novo primum Teſtamento rem conficiemus; mox altius rem repetituri.

Libri novi Teſtamenti divini ſunt, ex demonſtratis: at in his libris agnoſcitur diſerte, in veteribus illis prophetias eſſe opere completas: ſunt igitur in veteri Teſtamento prophetiæ veræ. Hujus argumenti minor propoſitio omnibus iis novi Teſtamenti teſtimoniis comprobari poteſt; in quibus veteres prophetiæ citantur. Sed inſtar omnium ſit teſtimonium, quod Chriſtus ipſe veteribus Prophetis præſtat Luc. ult. *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ .... Et incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, &c.* Magna igitur fuit Epiſcopii impudentia, qui in Matth. cap. 10. ſcripſit: *Prophetias, quæ in veteri Teſtamento de Chriſto feruntur, nihil aliud eſſe, quam diſſitas allegorias, quas vi pertrahebant ad Chriſtum Apoſtoli*. Nam ſi id verum eſt, non Apoſtoli modo, ſed Chriſtus ipſe, qui prophetias hujuſmodi citavit, ſummus fuit impoſtor, quod horret animus meminiſſe. Sed nec ipſa Epiſcopii doctrina conſentit cum iis, quæ idem homo de prophetiis Chriſtum ſpectantibus diſſeruit adverſus Judæos in Inſtitutionibus Theologicis.

II.

(a) *Adverſus Marcionem*. (b) *In libris Teſtimoniorum*.
(c) *In demonſtr. Evan.*
(d) *In libris contra Fauſt. Manich.*
(e) *In Demonſtr. Evang.* (f) *In hiſt. Judæor.*
(*e*) *In defenſ. Prophetiar.*

II. Sed objiciunt Deiſtæ. Primum non eſſe argumento ſcriptorem, qui prophetias enarrat, ipſum fuiſſe virum propheticum. Quum igitur non conſtet prophetias veteris Teſtamenti ab iiſdem auctoribus editas fuiſſe, qui libros ſcripſerunt, non poteſt inde confici, libros illos eſſe divinos. Deinde etiam in libris Ethnicorum prædictiones quædam opere completæ reperiuntur, nec idcirco libri hujuſmodi divini ſunt. Sane vero, ut ceteros omittamus, Herodoti, & Titi Livii hiſtoriæ plenæ ſunt hujuſmodi prædictionibus, quæ, ſi Herodoto & Livio ſit adhibenda fides, ita evenerunt, ut dictæ ſunt. Epimenidis & Phærecidis prophetias retulit Laertius. Tum Prophetiæ, quæ in libris veteris Teſtamenti leguntur, videntur oratoriæ comminationes, aut promiſſa generica, quæ pluribus factis aptari poſſunt.

III. Reſpondemus ad primum, quinam ſit Auctor alicujus libri quæſtionem eſſe facti; ergo una ſupereſt veterum auctoritas, qua definiri queat. Itaque Prophetæ illi fuerint, nec ne, ſcriptores librorum Hebraicorum, a traditione Eccleſiæ Judaicæ diſcendum eſt. Tradit autem Eccleſia Judaica maxima conſenſione, canonicos veteris Teſtamenti libros a Prophetis eſſe ſcriptos, ſeu ab iis, qui prophetiarum Auctores extiterunt, ſeu ab aliis, quod perinde eſt, quum unus ſit Prophetarum omnium ſpiritus: ergo procul omni dubio habendum eſt, non tantum prophetias in libris veteris Teſtamenti contineri, ſed Auctores etiam librorum illorum fuiſſe Prophetas ipſos.

IV. Quod ſpectat ad alterum argumentum, principio conſtat, Auctores, qui vaticinationes hujuſmodi Ethnicorum continent, non eos fuiſſe qui vaticinia ediderunt, ac proinde nulla eſſe in eo exemplo vim adverſus ſuperius noſtrum argumentum. Sed ne ii quidem, qui ſcripſere, aut ſibi vim propheticam adrogarunt, aut ut Prophetæ ſunt ullo modo habiti, aut quidquam fecere, unde ſeſe eſſe Prophetas demonſtrarent. Deinde ne vaticiniis quidem Ethnicorum efficitur, verſatum inter eas gentes fuiſſe ſpiritum propheticum, quamquam id conſenſione magna ſibi perſuaſerint Ethnici, quemadmodum obſervat Tullius (a). Nam & pleraque Ethnicorum vaticinia conficta fuerunt poſtquam res evenerunt, quod non raro ſubindicat Livius, & Tacitus;

(a) *Sub initium librorum de Divinatione.*

tus; id quod de prophetiis Hebraicis dici nequit, quandoquidem eæ deſcriptæ exſtant pluribus ante ſæculis, quam res prædictæ contigiſſent. Ac licet fateri velimus Deum munere Providentiæ generalis, qua omnia gubernat, immiſiſſe portenta quædam, ex quibus poſſent populi admoneri impendentium malorum, aut bonorum, quod contendit Elias Benedictus (*a*); non inde conficeretur veros Prophetas habuiſſe Ethnicos. Sed & dato etiam ſpiritum propheticum inter Ethnicos verſatum fuiſſe; tantum abeſt, ut id Deiſtarum cauſæ faveat, qui conantur hominibus perſuadere nullam eſſe nobis divinam revelationem factam, ut potius omnem hanc Deiſtarum doctrinam funditus convellat. Tota enim cum iis quæſtio eſt, loquutus ne hominibus ſit Deus.

V. Eſſet hic locus de Oraculis, & Sybillinis carminibus dicendi. Plures viri docti, in primis Antonius Vandalius (*b*), Fontanellius, aliique, in ea fuerunt opinione, omnium Gentilium oracula, meras fuiſſe impoſturas aut Sacerdotum, aut principum. Pluribus veterum monumentis demonſtrarunt, in oraculis Jovis Ammonii, Apollinis Delphici, Dianæ Epheſinæ, aliiſque impoſturas factas fuiſſe. Quid quod erat eadem Democriticorum, Epicureorum, & Ariſtotelicorum veterum ſententia? Oracula omnia deridet Cicero (*c*), obſervatque omnia fuiſſe *ambigua*, & *flexiloqua*, *ut interpres egeret interprete*. Porphyrius librum referſit Gentilium oraculis non ambiguis modo, & flexiloquis, ſed falſis. Fuerunt autem alii ex veteribus Philoſophis, qui oracula adſcripſerunt Dæmonibus, in primis Platonici, & Stoici. Quumque Dæmones facerent animantia æetherea, longæva quidem, ſed mortalia, inde rationes deſumſerunt, cur oracula ceſſaverint (*d*). Veteres Chriſtiani Patres, etſi intelligerent oracula magna ex parte fuiſſe impoſturas humanas, quam in rem præclare diſſerit Euſebius (*e*), non dubitarunt tamen & ſuam partem dæmonibus tribuere. Hanc ſententiam probarunt viri eruditi Radulph. Cudworthus (*f*), ibique Laurent. Moſhemius (*g*).

VI.

(a) *Obſervat. Crit. in Tolandi Aiſidæmona.*
(b) *In diſſert. de Orac. Ethnic.* (c) *In libris de Divinat.*
(d) *Legatur Plutarchus de defectu oraculorum.*
(e) *Sub init. lib.* v. *præpar. Evang.*
(f) *Syſtem. Intellect. cap.* v. *ſect.* I. §. 8.
(g) *Not.* I. *ad* §. 89.

VI. Jam vero de Carminibus ſybillinis æque implicatior eſt quæſtio. Carmina quædam ſybillina diu ante natum Chriſtum extitiſſe apud Ethnicos ex tota Ethnica hiſtoria eſt perſpicuum. His alia addita a ſemi-chriſtianis ſub initium ſecundi ſæculi nemo unus dubitat. Ex utriſque profecta eſt collectio ea Carminum, quæ nunc exſtat. In hac autem collectione plurima eſſe, quæ Chriſti vitam ſpectant, eſt apertum. Illud controvertitur, an hæc vaticinia de Chriſto in antiquis illis carminibus ſybillinis fuerint, an vero fuerint addita a chriſtianis? Negat quidquam de Chriſto in vetuſtis illis extitiſſe David Blondellus in opere Gallico *de Sybillis*. Blondello plures & docti quidem aſſentiuntur. Sed Guillelm. Beveregius (a), Humphredus Prideaux (b), Radulph. Cudworthus (c), quibus accedit Iſaacus Voſſius (d), non dubitant quin extiterint veterum ſybillarum carmina prophetica de Chriſto. Et vero in carmine ſybillæ Cumanæ extitiſſe prophetiam de renovandis propediem rebus humanis, quem alio deinde flexere Latini, Virgilii locus ex 4. Ecloga, quem ſuperius laudavimus, extra omnem controverſiam ponit.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo:
Jam redit & Virgo, redeunt ſaturnia Regna.
Jam nova progenies cælo delabitur alto.

Si hæc extabant in carmine Cumææ Sybillæ, ut extitiſſe indicat Virgilius, non obſcuram ea Chriſti vaticinationem continent. Præterea in ſecundo de Divinat. teſtificatur Cicero in Sybillinis libris vaticinationem extitiſſe de novo inter homines ſtabiliendo imperio, quam quia quidam ad Cæſarem trahebant, vehementiſſime homo republicanus excanduit, & interpretationem exſecratus eſt. Hoc totum de Chriſti regno intellectum vult Cudworthus; *niſi enim*, inquit, *ſedem veluti quamdam, ac fundamentum in ipſa veritate poſitum habuiſſet hæc tanta fallacia, eorum ſcilicet, qui cetera carmina Sybillina ad vetuſtorum ſimilitudinem confinxerint, quemadmodum aut concipi primum, aut deinde longe lateque fluere potuiſſet, temporeque*

S 2

(a) *In cod. Canon. illuſtr. cap.* 14. §. 10.
(b) *In hiſt. Judæor. to.* 5. *lib.* 9.
(c) *In ſyſtem. intell. cap.* 4. §. 16.
(d) *De Sybillinis orac. cap.* 8.

que roborari, id vero nullo plane modo intelligitur. Quæ etiam ſi vera ſint, argumentum noſtrum, quo ex Prophetis divinitatem Veteris Teſtamenti conſtabilivimus, non modo non enervant, ſed mirifice confirmant. Nihil enim pugnat eumdem ſpiritum, qui locutus eſt per Prophetas Hebræos, potuiſſe & apud Ethnicos veritatis teſtes excitare.

XI. Poſtremum argumentum eos commovere poſſe cenſeo, qui in libris divinis ſunt omnino hoſpites: ſunt enim in iis prophetiæ plurimæ diſerte ac perſpicue poſitæ, nec in concionibus tantum Prophetarum; verum etiam in ipſis libris hiſtoricis. Sed quo demamus hunc ſcrupulum radicitus, ea de re diſſeremus paullo poſt uberius, ut ſcilicet illa argumentatio evaneſcat.

CAPUT XV.

De veracitate Moſaicæ, ac reliquæ Judaicæ hiſtoriæ.

QUamquam ea, quæ ſuperius ſunt veteri teſtamento demonſtrata, ſatis religionis hebraicæ divinitatem demonſtrent: nequeunt enim divini eſſe novi teſtamenti libri, quin divini ſint veteres; quo tamen Deiſtarum objectiones plene diluantur, id ego hoc in loco ſuſcipio, ut, quod cum lege Evangelica feci, ex libris ipſis hebraicis eorum oſtendam divinitatem. Rem immenſi prope operis, nec minoris periculi; veluti in nucleo concludere cogor, quod eos monitos volo, qui noſtra legere volent.

Prop. LI. Hiſtoria hebraica omnes habet veracis hiſtoriæ characteres.

D. Primum ejus hiſtoriæ ſcriptores domeſtici ſunt, & coævi, adeoque rerum, quas narrant, gnari, & numero præterea integræ atteſtationi efficiendæ plus quam ſatis idoneo. II. Res narrant publicas, quæque plures populos habent teſtes. III. Præterea res, quæ totius gentis diſciplina in uſum vitæ ac mores converſæ fuerunt, quas pugnat eſſe falſas. IV. Magna & ſimplicitate utuntur, & ſinceritate: nam nec ulla eſt in illis declamationis affectatio: & probra non tacent, etiam ea, quæ totius gentis famæ intererat occultare, veluti Moſem natum ex conjugio nepotis & amitæ (*a*), quas nuptias inceſtas lege poſtmodum ſtatuit

tuit

(*a*) *Exodi* VI. 20.

tuit (a): dubitatione in Deum peccaſſe, quo factum ſit; ut prohibitus ſit terram Chananæam ingredi; & quæ ſunt ejuſmodi. V. Earum rerum primæ atteſtationem habent vicinarum nationum, in primis Ægyptiorum, Phœnicum, veterum Græcorum (1). VI. Magnam Græcarum fabularum partem ex veteri Moſaica hiſtoria natam viri eruditiſſi-

(a) *Levit.* XVIII. 12.

(1) Demonſtravit eam rem accurate Joſephus in libris contra Apionem, Grotius notis ad primum librum *de verit. Religion. Chriſtian.* Bochartus ſæpe in *Phaleg.* Huetius Demonſtrat. Evangel. propoſit. II. cap. 2. Ac vero origo mundi eadem Moſi & hoſtorici Phœnicibus; *chaos turbidum*, *ſpiritus incubans*. Heſiodi aliorumque Græcæ Theogoniæ conditorum chaos Moſaicum eſt. Septima dies ſacra Homero & Heſiodo item ut Moſi: hominem ex luto formatum, primorumque hominum vita noſtra fuiſſe longiorem ſcribit Heſiodus. Athe Homeri, Pandota Heſiodi, Dora Platonis ſunt Moſaica Eva. Thaleti aquam rerum principium, mentem vero divinam cauſam effectricem agnitam, item fere ut Moſi, idque ex Ægyptiorum & Phœnicum traditionibus. Seceſſionis Moſis ab Ægypto meminerat Hellanicus vetuſtiſſimus Mytilenæus hiſtoricus apud Juſtinum, & Cyrillum. Hecatæus Abderita Alexandri Macedonis ætate vixit, atque librum de Judæis ſcripſit. Integrum exſtabat hoc opus primo Chriſtianiſmi ſæculo, ejuſque hiſtoria cum Moſaica per omnia conſentiebat, uti Joſephus, Clem. Alex. Origenes, Euſebius, aliique veteres tradidere. Diluvii eodem fere modo atque Moſes meminerant Beroſus Caldæus, & Abydenus in Chaldaicis, quorum loca retulit Euſebius in Præparat. Evang. Ægyptiorum labores in operibus lateritiis, ingentemque iis in operibus operarum multitudinem attritam ſub Cheope Rege deſcribit Heorodotus lib. II. atque ita, ut facile ſit pervidere eadem facta ſpectare; quæ tradidit Moſes initio Exodi. Moſem & Moſaica prolixe commemorabat Manetho in hiſtoria Ægyptiaca, uti docet Joſephus in I. contr. Apionem. Ariſtobulus Judæus philoſophus Peripateticus Ptolomæi Philometoris magiſter commentarios in libros Moſis ſcripſerat. Sed Moſis, ejuſque ab Ægypto receſſus, rerumque aliarum eodem attinentium mentionem faciebat Polemo in hiſtoria Græcanica, quod Juſtinus, & Euſebius demonſtrant. Idem Judæis teſtimonium perhibuit Trogus Pompejus in hiſtoria univerſali, ut diſcimus ex Juſtini Epitome. Perhibet etiamnum Strabo in XVI Greographiæ: & Tacitus Hiſtoriarum lib. V. Quædam de Moſe & Judæis memorat Galenus in libro *de uſu partium*, & in altero *de differentia pulſuum*. Infiniti eſſet operis omnes, qui circa ævum Auguſti, aut ſequente ætate, Græcos, Latinoſque auctores, qui rerum Judaicarum meminere, colligere, factumque id copioſe eſt ab aliis. Quæ etſi magni ſint ponderis in hiſtoria Judaica adſerenda; nihil tamen ei argumento par eſſe puto, quod ex gentis ipſius conſenſione perpetua, atque diſciplina depromitur: cui enim hoc ſatis non eſt, nihil ego ſatis eſſe poſſe cenſeo. Cui autem hæc argumenta ſatis non ſunt, is nondum quid ſit vera hiſtoria ſcire videtur.

tiſſimi jamdudum oſtenderunt (1). VII. Propagatio generis humani eo, quo a Moſe narratur, modo, conſentanea eſt veterum gentium rudimentis (*a*): nam ex ea Aſiæ parte, ubi poſt diluvium conſtitit Arca, omnes telluris accolas profectas, atque paullatim undequaque verſum pervagatas, conſtat ex omnibus hiſtoriæ fragmentis atque traditionibus. Illud in primis conſpicuum, quod in vetuſtiſſimis Sinenſium hieroglyphicis Phœniciæ, ſeu antiquæ Judaicæ litteræ detectæ ſint (*b*), ut nulla ſit habitati orbis pars, quæ hebraicis antiquitatibus non conſentiat.

Sch. Huic propoſitioni dupliciter adverſum eunt hujus ævi Deiſtæ. Primum ajunt, & contraria ferme omnia in Ægyptiorum hiſtoriis de Moſe, atque Judæorum antiquitatibus narrari, quam quæ auctor Pentateuchi, aliique Judaicæ gentis hiſtorici ſcribunt, quod Joſephi illi libri adverſum Apionem luculenter demonſtrant: & in vetuſtis Græciæ ſcriptoribus, præſertim in Herodoto, qui in veterum gentium Africæ, Aſiæque moribus legibuſque deſcribendis vel patientiſſimum lectorem defatigaverit, nec veſtigium eſſe ullum tantarum rerum neç volam.

2. Huic ergo objectioni paucis reſpondebo: eſt enim ea copioſe a Joſepho, & Euſebio occupata. Ac quod ad Græcorum ſilentium ſpectat, tria conſiderari velim. 1. Græcos, quo tempore Moſes Judaicam rempublicam fundavit, ac Joſue conſtabilivit, adeo fuiſſe barbaros, ut non ſecus atque nunc Meſſicani, Peruani, Cafri, literas omnes ignoraverint: conſtans enim Græcorum ipſorum fama eſt, Cadmum primum in Græciam Phœnices litteras intuliſſe, quod confirmat veteris Alphabeti Græci cum Phœniciibus & Judaicis litteris ſimilitudo. 2. Primos Græciæ hiſtoricos admodum eſſe recentes, ſi cum Judæorum vetuſtate contuleris; & non exoticarum modo, ſed Græcarum quoque antiquitatum inſcios, ut non magis nos commovere poſſit, nihil illos de Judæis ſcripſiſſe, quam nihil eſſe ſcriptum a Livio de Indis, aut Sinenſibus. Hanc veterum hiſtoriæ igno-

---

(a) *Demonſtravit id Bochartus in Phaleg.*

(b) *Vide Diſſertationes* M. Barthlemy *&c.*

(1) Ut enim vera non ſint ea omnia, quæ contendit Huetius, vix tamen negari poteſt eſſe bonam partem. Legi meretur & Lafiteau in opere ſæpe alias laudato *Les mœurs des Sauvages.*

ignorantiam exprobrat Græcis ſui temporis Plato (*a*), aitque eos eſſe idcirco inſtar puerorum, qui nihil ferme norint, præter ea, quæ oculis ſuis inſpexere. Exprobrat ſæpe & Herodotus. Platonis & Alexandri Macedonis ævo res Romana longe per totam Italiam percrebuerat: quum tamen id ignorare videntur Græci illi hiſtorici, qui tot alia memoravere. Quin bellum Punicum alterum, quod omnem ferme noſtram continentem in partes adſcivit, adeo mendaciis fœdaverant, ut Polybius hiſtoriam ſuam ſcripſiſſe videatur, quo illos refelleret. Res præterea Ægypti, unde Græci & colonias, & leges, & humanitatem habuerant, ſolemniter ignorant illi veteres auctores. Nam Hecatæus, & Herodotus, qui primi illa vulgaverunt, nec antiqua, niſi ex Sacerdotum Ægyptiorum fabulis, accepere; & ita narrant, ut facile ſit intelligere fabuloſos rumores ſcripſiſſe. Præclare Diodorus Siculus illa in μυθικοις habuit. Quid igitur mirum eſt, ſi res gentis non admodum magnæ, quæque ultra fines ſuos pervagari neſciebat, nec ſe communicabat quidem ulli, ignoraverint? Confirmat hæc, quæ dixi, quod Græci ſeptimi a Chriſto nato ſæculi, geſta Mahummedis, Abubecris, & Omaris, qui in Arabum imperio Mahummedi ſucceſſere, prorſus ignoraverint, quamquam illa totis eſſent Arabiis pervulgata. Quin perpetuo ignoraſſent, niſi Omar tertius a Mahummede Arabum imperator Syriam, Ægyptum, aliaſque Imperii Græci provincias invaſiſſet, atque occupaviſſet.

3. Judæorum mores, leges civiles, cultus religioſus immane quantum a vicinarum gentium inſtitutis abhorrebant. Præterea vitæ ſuæ rationes ita gens Judæa inſtituit, ut vix ulli ſe communicaverit unquam. Itaque non commercia, aut admodum exigua: non peregrinationes: non bella in finitimos, quo regni fines prolatarent: ſuis contenti erant bonis, eoque imperio, quod primum nacti erant; nec arma, niſi hoſtibus propulſandis adhibebant. Atque niſi ſero tandem Aſſyrii Reges, hinc Syri, poſtremo Romani, cupiditate imperandi, eos armis oppreſſiſſent, diutius ignoti manſiſſent. Qua ex re iterum fit, ut nemo mirari debeat, hiſtoricis Græcis ignotos fuiſſe Judæos.

4. Apud exteras gentes Judæi ſæpe cum Phœnicibus permiſcebantur, ſæpe cum Arabibus; nam & finibus juncti

(a) *In Timæo. Idem efficit ſæpe Herodotus.*

erant, & vetus lingua prope eadem, eademque ſcriptura; nec admodum primis theologiæ rudimentis diſcrepabant, quod agnoſcit Strabo. Quum Phœnices commerciis maritimis, artibus, coloniis longe eſſent notiſſimi, inde factum arbitror; quemadmodum veteres plurimam Phœnicum, vix ullam Judæorum mentionem fecerint. In id me impellit, quod inſtituta quædam, leges, mores, opiniones, quæ aut propria erant Judæorum, aut communia utriuſque populi, Græci tribuerint Phœnicibus, aliquandò generatim Syris, quandoque etiam Arabibus.

5. Jam vero Ægyptios hiſtoricos non valde moror. Nam nec ullus eſt non dicam Judaicæ reip. initiis ſuppar, ſed ne vicinus quidem, quin ne paucis quidem ſæculis proximus: & pleraque ſcribunt Moſaicis affinia; & etiam quum mentiuntur, ſatis ſubindicant, non eſſe, quæ narrat Moyſes, fabuloſa: nam nec res præcipuas tacent, veluti nationem Judæorum duce Moſe ex Ægypto migraſſe in Chananæam; & ubi ea addunt, quibus hiſtoria pervertitur, ut ejectos velut leproſos, & quæ ſunt ejus generis, tanta cum acerbitate & inſectatione in Judæos debacchantur, ut attento lectori occultum eſſe nequeat, eos aut ira & odio, aut præjudicio ſubagitatos ſcripſiſſe. Ecquis enim id non videat, qui legat caput aſini in templo Hieroſolymitano cultum; hoſtiis humanis ſacrificatum &c.? Id ſatis Joſephi ſæpe laudatum opus teſtatur. Præter quam quod erant in Hecatæi, Manethonis, Cheræmonis, Lyſimachi, aliorumque Ægyptiorum hiſtoricorum, quorum meminit Joſephus, narrationibus res adeo abſurdæ, minime ſibi conſentaneæ, extraque omnes veriſimilitudinis leges projectæ, ut non ſit difficile intelligere, fuiſſe illos rerum hebraicarum imperitiſſimos, nec ſectatos fuiſſe, niſi aut imaginationis commenta, aut vanos plebeculæ rumores: quum contra omnia in Moſaica narratione, tempora, loca, ſitus, mores, leges mirifice conſtent; quæ ſunt manifeſtiſſimo argumento, ut hujus veritatis, ita illorum aut incogitantiæ, aut impudentiæ.

6. Quibus ex rebus omnibus illud conficio, exteros vix fando veteres Judæorum res audiviſſe; ut eorum aut ſilentium, aut pugna efficere nequeat, quo domeſticorum hiſtoriam conſtantem & perpetuam, ac tot tantiſque veritatis characteribus diſtinctam inter fabulas rejiciamus: Hiſtoricum enim eſſe decet & domeſticum, & coævum, & loco, tempori, gentis indoli, progreſſui denique reipublicæ, cujus hiſtoriam

riam ſcribit, congruentem, quæ omnia & in Judaicis hiſtoricis perſpectiſſima ſunt, & deſunt illis, qui hiſtoriam Hebraicam adorti ſunt. Itaque ſi hoc, quod cum hiſtoria Moſaica faciunt Deiſtæ, cum Græca nos aut Romana efficiamus, neminem ego futurum eſſe exiſtimo, qui nos non imperitiſſimos, omnique ratione captos, non jure reputet.

7. Sed quod hic in primis vetuſtatis ſtudioſos conſiderare velim, eſt, ineſſe in veterum libris vultum quemdam, quem qui intueri noverit, is nullis aliis, ut ego quidem puto, argumentis indigebit, quo fabulam ab hiſtoria ſecernat: quomodo ex vultu eodem facile quis internoſcat hominem inter & picturam, aut ſignum, aut perſonam theatralem. Ac ſunt quum in veteribus, tum in noſtris quoque ſcriptoribus genera auctorum omnino quinque diſtinguenda, Poetæ, Impoſtoris, Fanatici, Hiſtorici imbecillis ac rumores conſuentis, Hiſtorici demum rerum gnari, atque veritatis ſacerdotis, ut ita dicam. Quamquam autem ut in picturis, ita in vetuſtis auctoribus, tempus ea ſæpe lineamenta aut incruſtavit, aut delevit, aut exedit, quibus eorum fit vultus; non eſt tamen admodum difficile, ubi attentus accedat lector, atque alacris obtutus, velitque non fugienti, ſed fixo oculo intueri, quantopere diſtent pervidere.. Homerum quis ſumat in manus aut Euripidem, Philoſtratum, Alkoranum, aut Rabbinorum Thalmud, Joannem Villani, Tacitum, aut Macchiavelli Florentinas hiſtorias, niſi ſi ſtipes ſit, is ſtatim vultu ipſo Poetam, impoſtorem, declamatorem, homines phantaſticos, credulum, aut imbecillum hiſtoricum, viros accuratos, emunctæque, ut ajunt, naris, ipſe per ſe, quin quiſquam moneat, intuebitur.

8. Quibus autem ex lineamentis, motibuſque hujuſmodi auctorum vultus exſiſtant, non facile dixerim; ſed ſunt tamen, quos facilius intuitu dignoſcas, quam minutatim explices. Crediderim rerum id naturam ipſam, hominiſque vim & indolem efficere. Ut quo modo eſt in tragica perſona quantavis arte efficta, quod a natura diſcrepat; eſt in pictura quod hominem quantus eſt, non exprimat, etſi proxime imitetur; quia ſcilicet nec naturæ vim, nec hominis animam perſonæ facies exhibet ac quaſi extra ſe vibrat: ita nec Poeta, nec Impoſtor ita ea, quæ aut ſunt geſta, aut quæ geri ab hominibus ſolent, tam docte umquam efferet, ut non aliquando, atque longe, a natura diſcedat, ac quantumvis artem tegere conetur, non ſe tamen, nec rimulis

ſolum,

ſolum, ſæpe grandibus portis, patefaciat. Videre eſt in Poeta vim, quæ aut novas rerum formas, quæque gigni inter nos non ſolent, procreat, aut eas, quæ ambitu naturæ continentur, novo habitu effingat perpoliatque. Proxime accedit impoſtor; qui naturam quidem ſtudioſe ſequi laborat; ſed tamen aut nimio ſtudio, aut falſi conſcientia tam crebro delabitur, ut tum maxime eam mentiatur, quum ſtudioſius exprimere ſtudet: ſunt enim res quædam adeo lituræ minime patientes, ut vel exigua ſuperinductio corrumpat. Scilicet nativa illa vis, ac divinæ artis vivax facies, tum inimitabilis naturæ cum ſemet concentus, in minimiſque rebus conſtantia, nulla hominum arte effingi poſſunt.

9. Atque hæc ſatis, opinor, priora duo ſcriptorum genera deteguntur. Nam fanaticum auctorem nemo, arbitror, tam erit aut a ſe peregrinus, aut extra hominum mores projectus, qui non ſtatim dignoſcat: ut enim ebrios a ſobriis ipſe oris adſpectus diribuerit; ita mentis, & imaginationis habitus eorum, qui ſuas phantaſias depereunt, tamque frequentia colloquia cum inanibus viſis ac tam animata ferunt, ipſe per ſe in hominum oculos inſilit. Sunt ejus generis ſcriptores plures, & omnis ætatis, & omnium locorum; ut quin ego moneam, præſto ſint ubique eorum vultum intueri volentibus.

10. Sed nec illud difficile eſſe puto hominibus non omnino ſtupidis acrem hiſtoricum, accuratum, & naturam, non ingenium ſectantem, a bono, ſimplici, facile credulo, ſibi plus, quam veritati tribuente, internoſcere. Nam ille inter res ipſas, quas enarrat, verſans, iiſque totus occupatus, nihil incertæ famæ, nihil rumoribus, niſi quantum ii merentur, nihil indoli, nihil amori largitur, aut odio partium: naturam ipſam in ejus hiſtoria defluere videas nativis ſuis coloribus ac viribus. Hic naturam & ipſe ſequi arbitratur, ſed quam tamen aut perpetuo, aut interciſe inſerta fama obducit, aut ignorantia corrumpit, aut affectus exornant, præſertim amor, odium, metus, ſuperſtitio. In hunc cenſum Herodotum ex veteribus, Joannem Villani ex noſtratibus refero. Non ignoro ſæpe graves ac ſeveros alioquin hiſtoricos, veluti Thucydidem, Polybium, Salluſtium, Paterculum, Tacitum, ea hiſtoriis ſuis interſerere judicia, ut legentium animos præoccupare velle videantur, atque aliorſum trahere, quam res ipſæ patiuntur. Sed id in primi hiſtoriæ lector

lector diſcere debet, ut hiſtoricum à philoſopho ſecernat: nam quo quis hiſtoriæ ſcriptor doctior eſt & rerum humanarum peritior, eo libentius & crebrius philoſophatur; quam hominis philoſophiam in utram partem accipias rerum geſtarum fidei non intereſt, niſi in ea philoſophia non homines commonendi ſtudium, ſed facta in eam partem trahendi, cui hiſtoricus ſit addictus, deprehendatur.

11. Quum igitur ſuus cuilibet ſit ſcriptori vultus, quo ſe velit nolit prodat neceſſe eſt, ecquis tam acuti & beati erit ingenii, qui in hiſtoria Legationis Moſaicæ, aut poeticum ingenium, ut in Homeri Odyſſea, aut vafri impoſtoris artes, ut in Alkorano, aut hominis inter ſua phantaſmata verſantis, ut, ne plures alios nominem, in *legendæ aureæ* ſcriptore, aut hiſtorici vulgi rumores ſectantis, quorum tam magna exſtat ſeges? Nam ea hiſtoria res enarrat propalam geſtas, quorum tot erant teſtes, quot Ægyptii, Judæi, Chananæi. Ea præterea hiſtoria Judæorum leges nituntur, totiuſque Judaicæ Reipublicæ diſciplina, mores, vita. Hæc Reſpublica, hi mores, hæc denique diſciplina ad Auguſti jam tempora venerat integra: quin reliquiæ etiamnum ſuperſunt. Sunt hæ fabellæ? Origo igitur ejus Reipublicæ, tamque ſeveræ diſciplinæ, tot divinarum, humanarumque legum eſſe aliqua debet. Ecquid autem cauſæ eſſe dicemus, cur non ea ſit, quam tota Judæorum natio perpetua majorum traditione prædicat? Superioribus ſæculis Europæi noſtri inter tot ſilveſtres barbaraſque Americæ nationes Peruanum imperium ſatis pro ea mundi parte excultum, atque moribus perpolitum, & legibus firmatum non abſurdis detexerunt. Sed & non valde antiquum eſſe, & ab iis fundatoribus conditum, quos Peruana Garcilaſſi meminit hiſtoria, mira totius gentis conſenſione didicerunt. Quis igitur tam perfrictæ fuerit frontis, qui ea omnia pro aut noſtratium commentis, aut ejus populi deludificationibus habeat?

12. Sed his ita reſpondent hujus ævi Deiſtæ, ea argumenta ſi quidquam conficiunt, & hoc quoque efficere, veram eſſe hiſtoriam Mahummedanam: ex quo porro fiat, ut dubitare nequeamus Mahummedem eum fuiſſe, quem ſe eſſe prædicavit, Prophetam nempe, a Deo inſpiratum, cum Deo ejuſque Angelo Gabriele tam familiariter verſatum, quam vafer homo evulgabat: brevi, divinum eſſe Islamiſmum. Nam hæc omnia & ejus commilitones magna conſen-

ſenſione vulgaverunt: & plures coævi atque domeſtici ſcripſere, & ſequente ætate non ſola publica Arabiæ, Syriæ, Ægypti, Perſidis perſuaſione probata ſunt, verum etiam factis multo majoribus & illuſtrioribus, quam ea, quæ Hebræi ſexcentis peditum millibus in ſola Ægypto & Judæa geſſere: nam intra viginti circiter annos, poſtquam ſcilicet Mahummedes e Mecca aufugiſſet, parva ſociorum manu non Arabiæ modo totæ in ejus imperium conceſſere, ſed, ut dixi, Syria a mediterranei maris littoribus ad Euphratem, Ægyptus præterea, atque Perſis; ingenteſque Heraclii Imperatoris, & Jezdegerdis Perſarum Regis copiæ pluries fuſæ atque deletæ.

13. At hæc eos permovere poſſe puto, qui vaſro iſto argumentationis genere capi poſſunt, atque verum falſumque permixta veluti κατάποσιν uno hauſtu deglutire. Qui autem ſecare res didicere, iis tota hæc dialecticorum noſtrorum ars, qua falſa obtentu veri propinare ſtudeat, ludibrio eſſe debet. Statuamus, quod negari nequit, niſi ab iis, qui a tota ſunt mente atque ratione alieni, quod ad ejuſmodi facta pertinet, populi, cujus intererat, publicam teſtificationem, perpetuam, conſtantem, certiſſimum eſſe veritatis argumentum. Hoc argumento Mahummedem extitiſſe probo; eodem probo extitiſſe Numam, Solonem, Lycurgum, Moſem; certa igitur hæc ſunt. Eodem demonſtro Mahummedem Arabum fuiſſe Legiſlatorem, Romanorum Numam, Athenienſium Solonem, Lacedæmoniorum Lycurgum, Judæorum Moſem; æque ergo certa ſunt hæc omnia, ut ego a ratione extorres putaverim eos omnes, qui eorum quidquam in dubium vocent. Sed ne id quidem negaverim, eodem argumento nos doceri, Arabes, Syros, Perſas a Mahummede Abu-Becre, Omaro domitos, quo Chananæi a Moſe atque Joſue. Hæc enimvero utraque ſunt eodem illo veri charactere inſignita. Sed illud, quod caput eſt, Mahummedem ita a Deo miſſum fuiſſe, ut Moyſem, probat ne idem argumentum? Id miraculis oſtendendum erat, factis nempe divinis, quorum ita tota natio teſtis eſſet, ut ejus bellorum, atque eorum facinora, quæ ſæpe ille inique & impie perpetravit. Quis enim Arabum, aut quum Meccæ abiret, aut quum Medinæ ſupra decem annos commoraretur hæc vidit umquam? Sed ne ii ipſi, quibus ille familiarius utebatur, quidquam hujuſmodi teſtari poterant. Quin fuere qui ætate ipſa, qua ille maxime floruit;

floruit; fuere, qui ſtatim atquè extinctus eſt, totam ejus ſcenam vulgando riſerint, quod Arabes hiſtorici, ipſi in primis Abulfeda & Albulfaragus Mahummedis vitæ copioſi & accurati ſcriptores non tacent (*a*). At miraculorum Moſis & Ægyptii, & Judæi, Arabes, atque Chananæi non teſtes modo fuerunt, ſed pars magna. Ea non ſcripta modo ſunt ab iis, qui rebus intererant, ſed ſacra quoque & longa diſciplina conſecrata, ut tam de iis dubitare liceat, quam, extiterit, necne, Moſes ullus: fuerit, necne, Judæorum Legislator, aut Reſpublica ulla Judaica.

CAPUT XVI.

Iis reſpondetur obiectionibus, quæ ex ſcriptis ipſis Moſaicis adverſus Judaicæ hiſtoriæ veracitatem depromuntur.

SEd eos nunc audiamus oportet, qui vetera criminando Moſaicam hiſtoriam hiſtoria ipſa impetunt. Ajunt igitur eſſe in iis libris relata plurima, quæ aut ipſa per ſe falſitatem manifeſtam præſeferunt, aut veri nullam habent ſimilitudinem. Eorum præcipua ſunt quæ ſequuntur.

I. Verum eſſe non poteſt, inquiunt, conditum a Deo Paradiſum, ex quo quatuor illa flumina exirent, Phiſon, Gehon, Tigris, & Euphrates. Nam hæc flumina ex nullo communi fonte naſcuntur, ut iis notum eſt, qui Geographiam primoribus labris deguſtarunt.

II. Minus quoque fœminam factam de coſta Adæ.

III. Serpentem collocutum cum Eva, & quidam ſublimes ſermones de bonis, ac malis, ſimile vero eſſe nequit.

IV. Homines ad mille annos vixiſſe: quod conſtitutioni corporis humani, & experimentis repugnat.

V. Uno navilio Noetico omnia animantium genera, eorumque per annum collecta, quod cui veriſimile videri poteſt? Qui potuere tam conſtipata animantia ſine communicatione cum novo aere tamdiu vivere?

VI. Diluvium fuiſſe per totam terram, altiſſimoſque montes cooperuiſſe; quod prærerquamquod eſt incredibile, quum non ſufficiant globi noſtri aquæ ad tantum ſpatium im-

(a) *Vide Hiſtoriam Univerſalem, quam Angli edunt, tom.* XV. *editionis Gallicæ.*

implendum; pugnat quoque cum Ægyptiorum, Chaldæorum, atque Sinenſium Chronologiis.

VII. Omnes homines natos ex Adamo, quod eſſe non poteſt: nam Adam albus ne fuit, an niger? Si albus, unde proveniunt nigræ nationes? Si niger unde albæ?

VIII. Hebræos poſt infinita prodigia, quibus Deus ſuam potentiam, & divinitatem oſtenderat, altero menſe ab exitu ex Ægypto a Deo deſciviſſe, & vitulum adoraſſe, quod eſt inveriſimile, niſi Hebræos lateribus crudis ſtupidiores facere velimus.

IX. Moſem, quum ſeceſſiſſet in montem, quadraginta ibi commoratum eſſe dies, quo a Deo ſcriptas leges acciperet. I. Quid enim opus erat tam longe a populi conſpectu abire? II. Quid opus habuit Deus tanto tempore, ut decem præcepta exararet? III. Cur Moſes non prius, quam in planum deſcendiſſet, populum rebellaſſe reſcivit? Ex quibus item concludere ſibi videntur, Pentateuchum non eſſe librum veracem, nec idcirco reliquos, quorum ille fundamentum eſt. In quibus item argumentis aut imperitiam Scripturarum, & antiquæ hiſtoriæ produnt, aut malitiam puram, putamque; quod ſequentibus reſponſionibus oſtendunt.

1. Ac priori quidem argumento ita reſpondet eruditiſſimus Jeſuita Benedictus Pererius, *comment. in Geneſ.* fontem illum Paradiſi impetu diluvii corruptum fuiſſe, locum quoque omnem ita fœdatum, ut nulla, aut admodum tenuia ejus appareant veſtigia, ut idcirco mirum non ſit, ſi quas Moſes deſcribit Paradiſi illius qualitates, nuſquam in Chaldæa, quem locum divinus Scriptor videtur indigitare, ita, ut deſcribit, reperiantur. Sed illud incommodi habet hæc ſententia, quod Moſes non modo locum, qui exſtabat tempore ſuo indicat, ſed flumina quoque duo, *Euphratem*, & *Tigrim*, ut erant id temporis, ſuntque hodie. Eorum præterea diſcurſus deſcribit, terraſque, quas alluunt: quod profecto non feciſſet, ſi vetuſtum tantum, nec amplius exſtantem locum, voluiſſet deſcribere. Itaque ego quidem cum Pererio cenſeo, communem illum fontem abruptum, diſperſumque, fines motos, arbores Paradiſi diluvio eradicatas, aut abſorptas: telluris enim horrifica confractio, ſaltem ſuperficiei, in diluvio contingere debuit: ſed interim non dubito Moſem Meſopotamiæ, aut Armeniæ locum deſignaſſe aliquem, in quo con-

ſitus

ſitus erat hortus hic, ac ejus veſtigia indicaſſe quatuor illa flumina, qualia tempore ſuo erant. Sed eam rem paullo pluribus explicare operæ pretium eſt.

2. Recentium eruditorum de ſitu Paradiſi tres præcipuæ ſunt opiniones, quas magni nominis auctores tuentur. Sunt qui eum hortum conſtitutum in Syria fuiſſe cenſent prope Damaſcum ac fontes Jordanis. Ita Heidegerus (*a*), Clericus (*b*), Petrus Abraham (*c*), & Harduinus (*d*). Sed ei nullæ loci illius, quem deſcribit Moſes, aptari poſſunt qualitates. Ac ut omnia taceam, longius is locus a ſitu quatuor fluminum, aut horum fontium diſtat, quam ut quadrare ad Moſaicam narrationem poſſit. Alii ejus Paradiſi ſitum locant in Armenia inter fontes Euphratis, Tigridis, Araxis, & Phaſis, ut ita Phaſis ſit Phiſon Moſaicus; Araxes vero Gihon. Eſt hæc ſententia Sanſoni, & Relandi, adoptavitque illam Calmetus (*e*). Sed in eo ii decipiuntur, quod veteribus Geographis crediderint ſuper fonte Phaſis. Is enim fluvius a trium reliquorum fluviorum fontibus minime ortum habet, ut conſtat ex itinerariis Thevenotii, & Chardini. Tertia eſt opinio Bocharti, & Huetii, qui eo in loco Paradiſum conſtituunt, ubi Euphrates, & Tigris jungunt alveos; ac reliquos duos fluvios eſſe contendunt duo brachia, in quæ iterum Euphrates, & Tigris dividuntur, ſinum Perſicum verſus, ut Phiſon ſit brachium occidentale, Gihon orientale. Omnia in hunc locum quadrare, quæ de Paradiſo narrat Moſes, accurate oſtendere conatur Huetius. Negotium faceſſere videtur locutio Moſaica, *Fluvius egrediebatur e Paradiſo*, quaſi non eum locum alluant tantum memorata flumina, aut per eum diſcurrant, ut interpretatur Huetius, ſed in eo fontes habeant. Sed copioſe oſtenderunt viri eruditi, locutionem Moſaicam utrumque ſignificare poſſe, ut ſcilicet eo in loco communis ſit fons, & ea tranſeat tantum.

X. Hæc opinio inde quoque confirmatur, quod hic locus veterem adhuc ubertatem retineat, ut conſtat ex itinerariis viatorum. Eamdem habebat decem ſeptem ſæculis ante.

(a) *In hiſt. Patriarch.*
(b) *In Geneſ. cap.* 2. *v.* 8.
(c) *In Pharo Vet. Teſtam. lib.* 2. *num.* 16.
(d) *Ad Plin.*
(e) *In Diction. Bibl. & commentariis in Geneſ.*

te. Curtius (*a*) *inter Tigrim*, inquit, *& Euphratem jacentia tam uberi & pingui ſolo ſunt, ut a paſtu repelli pecora dicantur, ne ſatietas perimat. Cauſa fertilitatis eſt humor, qui ex utroque amne manat, toto fere ſolo per venas aquarum redundante.* Ubertatem ejuſdem ſoli & Plinius prædicat (*b*) *Babylone bis ſecant: tertio depaſcunt, alioquin folia tantum fierent; ſic quoque cum quinquageſimo fœnore meſſes reddit exilitas ſoli; verum diligentioribus cum centeſimo*, quæ ex Herodoti libro I. deſcripſit. Beatus Hieronymus notavit in Meſopotamia oves bis parere. Inde toti illi tractui nomen Eden, quaſi ηδονης *voluptatis.* Sed Herodoti tempore fertilitas quoque major videtur fuiſſe. Is enim lib. 1. narrat eam tellurem cum duceonteſimo, & trecenteſimo etiam fœnore fruges reddidiſſe, quod & Strabo in 17. refert, additque Herodotus, quo tempore Perſæ Aſiæ imperium habebant, ex ſola Babylonica Provincia tantum redituum accepiſſe, quantum ex reliquis aliis omnibus. Ut hæc ad miraculum aucta dicamus, at illud ſupereſt veri, uberrimum eum locum fuiſſe.

In ſecundo, & tertio argumentis refellendis quæ olim Julianus objecit Chriſtianis (*c*), quidam Theologi ad allegoriam confugerunt. Non Origenis modo apud veteres, verum quorundam aliorum quoque opinio fuit, ex illo loco incipere hiſtoricam Moſis narrationem, a quo narratur, demiſſos de Paradiſo Adamum, & Evam conveniſſe, atque genuiſſe, ut nos S. Auguſtinus docet (*d*). Quin Origenes adverſus Celſum, non hunc tantum, locum, ſed majorem ſcripturarum partem allegorice interpretandam eſſe contendit, idque ſæpe repetit, ac ita repetit, ut non obſcure indicet, pleraque eſſe in iis relata facta, quæ nequeunt alio modo defendi. Inter Scholæ Theologos vir ſummi ingenii Thomas Cajetanus veterum illa commenta revocare aggreſſus eſt, quem integra diſſertatione ejuſdem florentiſſimæ familiæ alumnus Natalis Alexander refellit (*e*).

enim

(a) *Lib.* 5. *de geſtis Alexand.*

(b) *Lib.* 5. *cap.* 26. *& lib.* 18. *cap.* 17.

(c) *Vide Cyrill. Alex. lib.* 3. *contra Julianum, & Origenem contra Celſum.*

(d) *Lib.* 8. *de Geneſ. ad litt. cap.* 1.

(e) *In hiſtor. Eccleſ. veter. Teſtam. ætate* 1. *diſſert.* 3. *art.* 27.

Enim vero ea opinio & Critices regulis, & Patrum omnium conſenſioni maximæ adverſatur. Principio Moſes narrationem creationis mundi ſtatim exorditur ac connectit cum hiſtoria Patriarcharum, ut intelligamus hiſtorico, ideſt ſimplici, non figurato ſtilo, uti. Vim igitur & Criticorum regulis, quæ vetant hiſtoriam allegorice interpretari, & textui inferunt, qui ad allegoriam confugiunt. *Narratio*, inquit perſpecte Auguſtinus (*a*), *Moſis in libro Geneſeos non eſt genus locutionis figuratarum rerum; ſicut in Cantico Canticorum, ſed expoſitio rerum omnino geſtarum, ſicut in Regnorum libris*. Tum nemo Patrum dubitavit, totam illam Moſaicam narrationem hiſtoriam eſſe. Itaque B. Hieronymus (*b*) creationem Evæ ex coſta Adami inter ea dogmata enumerat, quæ ſalva in Deum fide negari non poſſunt.

XII. Quare hos miſſos faciamus: neque enim ea reſponſione indigemus. Scilicet quid eſt in ea Moſis narratione quod fabulam ſapiat? An impoſſibilia narrat divinus Auctor? An quæ Deum dedeceant? An aliis teſtimoniis conſtat ea vera non eſſe? Niſi enim horum trium ſit aliquod, qui fabuloſam eam narrationem eſſe clamant, garriunt ſine ratione: ſcilicet qui hiſtoriam aliquam velut fabellam traducit, is rationes opinionis ſuæ proferre debet aliquas: alioquin eum ipſum jure, ac merito inſignem fabulatorem habebunt ſani judicii omnes. Nunc vero impoſſibile id non eſt, non magis quam ſi ex creta ut maſculum, ita Evam formaſſet; materia enim quæcumque ſic divinæ arti & potentiæ paret, ut intra corporum formas quodcumque poſſit ex quocumque efficere. Ita aut nihil horum ei impoſſibile, aut omnia dicere debent: omnia dicere eſt Dei potentiam ignorare: nihil ergo. Jam quandoquidem in Evæ illa creatione, & ſummum imperium in materiam omnem oſtendere perrexit, & ea primum arctiſſimum nuptiarum vinculum, ac conjugum amorem, deinde Chriſtianam quoque Eccleſiam indicare in anteceſſum voluit, ea narratio tantum abeſt ut decori leges lædat, ut potius oſtendat, (inquit Cyrillus Alexandrinus Juliano reſpondens) *ſapienter, & ſolerter, quod ad Dei voluntatem attinet, eſſe fœminam procreatam. Tametſi enim eam quoque creare de integro poſſet, & ſumto quidem de terra luto ad eumdem*

(a) *Lib. 8. de Geneſ. ad litt. cap.* 1.
(b) *In comment. Epiſt. ad Philemonem.*

quo & ipſe factus erat Adamus, modum effingere, id neutiquam fecit: ſed quum vellet ingenerare viro erga illam affectum, viri particulam aliquam ſubduxit, abjectiſque reliquis humanæ naturæ, numeris abſolutam protulit, &c. Nimirum inter memoralia ſigna, quibus homo officii ſui ſæpius commoneatur, ea aptiora ſunt, quæ & corporea ſunt, & diuturniora. Tandem veteris hiſtoriæ veſtigiis firmatur potius, quam in ſuſpicionem fabulæ adducitur ea narratio, quale illud eſt, quod Ægyptii coſtas in ſomniis ad uxores referebant, ut adnotatum eſt Grotio (*a*).

Quod pertinet ad ſerpentem ejuſmodi objectio divinarum Scripturarum imperitiam præſefert. Quicumque enim Scripturas ſacras attentius fuerit perſcrutatus, is inveniet, diabolum in ſerpente, velut in energumenis ſolet, ea omnia feciſſe: ſcilicet in ejus ore, quaſi in organo, aere moto, colliſo, modulato, vocem humanam effinxit, non vitali actione, ſed artificiali, aut arte nobis ignota, ex ſerpentis ore voces eduxit. Verum enim ſerpentem in hac re interveniſſe Moſis narratio nos dubitare non ſinit: nam & ſerpentem cum ceteris animantibus item veris confert, *ſerpens*, inquit, *erat callidior*, *aut*, ut ſeptuaginta vertunt, *prudentior cunctis animantibus* (*b*), & Deus vero ſerpenti maledicit (*c*). Fuiſſe porro & diaboli organum ſerpentem, inde diſcimus, quod in novi teſtamenti libris diabolus *ſerpens ille antiquus* vocetur cum manifeſta alluſione ad narrationem Moſaicam (*d*). Item cum eadem alluſione diabolus dicitur *homicida a principio* (*e*). Quia ſcilicet primos parentes in mortem induxit ſuis fallaciis. Vide Sanctum Auguſtinum (*f*). Quæ quum ſint, nihil eſt in ea narratione inveriſimile: ea omnia procul dubio dæmon efficere potuit. Non ſum interim neſcius aliter huic Juliani objectioni reſpondiſſe Beatum Cyrillum Alexandrinum (*g*), ſpeciem ſcilicet & ſimulacrum ſerpentis induiſſe cacodæmonem, non verum ſerpentem agitaſſe, quo falleret Evam. Sed neceſſe non eſt vim inferre Moſaicæ nar-

(a) *A cap.* 71. *Geneſ.* v. 71.
(b) *Geneſ.* 3. 1. (c) *Ibid. v.* 14.
(d) *Apocalyp.* 12. 9. *&* 20. 2.
(e) *Joan.* 8. 43. *& Sapient.* 2. 24.
(f) *Lib.* 14. *de Civit. cap.* 21.
(g) *Lib.* 3. *contra Julian.*

narrationi, quando utrumque æque fuit diabolo facile, & de vero, & de ficto ſerpenti loqui. Eamdem ob rem ne Cajetani quidem ſingularis opinio neceſſaria eſt. Putavit ille voces articulatas in hoc negotio minime adhibitas a diabolo, ſed ne ullum quidem externum ſpectrum: tentationem Evæ interna tantum ſuggeſtione peractam: Diabolum ſerpentis nomine metaphorice a Moſe appellatum. Quæ doctrina nec neceſſaria eſt, ut dixi, & cum Moſaica hiſtoria, ac Patrum omnium conſenſione pugnat. Illud prætereundum non eſt, hujus hiſtoriæ memoriam apud Ethnicos quoque diu conſervatam. In antiquiſſimis Græcorum myſteriis acclamatum *Evam*, ſimulque monſtratum ſerpentem, meminere Heſychius, Clemens in Protreptico, Plutarchus in Alexandro. Vide & Maimonidem (*a*), & Lafiteau (*b*).

Quod ſpectat ad quartam, vetus querela eſt adverſus Moſaicam hiſtoriam, quam memorant Lactantius (*c*) & Auguſtinus (*d*). Ethnici ſcilicet, quum hanc Patriarcharum longævitatem intelligere non poſſent, aut ridebant, aut putabant annos illos menſtruos fuiſſe. Sed quum annus diluvii dierum fuerit 365. a 17. nempe ſecundi menſis ad 25. ejuſdem menſis vertentis anni, menſium vero dies fuerint triginta; aperte Moſaicæ narrationi repugnant, qui annos Patriarcharum pro menſibus accipiunt. Præterquam quod veteres illi Patriarchæ ætatem vixiſſent noſtra breviorem, quippe qui non pertingiſſent ad octoginta annos. Demum quum reperiantur quidam generaſſe filios ſexageſimo, vel ſeptuageſimo ætatis ſuæ anno, generaſſent quum eſſent quinque, aut ſex annorum noſtratium. Ad hæc tota ſeries hiſtoriæ Moſaicæ, qua conſtat paullatim a primæva illa longævitate intra unum ſæculum decidiſſe hominum vitam, id totum mirifice confirmat. Idem enim ſcriptor, qui memorat Adamum, Mathuſalem, Noemum ſupra nongentos annos vixiſſe, idem inquam deinceps memorat, Salem vixiſſe 433. Heberum 464. Phaleg 239. Sarug 230. Thare 120. ut nulla ſubſit ratio de ejus hiſtoriæ veritate dubitandi. Tandem idipſum Ethnici quoque ſcriptores confirmant, Beroſus in Chaldaicis, Manetho in

 Ægy-

(a) *Duct. dub. p. 3. cap. 29.*
(b) *Les moeurs des Savages.* (c) *Lib.* 2. 20.
(d) *Lib.* 15. *de Civit. Dei.*

Ægyptiacis, Hiromus in Phœniciis, Heiſtæus, Hecatæus, Hellanicus in Græcis. Quos omnes ſcriptores ſuo adhuc tempore manentibus libris, teſtes citat Joſephus (*a*), ac præter hos Acuſilaum Ephorum, Nicolaum Damaſcenum. Primos hi homines ad mille ferme annos vixiſſe tradidere ex veteri ac conſtantiſſima traditione. Non igitur dubitandum eſt de longitudine vitæ Patriarcharum. Porro ea longævitas repetenda eſt partim ex æquabili cæli, ac primævæ telluris temperie (*b*), partim ex victu ſimpliciori, partim ex corporis compage robuſtiore, partim etiam ex peculiari Dei providentia. Ceterum recentiori ætate quoſdam ad ducentos, & trecentos annos vixiſſe confidentiſſime ſcribunt Jonſtonus (*c*), & Petrus Daniel Huetius in Alnetanis (*d*). Sed hujuſmodi hiſtoriæ quum ex ſecunda Europæ barbarie depromtæ ſint, certæ non ſunt, nec pro certis affirmatas a viris doctis vellem.

Ad quintum. Capacitatem Arcæ Noeticæ ſic deſcribit Moſes: *cubitorum trecentorum erit longitudo Arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius*. Quum Celſus velut fabellam, hiſtoriam hanc traduceret, Origenes (*e*) reſpondit, Noemum a Deo doctum cubitos quadratos adhibuiſſe. Ita cenſuit fieri capacitatem Arcæ Noeticæ ſufficientiſſimam ad ea continenda, quæ in ea fuiſſe impoſita narrat Moyſes. Ita Arca eſſe debuit 9000. cubitos longa, 2500. alta, 900. lata, quæ ſunt quadrata radicum illarum. Sed mera eſt ea Origenis hypotheſis, ingenioſiſſima licet. Cappellus (*f*) cubitos triplicis generis diſtinguit, minorem, qui ſit quadrante longior pede; medium, qui ſit ſeſquipedalis, & majorem, qui tres pedes contineat. Arcæ cubitos majores fuiſſe cenſet. In hac hypotheſi dimenſio Arcæ fuerit juxta longitudinem pedum nongentorum, juxta altitudinem pedum nonaginta, juxta vero latitudinem pedum centum quinquaginta. Ita capaciſſima fuiſſet tot corporibus continendis. At Joannes Temporarius, Buteo, plureſque alii Mathematici, geometrice

---

(a) *Antiq. hiſt. lib.* 1. *cap.* 4.
(b) *Vide Vodwardium in Geographia phyſica*.
(c) *De Nat. conſtit. prop.* 5. *art.* 1.
(d) *Lib.* 2. *cap.* 12. §. 4.
(e) *Cont. Celſum*.
(f) *In hiſt. Sacra pag.* 30.

trice demonſtrarunt, Navem Noeticam tot corporum capacem fuiſſe, etiam ſi cubiti vulgares intelligantur. Conſtitutioni autem Navium id minime repugnare demonſtrat ſagax Batavorum experimentum memoratum Georgio Hornio (*a*), cujus totum locum deſcribam, ut pateat quam temere & imperite hanc hiſtoriam velut minus veriſimilem accuſent profani homines. *Primum in Hollandia Petrus Janſen Memnoniſta unam atque alteram anno 1604. ſecundum Arcæ Noe proportionem navium per ſocerum Petri Reineri ſtruendam curavit. Unam longitudine 120. pedum, latitudine viginti, profunditate duodecim. Initio hunc navium ſtruendarum modum riſu & ſannis tamquam plane abſurdum & ineptum a nautis exceptum: ut idem imitatoribus, quod etiam Noacho contigiſſe volunt, acciderit: poſtea compertum tales Arcas Noachicas pacis tempore omnium aptiſſimas, & utiliſſimas eſſe ad ea commercia exercenda; tum quod tertia parte plus onerari poſſunt, quam vulgares, neque tamen plures, a quibus reguntur, manus deſiderant; tum quia velociori a ventis in mari, quam quæcumque aliarum gentium naves, curſu aguntur. Sed nullum admittunt tormentorum bellicorum, & id genus armorum uſum, idque ad inſtar Arcæ Noe, quæ pacis, non belli fuit inſigne, & in qua omnem totius mundi ſalutem, & pacem ipſe Deus pacis, tum quidem excluſis rebellibus, concluſerat. Hujuſmodi navium uſus durantibus induciis paſſim apud Batavos invaluit.* Hæc ille.

Fuere autem in Arca ſpiracula ut reſpirare animantia poſſent novum aerem, ſine quo animantium vita nequit eſſe vitalis: ſed ea ita fabrefacta, ut aut reflecterent aquam, aut vix aliquam exciperent, qua facile navis purgari potuit. Ea ſpiracula aperte memorat Moſes, *feneſtram*, inquit, *in Arca facies* (*b*). Vocabulum Hebræum *Sohar* feneſtram, aut quamvis aperturam ſignificat: ejus enim chaldaica radix *lucere*, aut *lumen tranſmittere* ſonat. Sunt qui putant pelle translucida circumveſtitam eam aperturam, ut ita lumen daret, repelleretque aquam, ſimulque ictibus aquarum, & ventorum reſiſteret. Sed qui ita cenſent tum de admittendo aere cogitare debent; neque enim aer vitæ alendæ aptus per pellem tranſit. Ego prætulerim telas e pilis camelorum contextas: eæ enim, & aquas mirifice re-

(a) *In hiſt. univerſ. pag.* 26. (b) *Geneſ.* 6. 16. (c)

pellunt, & lumen juxta atque aerem tranſmittunt. Hujuſmodi telæ Orientalibus populis poſt diluvium familiares fuerunt. Omnia hæc factu facillima erant.

Quod ſpectat ad ſextum, qui paullo in vetuſta hiſtoria Gentium verſati ſunt, ſciunt diluvii Noetici memoriam apud omnes ferme nationes ſervatam fuiſſe. Obſervat Grotius omnes Ethnicas hiſtorias in diluvium deſinere, nec ultra progredi (*a*). Diluvii hujus ſane mentionem apertam habebant Beroſus Chaldaicarum rerum ſcriptor, Abydenus Ægyptiorum hiſtoricus, Nicolaus Damaſcenus, aliique. Habent ex vetuſtis hiſtoricis, qui ſuperſunt, Plutarchus, & Lucianus; quorum loca protulit Grotius idem. Joſephus contra Apionem *primo* teſtatur, Beroſum eadem, quæ Moſes, narrare de magno diluvio, ac de Arca, in qua Noachus generis noſtri Auctor ſervatus eſt, inſignemque Beroſi locum recitat. Abydeni Aſſyriorum hiſtorici locum itidem inſignem ſervaverunt Euſebius (*b*), & Cyrillus (*c*). Eo in loco Noemus vocatur Siſithrus. Aves memorat emiſſas ex navi cum iiſdem propemodum, quibus Moſes, circumſtantiis. Concludit navigium in Armeniam perveniſſe. Clarius quoque eadem narrat Alexander Polyhiſtor (*d*), ubi & Noe item Siſithrus dicitur, & ſub eo fuiſſe magnum diluvium, & fabricatam ab eo Arcam prænunciante Saturno, & in ipſa una cum volucribus, ac jumentis ſervatum. Apertiſſima quoque ſunt loca Plutarchi in libro *terreſtria, an aquatilia animantia plus habeant ſolertiæ*, & Luciani *de Dea Syria*, quæ deſcripſit citatus Grotius. Vere igitur Lactantius (*e*) ſcripſit, *factum eſſe diluvium ad perdendam, tollendamque ex orbe malitiam, conſtat inter omnes: id enim & Philoſophi, Poetæ, Scriptoreſque rerum antiquarum loquuntur, in eoque maxime cum Prophetarum ſermone conſentiunt*. Jam ceteræ quoque nationes diſtinctiſſime memoriam diluvii adhuc ſervant. Jaus Sinenſium reparator humani generis poſt cladem illam, quam cæli ruina adumbrant, is Noachus eſt. Americani ſciunt, & narrant, extincta olim fuiſſe animalia omnia, unico homine generis humani inſtauratore in Arca,

(a) *De Verit. Relig. Chriſt. lib.* 1. §. 16.
(b) *Lib.* 9. *Præparat. cap.* 12.
(c) *Lib.* 1. *adverſus Julian.*
(d) *Apud B. Cyrillum loco cit.* (e) *Lib.* 2. *cap.* 10.

ca, cum familia, multiſque animalibus ſervato, uti pluribus narrant Joſephus a Coſta, & Antonius Herrera (*a*). Idem perenni traditione tradunt Huttentotti Incolæ capitis Bonæ ſpei, quemadmodum retulit Andreas Kolbi in deſcriptione capitis Bonæ ſpei.

Unde vero aquæ emerſerint, parum intereſt ſcire. Neque vero etiam ſi ignoremus unde tanta aquarum vis nata ſit, idcirco factum negare poſſumus, quum infinitæ ſuppetant Deo rationes, quibus id efficere potuerit. Opponuntur antiquitates quarumdam nationum. Facile eſt eas aut vanitatis, aut falſitatis convincere, quando conſtat, nec contemporaneis hiſtoriis fulciri, & antiquas omnes nationes ſumma contentione laboraſſe, ut antiquiſſimæ omnium viderentur, quod controverſiæ Ægyptiorum, & Scytharum memoratæ Herodoto, Diodoro Siculo, & Juſtiuo Trogi ſatis docent.

Illud paullo difficilius explicatu videtur, quum animantium non aquaticorum genera uno Noetico navilio contenta fuerint, nec ullum ejus generis animal diluvium evaſerit; unde Inſulæ, & quidem a mare diſſitæ, atque in primis ipſa America, hæc animantia habere potuerunt? Id ut evaderent viri quidam eruditi cenſuere aquas diluvii intra Aſiam tantum conſtitiſſe in iis ſcilicet Regionibus, quæ inter quatuor ſunt maria, Perſicum, Caſpium, Euxinum, & Syriacum. Ea fuit opinio Eduardi Stillingfleeti (*b*). Sed e diametro cum Moſaica narratione pugnat. I. Deus diſerte jubet ex omni carne, & omni animante paria quædam in Arcam intromittere ad ſpeciem conſervandam (*c*), quod & Noachus fecit. Quem vero in finem? Nam ex aliis regionibus, ſi diluvium futurum fuiſſet particulare, haberi poterant animantium ſpecies. II. (*d*) Omnia in univerſo terrarum orbe animantia periiſſe diſerte itidem perhibet Moſes. III. Quod eſt peremtorium, altiſſimos montes texit diluvii aqua, etiam Armeniæ, qui totius Aſiæ ſunt eminentiſſimi, & in quibus Arca conſedit; quod ſtare non poteſt cum ſuperiori hypotheſi, niſi miraculum Diluvio majus Deum feciſſe dicamus, cohibendo

 unde-

(a) *Decad.* 1. *lib.* 9. *c.* 4. *Vide & deſcript. Ludoviciana Voyages au Nort tom.* 5.
(b) *In Originib. ſacris lib.* 3. *cap.* 4. §. 3.
(c) *Geneſ.* 6. 19. (d) *Geneſ.* 7. 21.

undequaque aquas ne illaberentur in ſubjectas Regiones. De commento Burnetiano nihil in hoc loco dicimus, de quo vide diſſertationem noſtram *de origine rerum corporearum* tom. v. horum elementorum.

Dubitandum ergo non eſt, & diluvium omnem undequaque tellurem occupaſſe, & nullum vivens niſi in Noetica Arca evaſiſſe. Unde vero, inquis, animantia minime aquatica in inſulas prorepſere? Plures eſſe cauſæ potuere. Prima, ut navigatione repleri hominibus diſſitæ inſulæ, ita animantibus brutis navi tranſvectis, potuerunt. Nam in America ignotum fuiſſe equorum genus ad Hiſpanorum uſque adventum, conſtat inter omnes. Interea adeo ſunt hodie in ea multiplicati, ut gregatim paſcant, atque ſilveſtres evaſerint, uti in eo itinerario relatum eſt, quod ad calcem itinerarii Anſoni nuper eſt editum. II. Plures inſulæ poſt diluvium illud univerſale, aut peculiaribus aliis diluviis, aut terræ motibus a Continente diſterminatæ ſunt. Siciliam ab Italia abſciſſam præter alios memorat Juſtinus (*a*). Britanniam Galliæ continentem fuiſſe inter Dubrim, & Caletum, Riccardus Verſtegen *de Gentium origine* multis probat (*b*). Diluvio Atlantico Americam ab Africa avulſam, ex Platone dudum collegere viri docti. Diluvio Cimbrico multas in ſinu Condano inſulas emerſas *Ariſtotelis* ævo ex III. Eudemiorum (*c*) colligimus facile. Sed quod ſpectat ad Americam non dubito navigatione præcipue excultam. Plures antiquitus Phœnices, & Carthaginenſes Africæ littora legentes, circumiſſe, atque ſuperato Capite Bonæ ſpei per fretum Gaditanum ad Oſtia Nili appuliſſe, diſcimus ex Herodoto, & Diodoro Siculo. Ignota veteribus fuit pixis nautica: itaque facile fuit vento in Americam deferri, unde redire neſcierint. Sed & veſtigia quædam aut vetuſtiſſimi cum Americanis commercii, aut cognitionis ſaltem qualiſcumque ejus gentis, in Theopompi Chii fragmento, quod ſervavit Ælianus (*d*), reperiuntur, fabulis licet infuſcata. Quem locum ubi docti penſiculatius legerint, idem opinor, judicium ferent. Vixit autem Theopompus iſte temporibus Philippi Macedonis. Vide Voſſium de Hiſtoricis Græcis.

Con-

(a) *Lib.* 5.
(b) *Vide & Buffon Theoria Telluris tom.* 1. *hiſt. nat.*
(c) *Cap.* 1. (d) *De varia hiſt. lib.* 3. *cap.* 18.

Confirmant hæc mirifice quæ de Ludoviciana & Canadenſibus relata ſunt ab iis, qui ejus nationis mores & traditiones diligenter perſcrutati ſunt (*a*). Nam præterquam quod plurima populi illi memorant eodem prorſus modo, quo in hiſtoria Moſaica leguntur, mores quoque aliquos habent judaicis ſimillimos (*b*).

Pluribus modis ſeptimo argumento reſponderunt viri docti. Quidam opinati ſunt primos Africæ incolas paullatim nigreſcere cœpiſſe ob calorem climatis, atque ſic progeniem deinde ſemper nigriorem dediſſe. Ita Hiſtorici Angli in Coſmogonia. Sed cum ſub eodem climate, ideſt ſub linea æquinoctiali, vel circa, nationes ſint ſubalbo colore, non videtur hæc reſponſio omnem auferre difficultatem. Alii ſuſpicantur ex corrupta phantaſia primæ alicujus fœminæ Africanæ natos primos Africæ mortales nigros, non ſecus atque oves Jacobi, quæ fuſcæ ex imaginibus naſcebantur. Nec abhorret a veroſimili hæc opinio. Sed id videtur explicatu difficillimum, qui fieri potuerit in tanta generis humani multitudine, ut apud Afros tantum hæc phantaſiæ immutatio provenerit. Veteres quidam ad miraculum confugiebant, volebantque Æthiopes natos ex Cham, cujus filius Chanaan fuit a Deo maledictus: ex hac maledictione nigrum profluxiſſe colorem cenſebant. Sed eam habet difficultatem hæc opinio, quod Chananæi ipſi ex Cham fuerunt oriundi, nec tamen nigri. Quæ cum ſint fatebimur ingenue, nos ignorare unde Africanorum niger color primum manaverit: ſed non videmus quid ea ex re pro cauſa ſua deducere poſſint Deiſtæ. Infinitæ in natura eſſe potuerunt cauſæ, ex quibus color iſte primum ſit natus. Qui hiſtoriam naturalem ſcribunt, obſervant, ante ducentos annos unum in Europa floris Tulipæ genus extitiſſe; quum nunc infinita evaſerint colore, ac figura a ſe diſcrepantia. Climatum diverſitas fecit ut animantia unius ſpeciei in plures diſpeſcerentur. Itaque ut naturalibus cauſis fit, ut Sinenſes ſimi ſint, Groenlandi, & Lapones gracilibus cruribus, & ventricoſi, coloris vero cinericii; ita fieri potuit naturalibus cauſis, ut paul-

(a) *Deſcription de la Louiſiane.*
(b) *Vide diſſert. in* XII. *tom. hiſt. Univerſ. de origine Americanorum, & Laſiteau in opere ſæpius laudato.*

paullatim nigri homines provenerint. Quo circa tota mihi hæc argumentatio ineptiſſima videtur.

Octavum argumentum hoc unum probat, Hebræorum vulgus homines fuiſſe bardos, ingratos, & duræ cervicis, quod iis paſſim exprobrant Prophetæ, ſed non video qui poſſit miracula Moſaica labefactare.

Ad poſtremum argumentum non eſt admodum difficile reſpondere, modo duo obſervaverimus, Deum nec in naturæ ordine, nec in eo, quem *gratiæ* vocant Theologi, tota ſua potentia, aut præſcientia agere, ſed certas ſibi ſtatuiſſe leges, quibus conſtanter ageret. Itaque quum rerum naturam ictu oculi non creare modo, ſed ordinare, & ſubornare poſſet, ſex illam diebus perficere voluit. Homines *flatu*, ut verbis utar Jobi, *delere* potuit: cauſis tamen naturæ uti amavit. Ad pietatem atque virtutem nos trahere intimitus, ac ſine ullis vocalibus legibus poſſet: ſed hanc illi viam & rationem jungit. Quæ quum ſint, cui mirum erit eadem methodo uſum in Moſaica legislatione? Quod non præmonuerit Moſem populi perduellionis, ex eadem cauſa, quam dixi, factum eſt; quod ſcilicet ſtatuerit ſuſceptum ſemel ordinem ſequi, quin futurorum præſcientia de illo deturbaretur. Atque hæc ego ſatis eſſe puto ad poſtremum argumentum. Nam quod quidam recentiores profani addunt, ſeceſſionem hanc Moſis, ejuſque ſecreta cum Deo in monte colloqui perſimili eſſe Mahummedis in cælum itineri, id ſceleſtius faciunt, quam ut ſerio refelli mereantur. Nam qui ejus Mahummedis itineris fuere teſtes? Quæ illud miracula firmarunt? At ejus Moſis facinoris totus populus teſtis fuit oculatus: ac ne qua deluſi dici poſſint, quadraginta abfuit dies, quum impoſtor Arabicus intra paucas horas tantas res confecerit ut is prædicabat. Præterea totus Sinaï tot portentorum generibus ſatis teſtabatur nihil illic fieri, niſi divinitus.

His argumentis addunt, nihil eorum, quæ in Pentateucho narrantur, a coævis ſcriptoribus fuiſſe traditum: nam quæ Geneſi continentur 2500. ſaltem annis antiquiora ſunt, quam is, quicumque eam hiſtoriam ſcripſit. Literas tota ea barbara ætate ignotas fuiſſe, ſunt, quibus placet; ſola ergo traditione tam vetera ſciri poterant. Ecquis autem ignorare poteſt quantopere inter agreſtes gentes ea, quæ longa traditione ad poſteros tranſmeant, corrumpi ſoleant? Sed ne ea quidem quæ in Exodo ſunt relata, ab oculatis te-

ſtibus narrantur: Auctor enim Exodi ſcribere videtur poſtquam videlicet Chananitide Judæi potiti eſſent (*a*), quod contigit poſtquam eorum omnium, qui ex Ægypto demigraverant, duo tantum ſupererant. Potuere igitur omnia exornatiora prodire, quæque erant humana arte opeque geſta, velut divinitus procurata efferri.

Qui hæc ita objiciunt iis mihi ſimiles eſſe videntur, qui ſomnia, quæ interciſe recordantur, narrant, quorum nec pes uni, nec caput, ut ait ille, reddatur formæ. Itaque moneo, ut ad memoriam redeant. Moſem Judæis legem tuliſſe eſt quis tam audax, qui inficiari queat? At ea facta, quæ iſti ſubornatiora prodidiſſe ajunt, tam arcte cum iis ſunt conjuncta legibus, ut nequeant eſſe falſa, quin tota legum hiſtoria falſa ſit. Quin nec ſine iis miraculis exiſſent ex Ægypto Judæi, nec ultra in tantis & viæ laboribus, & victus difficultatibus perrexiſſent, adeo erant pervicaces: nec poſtremo tam ſeveris ſe legibus ſubmiſiſſent, Itaque ſeu illa primum annalium in morem a Moſe, quod conſuevere veteres, ſcripta ſint, dehinc ampliori & nitidiori opere vulgata per poſteriores prophetas; ſeu, quod ſimilius vero eſt, ita exarata, ut hodie exſtant, ad hiſtoriæ veracitatem nihil intereſt. Nam quæ loca indicare videntur, ſero tandem totam illam hiſtoriam fuiſſe compilatam, facile eſt animadvertere ab iis fuiſſe addita, qui ſubinde veteres codices publica auctoritate inſtaurarunt (*b*). Sed id in primis velim ſuperioris argumenti conſarcinatores conſiderare, quod heic ſubnecto.

Canticum Moſis, quod exſtat in xv. Exodi, tam eſſe antiquum oportet, quam ea fuere geſta, quæ illo memorantur: nam ſuevere veteres populi adhuc litterarum rudes præclare facta odis & canticis & celebrare, & poſteritati demandare. Id conſtat ex pluribus Homeri locis: conſtat ex fragmentis veteris hiſtoriæ (*c*). Sed idem conſueſcunt hodie barbaræ gentes: nec alii iis annales. Tota ferme hiſtoria Peruana & Meſſicana hujuſmodi odis perpetuabatur, ut eorum populorum hiſtorici tradunt. Quæ quum ſint,

(a) *Vide quæ referuntur ad calcem capitis* XVI.

(b) *Vide Huet. Demonſt. Evang. prop.* IV. *&* *Simon. in hiſt. Crit. Vet. Teſt.*

(c) *Vide Tacitum* de moribus Germanorum. *Ariſt. Prob. ſect.* 19. *probl.* 28.

ſint, neceſſe eſt, ut res eo cantico celebratæ ſic ſe habuerint, ut expreſſæ ſunt: nam quis ſibi perſuadeat tantum populum eam rem tam ſolemniter celebrare voluiſſe, quæ numquam acciderat? Hæc aperte monſtrant, geſtorum Moſaicorum hiſtoriam nullo modo ab iis fuiſſe depravatam, qui iis rebus non interfuerant.

Sed qui, inquiunt, reſcire Moſes potuit, quæ ab orbe condito ad ſuam uſque ætatem acciderant? Facili prorſus negotio. Principio ajo, nullo nobis modo conſtare ignotas toto eo tempore fuiſſe literas: quin ſcribendi artem notam fuiſſe Ægyptiis, quum ibi commorarentur Judæi, plurima perſuadent, quæ viri docti collegere (*a*). Sethi columnas memorat Joſephus in Judaicis antiquitatibus; quas ut quidem viri docti aut rideant, aut aliorſum vertant (*b*); ambigere tamen non poſſumus, quin rem veriſimilem Judaicus hiſtoricus narret: neque enim mihi unquam perſuaſerim artem literas quoquo modo pingendi veteri ante diluvium ætate penitus inexploratam fuiſſe. Deinde, quod ſuperius dixi, mos canticis præclare facta concelebrandi poſteriſque tradendi tam antiquus fuit, ut exiſtimaverim cum ipſo mundo natum. Iis contineri potuerunt, quæ Moſes perſcripſit. Poſtremo, utcumque ſuperiora æſtimentur, illud certum eſt, veterum earum rerum memoriam tribus aut quatuor teſtibus oculatis integram ad Moſem pervenire potuiſſe: nam Mathuſala ipſo diluvii anno exceſſit e vita; qui quum primis mortalibus familiariter uti potuerit, unus is homo totius ejus temporis hiſtoricus fuit coævus. Tum cum eo Noemus, ejuſque liberi converſati ſunt; ex quibus ad Thare Abrahami patrem atque hinc in totam Jacobi familiam vetuſtæ memoriæ pervenire potuerunt.

Ajunt jam vero. Moſes Judæos ex Ægyptiaca ſervitute vindicare voluit. Erant autem ei ſexcenta millia peditum, quot non duxit Cambyſes, quum Ægyptum expoliavit. Aderat Dei favor, quo ſolo Ægyptios potuit comprimere. Cur maluit in arenoſa deſerta migrare, quam Ægypto potiri, omnium, quæ uſpiam ſunt, regionum uberrima?

Reſpondeo, ſi Moſes, non Dei imperio totam eam rem eſſet aggreſſus, ſed ipſe per ſe machinatus fuiſſet, facilius haud dubium fuiſſet Ægypto potiri, quam inde tanta

(a) *Vide Jaquelot. de exſiſt. & attrib. Dei.*
(b) *Vide Huet. Dem. Evang. prop.* IV.

ta cum multitudine abire. Sed Dei juſſa capeſſenda erant. Cur autem hoc potius, quam illud Deus præceperit, in promtu eſt ratio: Chananitidem ſcilicet Abrahæ, ejuſque natis promiſerat. Quum id ſtatuiſſet, erat, ut ita dicam, in fatis, ut eo Judæi remigrarent, unde olim venerant: mentiri ea non poterant.

Sed ecce Achilleo nos, ut iis quidem videtur, argumento petunt. Armis, ferro nempe, & igne, pietatem ac religionem in animis humanis progignere longe a Dei abeſt conſiliis: longe ab ejus providentia. Itaque hoc in in primis Chriſtiani Mahummedanis objiciunt, quo evincant, Mahummedem a Deo non fuiſſe miſſum. Cur ergo Moſes tam atrocia bella geſſit, quo cultus Judaicus prolataretur? Cur tot excidit nationes?

Verum hoc quoque argumentum *ignorationem*, ut ajunt, *Elenchi* peccat. Adeone Chriſtianæ religionis hoſtes ejus hiſtoriæ imperitos dicam, quam illi tam vehementer oppugnant? Nam nulla bella geſſiſſe Moſem ad religionem fundandam, aut prolatandam, iis eſſe poteſt ignotum, qui non dicam legerunt unquam, ſed ne fando quidem Pentateuchum audivere. Bella quidem geſſit, ut Chananæa potiretur: ſeu, ut ad illam aditum ſibi aperiret, ſeu ut eos inde dejiceret, qui non jure poſſidebant. Ut pietatem & religionem ulla in gente, præterquam in Judæa, conſtitueret, nulla geſſit. Sed ne cum Judæis quidem armis uſus eſt: eos enim & vetus traditio pietatem & veram religionem docuerat: & ſi quæ Ægyptiaca ſuperſtitio adhæſerat, miracula & doctrina depurgaverunt. Quod ſi quando eorum ſcelera ferro ultus eſt, id legis ſanctio poſcebat.

CAPUT XVII.

Codex Legum Moſaicarum.

MOſaicarum nunc legum ſanctitatem demonſtraturi, operæ pretium facturos exiſtimamus paucis eas verbis prius indicare, ac quaſi ſub oculos legentium ponere, ut quid ſimus defenſuri ſatis inter utramque partem conſtet. Nam qui amplæ legislationis has, aut illas particulas diſſociant, aut diſſecant, ut pervideri nequeat, quo inter ſe concentu conſentiant, iis perfacile eſt illas aut vituperare, aut tamquam iniquas criminari; quod efficere, niſi impuden-

dentiſſime, nequit is, qui uno omnes obtutu intuitus fuerit, earumque & finem, & officium probe perſpexerit. Judæorum doctores Moſaicas leges in *vigintiquatuor*, ut ajunt, *domos* contulere: quas quæque domus complectatur Simon Epiſcopius, parvo hoc, quem ego heic exſcribendum curavi (*), codice docuit. Porro quum legum aliæ ſint *vetantes*, aliæ, ut ait Cicero, *cogentes*, quas noſtri *negativas*, & *affirmativas* vocavere, primo hujus codicis loco cogentes, poſteriori vetantes collegerunt. Ac quamquam earum legum ſunt quædam, quas haud diſerte Moſes docuit, ſed Rabbini ipſi ex Pentateuchi locis excuderunt; quum tamen earum fundamenta ſint leges ipſæ Moſaicæ, nihil ego veritus ſum ita in hoc codice eas exhibere, ut illæ ab iis ſunt conſcriptæ.

Prima Domus præceptorum affirmativorum, quæ eſt Domus divini cultus, & xx. præceptis conſtat.

PRima domus eſt domus divini cultus, ſive Θεοσεβειας: & continet ex Rabbinorum partitione hæc ſequentia viginti præcepta.

I. Ut credamus, & cognoſcamus Deum eſſe, id eſt eſſe ens ſummæ perfectionis, & neceſſariæ exſiſtentiæ: juxta id quod eſt in Exodo (a) *Ego ſum Dominus Deus tuus*. (1)

(1) *Eſt proemium legis. A Deo autem exordiendum erat, quo ejus legislationis fundamentum eſſet inconcuſſum. Id cognovere & Ethnici legislatores omnes. Hinc illud loco proverbii veteribus uſurpatum fuit*, ab Jove principium. *Certe ſi tot rerum humanarum elapſa ſæcula quidquam, quod generis humani intereſt, conficiunt; hoc eſſe in primis perſpicuum debet, nullam nec naſci primum, nec ſtare Remp. poſſe ſine Dei cultu; quando nulla reperta hucuſque eſt, quæ aut ſine religione coiret, aut coacta ſemel, deinceps ſtaret. Plato de legibus lib.* x. *pulcherrimam legum præfationem eſſe ait hanc:* ως θεοι τ' εισι αγαθοι, και δικην τιμωντες quod Dei ſunt, & boni, & juſtitiam venerantes. *Vide eumd. in Minos. Et Cicero lib.* II. *de legibus*. Sit hoc a principio perſuaſum civibus, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores deos.

II. Ut credamus Deum unum eſſe, juxta id quod eſt in Deu-

(*) *In Inſtitut. Theol. lib.* 1. (a) xx. 2.

Deuter. (*a*) *Audi Iſrael: Dominus Deus tuus, Dominus unus eſt* (2):

(2) *Adnotatione dignum eſt, nec veteres, quæ Moſis tempore erant, Reſp. nec quæ deinceps fuere, ullas uno Numine fuiſſe contentas. Ægyptiacæ, Arabes, Phœniciæ, Aſſyriæ vel id temporibus, plurium, ſæpe abſurdorum, numinum cultu tenebantur. Idem Legislatores Græci, Romanique, Minos, Solon, Lycurgus, Numa ſanxerunt. Reſpublica igitur Judaica, in qua* unum numen, & ſola mente, *ut ait Tacitus, colebatur, ipſis fundamentis ab omnibus aliis diſtabat.*

III. Ut Deum diligamus: juxta id quod in Deut. (*b*) legitur: *Diliges ergo Jehovah Deum tuum, toto corde tuo, tota anima tua, & tota fortitudine tua.* Vide etiam Deut. (*c*).

IV. Ut Deum timeamus: juxta id quod in Deut. legitur: (*d*) *Dominum Deum tuum timebis:* aliaque in eamdem ſententiam (3).

(3) *Cicero* de legibus II. QUI SECUS FAXIT, DEUS IPSE VINDEX ERIT... Quod autem non homo judex, ſed Deus, ipſe vindex conſtituitur; præſentis pœnæ metu religio confirmari videtur.

V. Ut in triſtibus, & adverſis juſtitiæ divinæ laudem ſuam tribuamus: ideſt ut agnoſcamus Deum pro ſumma ſua ratione etiam piiſſimis mala, atque adverſa poſſe immittere, aut ut iſta iis eveniant permittere: juxta id quod legitur in Deuter. (*e*) *Ut ſcias in corde tuo, quod quemadmodum corripit homo filium ſuum, Dominus Deus tuus corripiat te.*

VI. Ut invocemus, & preces fundamus ad Deum: juxta id quod legitur in Exod. (*f*) *Sed coletis Dominum Deum veſtrum,* & quidem uti exponitur in Deut. (*g*) *cum toto corde veſtro, & cum tota anima veſtra* (4).

(4) *Lex Ciceroniana de legibus* II. AD DIVOS ADEUNTO CASTE: PIETATEM ADHIBENTO.... Caſte jubet lex adire ad Deos, animo videlicet, in quo ſunt omnia. *Memcrat Porphyrius apud Epidauros fuiſſe in aditu Templi inſcriptum:*

Αγνον χρη ναοιο θυωδεος εντος ιοντα
Εμμεναι, ἁγνειη δ᾽ εςι φρονειν ὁσια.

VII.

(a) VI. 4. & XXXII. 39. (b) VI. 5. (c) X. 12.
(d) VI. 13. (e) VIII. 5. (f) XXIII. 25. (g) XI. 13.

VII. Ut Domino adhæreamus, aut cum eo conglutinemur: juxta id, quod legitur in Deut. (*a*)

VIII. Ut per nomen Domini juremus: juxta id quod eſt in Exod. (*b*), & in Deuter. (*c*) *& per nomen ejus jurabis.*

IX. Ut ambulemus in viis Domini: juxta id quod legitur Deuter. (*d*) *Et ambulabis in viis ejus.*

X. Ut ſanctificemus nomen Domini: juxta id quod legitur Levit. (*e*) *Et ſanctificabor in medio filiorum Iſrael.*

XI. Ut unoquoque die bis recitetur *Semah Iſrael &c.* juxta id quod legitur in Deuter. (*f*) *Et loqueris in* (ideſt) *de eis in accumbendo te, & in ſurgendo.*

XII. Ut legem Dei tum ipſi diſcamus, tum alios doceamus, juxta id quod legitur Deuter. (*g*) *Diſcite ea, & cuſtodite faciendo ea. Et docete ea filios veſtros.* Per filios autem tam liberi, quam diſcipuli intelliguntur ex traditione, ſive cabala.

XIII. Ut ponamus Thephilin in capite: juxta illud Deuter. (*h*) *Et erunt pro Thephilin inter oculos tuos* (5).

(5) *Thephilin vocant Judæi, quod Græci* φυλακτηρια: *ſunt pergamenæ, in quibus recentiores Judæi fruſtula quædam legis ſcribunt, eaſque fronti, & manus carpo ligant; ita hoc Exodi & Deuteronomii præceptum ſecundum literam capientes. At præceptum nihil aliud continet, niſi ut Dei legem perpetuo memoria atque animo teneamus: nam ubi leges ex animo excidunt, eæ nullam amplius vim habere poſſunt ad nos regendos.*

XIV. Ut Thephilin *Brachio* alligentur: juxta illud, quod ibidem legitur: *Et ligabis ea in ſignum ſuper manu tua* (6).

(6) *Et hoc Rabbinicum eſt, qui hæc carnaliter intellexere. Nam ſenſus eſt præcepti, ut opera ipſa legem colamus.*

XV. Ut faciamus *tſitſith*, ſeu fimbrias in veſtibus, quæ eſſent memorialia ſigna receptæ a Deo legis, juxta id quod legitur Num. (*i*) & Deuter. (*k*) (7)

(7) *S. Hieronymus ad Matt. c. 23. ſcribit, has fimbrias Judæis fuiſſe inſtar teſſerarum, quibus corpore ſecernerentur ab aliis nationibus, ut animo circumciſione. Sed Herodotus lib.* II.

(a) x. 20. (b) vi. 13. (c) x. 20.
(d) xxviii. 9. (e) xxii. 32.
(f) vi. 7. & xi. 19. (g) v. 1. & xi. 18.
(h) vi. 8. (i) xv. 38. 39. 40. (k) xxii. 12.

II. *teſtificatur, Ægyptios tunicas fimbriatas geſtaſſe, eaſque* καλασιοις *vocitaſſe.*

XVI. Ut ponamus *Mezuza* in januis, ſive portis ædium noſtrarum: juxta illud Deuter. (*a*) *Et ſcribes ea ſuper poſtibus domus tuæ, & in portis tuis* (8).

(8) *Et hoc præceptum ex illis eſt, quæ repagula legis moralis dici poſſunt, ſcilicet ad eam memoria continendam. Vide Epiſcopium. Phariſæi tempore Chriſti in his præceptis explicandis inculcandiſque, quam in moralibus, toti erant, uſque adeo, ut hæc illis præferre viderentur. Eo pertinet, quod Chriſtus iis improperat, ſuis traditionibus Dei legem depravaſſe. Eo quoque ſpectat aliquando, quod ait Paullus,* littera occidit. *Nam Judæi hoc cæremoniarum cortice contenti, pietatem & juſtitiam ex animis obliteraverant. Ezechiel ait Deum duorum generum præcepta Judæis dediſſe, alia* in quibus viverent, *quæ* moralia *ſunt: altera*, in quibus non viverent, *quæ nimirum ſepes eſſent moralium, nec ipſa per ſe ab illis præciſa vim ullam ad pietatem & juſtitiam afferrent, Conſule Nat. Alex. in hiſt. Vet. Teſt.*

XVII. Ut convocetur populus ad audiendum legis lectionem in fine Scenopegias, ſive Feſti tabernaculorum; ſive potius ſeptimi anni, quo terra inculta quaſi requieverat: juxta id quod legitur Deuter. (*b*) *Fac congregari populum, viros, & mulieres, & familiam, & peregrinum tuum, qui eſt in portis tuis, ut audiant, & diſcant, & ut timeant Dominum Deum veſtrum, & cuſtodiant faciendo omnia verba legis hujus, &c.*

XVIII. Ut quilibet *Sepher Torah*, ſive librum legis propria manu ſua deſcriptum, atque exaratum ſibi habeat, juxta illud Deut. 31. 19. *Et nunc ſcribite vobis canticum iſtud, & doce illud filios Iſrael, & pone illud in ore illorum; ut ſit mihi canticum iſtud in teſtem in filios Iſrael* (9).

(9) *Heic Rabbini ex peculiari præcepto genericum fecere. Utcumque ſit, laudari ſatis hæc lex nequit: Leges enim quum omnium civium ſint vivendi regulæ; ab omnibus ſciri debent. Hinc apud veteres in publicis tabulis exponebantur. Vide Plat. in Minos. Habet hoc duplicem utilitatem: nam & ſinguli leges callentes, ubi violant, ignorantiam prætendere nequeunt: & ſui juris ſcientes facile non eſt a judicibus deludificari. Utrumque hoc in iis civitatibus,*

(a) v. 9. (b) XXXI. 12.

ubi leges ſapientum tantum ſunt ſtudium, res humanas miris modis perturbat.

XIX. Ut Rex ſibi ipſi alterum *Sepher Thorah*, ſive legis librum, præter particularem, deſcribat, ac penes ſe ſemper habeat: juxta id quod legitur Deuter. (*a*) *Et cum ſedebit Rex ſuper ſolium regni ſui, ſcribet ſibi duplum legis hujus ſuper libro coram Sacerdotibus Levitis. Et erit cum eo, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ &c.* (10).

(10) *Ariſtoteles Spartana, & Cretenſia inſtituta reprehendit, ubi ſæpe magnæ res, non ſcripta lege, ſed arbitrio definiebantur: de Rep. l. II. cap. 7. & 8. Lex ſcilicet certa eſt: arbitrium aut ignorantiam ſequitur, aut affectibus paret. Id igitur in optimo Reip. ſtatu cavendum exiſtimavit Moſes.*

XX. Ut cibum ſumturi benedicamus Domino: juxta illud Deuter. (*b*) *Et comedes, & ſaturaberis, & benedices Domino Deo tuo, ſuper terra bona, quam dedit tibi.*

Domus ſecunda præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus Sanctuarii, & Sacerdotii, & XIX. præceptis conſtat.

I. PRæceptum eſt, ut exſtruatur domus ſancta, & dedicetur Domino Deo, juxta illud Exodi (*c*): *Et facient mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum* (11).

(11 *Cicero loco ſuperius citato: „Deorum delubra eſſe in „ urbibus cenſeo: nec ſequor magos Perſarum, quibus au„ ctoribus Xerſes inflammaſſe templa Græciæ dicitur, quod „ parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent eſſe „ patentia & libera, quorumque hic mundus templum eſ„ ſet, & domus. Melius Græci atque noſtri, qui ut auge„ rent pietatem in Deos, eaſdem illas urbes, quas nos, in„ colere voluerunt: adfert enim hæc opinio religionem uti„ lem civitatibus: ſiquidem & illud bene dictum eſt a Py„ thagora doctiſſimo viro, tum maxime & pietatem, & re„ ligionem verſari in animis, quum rebus divinis operam „ daremus: & quod Thales, qui ſapientiſſimus in ſeptem „ fuit, homines exiſtimare oportere, omnia, quæ cernerentur, „ Deorum eſſe plena: fore enim omnes caſtiores veluti qui in „ fanis eſſent maxime religioſi. Eſt enim quadam opinione „ ſpecies Deorum in oculis, non ſolum in mentibus. „ Quod verum eſt, ubi ea in templis divinitas colitur, quæ vera eſt, quæ-*

(a) XVII. 18. (b) VIII. 10. (c) XXV. 8.

quæque ſola & mundum continet, & ejus pietatis in animis noſtris eſt effectrix, quæ ſervari nequit a juſtitia, humanitate, omnique alia virtute ſejuncta. At ubi ea coluntur numina, quæ omnis turpitudinis ſint exemplaria, ut apud Ægyptios, Græcos, Latinos, aliaſque nationes factum eſt, ex eo cultu non ſolum nullam opem ſperare poteſt Reſp., ſed perniciem timere debet: quod ſcilicet vera pietate excuſſa, ne juſtitia quidem eſſe poteſt ulla, nec ulla alia virtus; ſine qua ad cives continendos quid leges valent civiles?

II. Ut Sanctuarium revereantur, ſeu reverenter habeant: juxta id quod legitur Lev. (*a*): *Et ſanctuarium meum reverebimini. Ego Dominus*, ſimiliter Cap. 26. 2.

III. Et cuſtodia templi perpetua ſit penes Sacerdotes, & Levitas: in Num. (*b*)

IV. Ut miniſteria templi penes Levitas ſint: juxta illud quod legitur in Num. (*c*) (12)

(12) *Et hoc apud Ægyptios, Aſſyrios, Lacedæmonios, Athenienſes, aliaſque nationes ſtatutum erat, ut Sacerdotum genus eſſet aliquod certum & conſtans, qui ſoli divinis rebus vacarent. Quid, quod idem in Peruana & Mexicana Republica in more fuiſſe repererimus? Ariſtoteles l.* 2. *Politicæ eas civitates reprehendit, in quibus homines ad plura ſimul munia vocantur.*

V. Ut Sacerdotes miniſtraturi in templo, lavent primum manus, & pedes: in Exod. (*d*) (13)

(13) *Hoc ipſum uſitatiſſimum fuit apud Ægyptios, Babylonios, Græcos. Vide Herodotum lib.* I. *&* II. *& Meurſium in Eleuſiniis c.* 7. *præterea ſolemne erat in omnibus myſteriis. Tibullus lib.* II. *Eleg.* 1.

Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

VI. Ut Sacerdotes candelas in templo ordinent, & accendant: In Exod. (*e*)

VII. Ut Sacordotes benedicant populo Iſraelis ex formula: Num. (*f*)

VIII. Ut quolibet Sabbatho panes facierum (14) redintegrentur, & incenſum fiat, juxta illud quod legitur Exod. (*g*), & Levit. (*h*)

V 2 (14)

(a) XIX. 30. (b) XVIII. 2. & 4. (c) XVIII. 23. (d) XXX. 19. (e) XXVII. 21. (f) VI. 23. (g) XXV. 30. (h) XXIV. 6.

(14) *Panes facierum, pro panibus, qui perpetuo coram Deo eſſe debebant interpretatur Epiſcopius.*

IX. Ut quolibet die bis adoleant ſuffitum ſuper altari aureo, mane, & veſpere: in Exod. (*a*)

X. Ut ignis in altari perpetuo ſuccenſus ardeat: in Levit. (*b*)

XI. Ut cineres quotidie removeant ab altari: juxta illud Levit. (*c*)

XII. Ut immundos ſubmoveant, aut arceant a caſtris, ſive a templo: ex Num. (*d*) & Deut. (*e*).

XIII. Ut in rebus, ac negotiis omnibus ſacris, honoris prærogativa ſit penes Aaronis poſteros: juxta illud Lev. (*f*): *Et ſanctificabis eum, quia panem Dei tui offert.*

XIV. Ut Sacerdotes induantur veſtibus, quæ proprie dicatæ ſunt iſti, quod obituri ſunt, miniſterio: Exod. (*g*)

XV. Ut Arca Fœderis in humeros ſublata portetur: juxta illud Num. (*h*) *Filii autem Kebar non dedit* (Moſes ſcilicet portionem ex plauſtris, & bobus quæ Principum donaria erant, & diſtributa erant inter Levitas) *quia ſervitium ſanctitatis erat ſuper illos, in humero ferebant*, aut *ferent*, arcam ſcilicet Fœderis.

XVI. Ut oleum unctionis fiat ad ungendum Sacerdotes, & Reges: Exod. (*i*)

XVII. Ut Sacerdotum familiæ ſingulæ per vices miniſteria ſua in templo obeant: at ſimul omnes junctæ miniſtrent in tribus anni ſolemnibus Feſtis: juxta id quod legitur in Deuter. (*k*)

XVIII. Ut Sacerdotes ſe contaminent propter defunctos cognatos, & conſanguineos ſuos: & Iſrael lugeat mortuos ſuos: juxta illud Lev. (*l*) *Et in ſorore ſua virgine, quæ eſt propinqua ad eum, quæ non fuit viro, in ea contaminabitur.*

XIX. Ut Pontifex ducat uxorem virginem: juxta illud Lev. (*m*) (15)

(15) *Fuiſſe hanc legem & apud Atticos veteres memorat Potterus in Arch. G. Porro quod attinet ad iura Sacerdotum, eorumque munera, adeo illa ſunt neceſſaria, ut vix videatur religio integra & ſancte cuſtodiri poſſe ac ſervari, niſi*

(a) XXX. 7. 8. (b) VI. 12. 13. (c) VI. 10. (d) V. 2. (e) XXII. 10. (f) XXI. 8. (g) XXVII. 2. (h) VII. 9. (*i*) XXX. (k) XVIII. 6. (l) XXI. 13. (m) XXI.

niſi eâ ſarta tecta legislatio ſervet. Itaque nullibi gentium, ubi pietas & religio cognita ſit, non ei Sacerdotes ſacrati ſunt. Cicero in ea lege, quam optimæ civitati præſcribit, quamque ſæpe memoravimus, ſciſcit, RATIONE CURSUS ANNUOS SACERDOTES FINIUNTO: QUÆQUE QUOIQUE DIVO DECORÆ GRATEQUÆ SINT HOSTIÆ PROVIDENTO. DIVISQUE ALIIS SACERDOTES, OMNIBUSQUE PONTIFICES, SINGULIS, FLAMINES SUNTO.... QUOQUE HÆC PRIVATIM ET PUBLICE MODO RITUQUE FIANT, DISCUNTO IGNARIA PUBLICIS SACERDOTIBUS. EORUM AUTEM DUO GENERA SUNTO: UNUM, QUOD PRÆSIT CÆRIMONIIS ET SACRIS: ALTERUM, QUOD INTERPRETETUR FATIDICORUM ET VATUM EFFATA INCOGNITA, QUEM SENATUS POPULUSQUE ADSIVERIT.

Domus tertia præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus ſacrificiorum, & oblationum ſacrarum; & LVII. *præceptis conſtat.*

I. EST, ut quotidie juge ſacrificium offeratur. Exſtat in Exod. (*a*), & Num. (*b*)

II. Ut Pontifex ſive Sacerdos ſummus quotidie *Mincha*, munus, aut *Corban*, donum, ſeu donativum offerat, in Levit. (*c*)

III. Ut quolibet Sabbathi die offerantur duo agni anniculi perfecti: in Num. (*d*)

IV. Ut quolibet novilunio ſive menſis principio, ſacrificium addatur, quale deſcribitur in Num. (*e*)

V. Ut in feſto Paſchatis, ſacrificium ſpeciale addatur continuo, ſive jugi ſacrificio ſeptem diebus; quale deſcribitur in Levit. (*f*), & Num. (*g*) videlicet præter ſolemne ſacrificium *Peſach*.

VI. Ut in Feſto Pentecoſtes, ſive primitiarum, addatur ſacrificium peculiare de primitiis novi tritici, quale deſcribitur in Num. (*h*)

(a) XXIX. 38. (b) XXVIII. 2. 3. (c) VI. 20.
(d) XXVIII. 9. (e) XXVIII. 2.
(f) XXIII. 6. 7. &c.
(g) XXVIII. 19. (h) XXVIII. 26.

VII. Ut in principio anni (ideſt ſeptimo a Martio, ſed primo a creatione mundi) addatur ſacrificium peculiare, quale deſcribitur in Num. (*a*)

VIII. Similiter in die Kippur (ideſt decimo die *Tiſri*, ſive Septembris, quo feſtum expiationis magnum celebrabatur) juxta id quod legitur in Num. (*b*)

IX. Similiter in Feſto Tabernaculorum, ſive *Suchos* per ſeptem dies integros peculiaria addantur ſacrificia, quæ deſcribuntur in Levit. (*c*)

X. Similiter octava die, ideſt ultima Feſti Tabernaculorum, addatur ſacrificium, quale deſcribitur in Num. (*d*)

XI. Ut in Feſtis Paſchatis die ſecunda offeratur *Omer*, cum agno anniculo perfecto in holocauſtum: juxta id quod legitur in Levit. (*e*)

XII. Ut in Feſto Pentecoſtes duo panes novi offerantur, eaque, quæ eorum cauſſa adjuncta leguntur ſacrificia: in Levit. (*f*)

XIII. Ut miniſteria omnia in lege Levitici (*g*) præſcripta, ſolicite obeantur in ſolemni expiationis (Kippur) die.

XIV. Ut tribus vicibus in anno Feſtum agatur Domino: in Exod. (*h*)

XV. Ut maſculus omnis in Feſtis iſtis compareat *in templo*: ex Deuter. (*i*)

XVI. Ut ſe exhilarent, & lætentur in Feſtis iſtis tribus: ex Deuter. (*k*)

XVII. Ut agnus Paſchalis mactetur, aut juguletur: ex Exod. (*l*)

XVIII. Ut caro ejus aſſata comedatur: ex Exodo (*m*);

XIX. Ut ſecundò menſe ſequente iterum Paſcha celebretur decima quarta die.

XX. Ut in eo comedatur agnus cum infermentatis panibus, & herbis amaris: juxta id quod legitur in Num. (*n*)

XXI. Ut clangor tubarum fiat ſuper ſacrificiis, & in die anguſtiæ, ſive tribulationis: juxta illud quod eſt in Num. (*o*)

XXII.

(a) XXIX. 1. (b) XXIX. 7.
(c) XXIII. 34. (d) XXIX. 35. 36. 37.
(e) XXIII. 20. 11. (f) XXIII. 17. (g) XVI.
(h) XXIII. 14. (i) XVI. 16.
(k) XVI. 14. (l) XII. 6.
(m) XII. 8. (n) IX. 10. 11.
(o) X. 9. 10.

XXII. Ut ſacrificia ex animalibus fiant a die natali octavo, & ſupra; ex Levit. (*a*)

XXIII. Ut omne animal, quod in ſacrificium offertur, perfectum ſit: ex Levit. (*b*)

XXIV. Ut ſal in omnibus ſacrificiis offeratur: ex Levit. (*c*)

XXV. Ut ad præſcriptum legis holocauſta offerantur: Levit. (*d*)

XXVI. Ut ſimiliter fiat ſacrificium pro peccato. Lev. (*e*)

XXVII. Similiter ſacrificium pro delicto. Lev. (*f*)

XXVIII. Similiter ſacrificium pacificum. Levit. (*g*)

XXIX. Similiter ſacrificium *Mincha*. Levit. (*h*)

XXX. Si tota congregatio Iſrael erraverit, ut ſacrificium pro ea offeratur: ex Levit. (*i*)

XXXI. Si privatus quis per errorem peccavit, ut ſacrificio certo culpam expiet. Levit. (*k*)

XXXII. Ut pro delicto dubio ſacrificium offeratur: ex Levit. (*l*)

XXXIII. Ut pro delicto, ſive culpa certa, aut indubia, ſacrificium fiat: in Levit. (*m*)

XXXIV. Ut ſacrificium offeratur pro ratione facultatum cujuſque: in Levit. (*n*)

XXXV. Ut qui peccavit, qualecumque tandem fuerit peccatum, coram Domino confiteatur peccatum ſuum: ſive in tempore iſto, quo ſacrificium Domino offert, ſive extra illud: ex Num. (*o*)

XXXVI. Ut qui gonorrhæam paſſus eſt, pro mundatione ſui, ſacrificium offerat. Levit. (*p*)

XXXVII. Similiter ut mulier extra ſtatum naturæ tempus fluxum paſſa, pro ſui mundatione ſacrificium offerat. Levit. (*q*)

XXXVIII. Ut leproſus mundatus ſacrificium offerat. Levit. (*r*)

(a) XXII. 27. (b) XXII. 18.
(c) II. 13. (d) I. 3.
(e) VI. 18. (f) VII. 1.
(g) VII. 2. (h) XI. 1.
(i) IV. 13. &c. (k) IV. 27.
(l) V. 17. 18. (m) VI. 2.
(n) V. 7. (o) V. 6. 7.
(p) XV. 13. (q) XV. 28. (r) XIV. 10.

XXXIX. Ut Puerpera pro mundatione ſui ſacrificium offerat. Levit. (*a*)

XL. Ut decimum quodque animal, ex mundis animalibus, ſequeſtretur Domino: ex Levit. (*b*)

XLI. Ut primogenitum omne maſculum ex mundis animalibus ſanctificetur, & offeratur Domino: in Exodo (*c*), & Deut. (*d*)

XLII. Ut primogenitum omne hominis redimatur certo pretio. Num. (*e*)

XLIII. Ut redimatur primogenitus aſini ove. Exod. (*f*).

XLIV. Ut primogenito aſini, ſi non redimatur, cervix amputetur: Exod. (*g*)

XLV. Ut animalia ſancta Deo dicata, in quibus macula eſt, redimantur. Deut. (*h*)

XLVI. Ut quod mutatum eſt, & illud pro quo mutatum eſt, conſecratum ſit Domino. Levit. (*i*)

XLVII. Ut oblationes omnes tam neceſſariæ ex legis præſcripto, quam ſpontaneæ, & votivæ adducantur Hieroſolymam proximo, quod inſtar, Feſto, Deut. (*k*)

XLVIII. Ut ſacrificia omnia in ſacra æde fiant. Deut. (*l*)

XLIX. Ut ſacrificia, ad quæ offerenda quis ſe obligat extra Terram Sanctam in Sacra æde Hieroſolymitana offerantur. Deut. (*m*)

L. Ut Aaron, & filii ejus comedant *minchorum*, ſeu *cibariorum ſacrorum* reliquias. Levit. (*n*)

LI. Ut Sacerdotes comedant carnes ſacrificiorum pro peccato, & pro delicto oblatorum. Exod. (*o*)

LII. Ut Caro Sancta, quæ aliquid immundum tetigit, comburatur igne: Levit. (*p*)

LIII. Ut carnes ſacrificiorum, quæ reſtant ſupra præſcriptum diem tertium, igne abſumantur. Levit. (*q*)

LIV. Ut Nazaræus comam capitis ſui ſinat creſcere. Num. (*r*)

LV. Ut

(a) XII. 6. 7. 8. (b) XXVII. 32. (c) XIII. 2. (d) XV. 19. (e) XVIII. 15. (f) XIII. 14. (g) XIII. 13. (h) XII. 15. (i) XXVII. 10. (k) XII. 5. 6. (l) XII. 14. (m) XII. 27. (n) *VI. 16.* (o) XXIX. 33. (p) VII. 19. (q) *VII. 17.* (r) VI. 5.

LV. Ut radat comam ſuam poſt expletum voti ſui tempus. Ibidem (*a*)

LVI. Ut quod quis ore ſuo pollicitus eſt, vovitque ſe facturum, reipſa impleat, ac præſtet: Deut. (*b*), & Num. (*c*),

LVII. Ut de votis, quando quis iis adſtringatur, judicium fiat ſecundum declarationem, & interpretationem, quæ lege expreſſa eſt. Numer. (*d*) (16)

(16) *Hujus, ut & ſequentis domus, leges nimis illæ videlicet minutæ, graves, ſineque ulla ratione latæ quibuſdam etiam ex Judæis videntur. Itaque in eam ivere ſententiam, eas Judæo populo a Deo datas, ut ſuam is αυτοκρατοριαν patefaceret, oſtenderetque hominibus inter tot plebeja numina natis, tantæque ſuperſtitioni ſuetis, unum eſſe Deum, cæli, terræque procreatorem, ſervatoremque, omniaque nutu ſuo moderari. Præter Rabbinos aliquot veteres, quidam etiam ex Chriſtianis, nec ii tantum, qui vetuſtatis omnino ſunt incurioſi, ſed ipſe in primis Bochartus vir eruditiſſimus part. 1. lib. 2. Hierozoici, compendii nempe gratia, in eam rapitur opinionem. Nam poſtquam exquiſiviſſet, ecquid cauſæ fuerit, cur Deus lanæ cum lino mixtionem vetuerit,* pauca, *inquit,* habeo, quæ reſpondeam. Hujuſmodi rituum ratio non eſt exigenda, quum plerique ex mero pendeant Legiſlatoris arbitrio. *At quis ſibi perſuadeat, Deum nullam ob aliam rationem velle ab hominibus coli, nec aliam ob rationem leges iis imperare, niſi ob ſuam potentiam demonſtrandam? parva ne argumenta Dei potentiæ & imperii ſunt ea, quæ in mundo gerit? Nihil verius ſcribi potuit, quam quod alicubi ait Auguſtinus,* nobis prodeſt colere Deum, non ipſi Deo. *Quare quum hoc, quod dicunt, απιςον ſit, ſtatuendum eſt, graviſſimas Deo rationes adfuiſſe, cur tam exiguis, ac, ut primo adſpectu videri poſſunt, moleſtis ritibus Judæos in officio continere voluerit; id quod plurimis demonſtravit Maimonides in opere doctiſſimo* More Nebuchim. *Principio quidam eorum rituum ſymbolici ſunt rerum novi Teſtamenti, Alii ad pietatem, caſtimoniam, puritatem in animis ingerendam, atque in habitum firmandam ſpectabant, veluti ne, niſi lauti, ad ſacrificia facienda accederent: ne eas immolarent hoſtias, quas ipſi vicinæque nationes inter impura animantia haberent, ac quæ ſunt*

ejus

(a) verſu 9. (b) XXIII. 23.
(c) XXX. 2. (d) XXX. 3.

ejus generis. Tum quidam ritus ad αγροτητος ruſticitatis & feritatis veſtigia delenda, ut ego quidem puto, erant neceſſarii, iis præſertim temporibus, quibus nihil fuit unquam agreſtius, eique legiſlatori, qui Remp. omni urbanitate & cultu ſubornatam fundare ſtatuerat. Atque huc ſpectant plures rituales leges, quas, qui ad eorum temporum barbariem minime animum adverterant, ανεπικοιτως, ut ita dicam, habent. Præterea ſunt ritus plerique, qui ad ſtatum Reipublicæ civilem ſervandum pertinebant, veluti ii, ex quibus reditus exiſterent Reipublicæ oneribus ſuſtentandis, aut alendis Sacerdotibus, quo ſpectant plures hujus & ſequentis domus leges. Jam nonnullæ leges ſolum, eaque, quæ in Judæa ſolo gignebantur, reſpiciebant, faciebantque privatas populi utilitates, quales ſunt quæ agriculturam, aut textrinam, aliaſque artes ſpectabant. Sunt porro quæ luxui repagula opponebant, veluti ne carnes lacte elixas comederent. Præterea, quum difficile eſſet populum paganum, rudem, ferocem ſubito omnes veteres mores exuere (νομος παντων εςι βασιλευς, ait Pindarus) quaſdam Ægyptiacas ceremonias, atque inſtituta, mutato objecto, ſervavit divinus Legiſlator. Quo modo Apoſtoli non exiſtimaverunt eos Judæos, qui Chriſtiani fierent, ſtatim omnes patrios ritus deſerere; ſunt enim mores & inſtituta quædam per ſe ipſa adiaphora, quæ ſcilicet nec pietatem ullo modo, nec juſtitiam, nec humanitatem lædunt; quæ prudentes Legiſlatores, ad graviora intenti, vetare non ſolent; ſed id tantum cavere, ne depravata noceant. Itaque Cicero in ea lege, cujus crebro meminimus, nec ipſe quidem auſus eſt quidquam ex veteri Romanorum ſacra diſciplina obliterare. Concluſa, *inquit Atticus*, quidem eſt a te magna lex ſane quam brevi; &, ut mihi quidem videtur, non multum diſcrepat iſta conſtitutio religionum a legibus Numæ, noſtriſque moribus. *Ariſtoteles vir omnium Græcorum rerum humanarum peritiſſimus, & in optimo ſtatu Reipublicæ diſpiciendo perſpicaciſſimus, confictas a celebribus alioquin Piloſophis Reſpublicas earumque leges, ac Platonis in primis, ad incudem in Politicis libris revocans, id omnes peccaſſe ſcribit, quod ſat nimis ab hominum natura, eorumque moribus aberrabant, ut utiles eſſe nequirent. Qui igitur Moſaicarum hujuſmodi legum nullas fuiſſe rationes opinantur, ii ſuam accuſant ignorantiam. Memoremus heic Celſi illud præclare dictum, quod Origenes ipſe laudat, probatque, Θεος εςιν ο παντων των οντων λογος. κδυ*

ειν

αν οιόσε παραλογον, ουδε παρ εαυτον εργασασθαι, 1. Deus eſt omnium, quæ ſunt ratio: igitur tam nihil efficere poteſt ſine ratione, quam ſine ſeipſo. *Orig. c. Celſ. lib.* v.

Domus quarta præceptorum affirmativorum, quæ eſt Domus Mundiciei, & Immundiciei, & XVIII. *præceptis conſtat.*

I. QUI morticinium aliquod tetigerit, immundus eſto: (*a*) *Leges elegantiæ αγριοτητι oppoſitæ.*

II. Reptilium, quæ repunt ſuper terram, octo ſpecies poſt mortem contaminant. Levit. (*b*)

III. Eſculenta etiam immunditiei capacia ſunt. Levit. (*c*)

IV. Menſtruata omnis (*Niddà*) immunda eſt, vel eſto, & immundat. Levit. (*d*)

V. Puerpera immunda eſt (*ut Niddà*) Levit. (*e*).

VI. Leproſus immundus eſt, & immundat alia. Levit. (*f*)

VII. Pannus lepra infectus immundus eſt, & immundat. Ibidem (*g*)

VIII. Domus lepra tacta immunda eſt, & immundat. Levit. (*h*).

IX. Gonorrhæus immundus eſt, & immundat. Levit. (*i*).

X. Sperma immundat, ſive contaminat. Levit (*k*) qualecumque, etiam quod in ipſo actu conjugali exſilit.

XI. Mulier extra ſtatum tempus fluxum patiens immunda eſt, & immundat (*l*).

XII. Mortuus immundus eſt, & immundat. Num. (*m*)

XIII. Ut mundatio omnis fiat cum *Tebilà*, ideſt balneo: Levit. (*n*) (17)

(17) *Hoc præceptum mere Rabbinicum eſt, ut & quædam alia, quæ illi e ſcriptura conſarcinarunt.*

XIV. Ut mundatio Lepræ fiat cum cedro, hyſſopo, & lana coccinea, vel cocco, aliiſque cærimoniis in lege expreſſis: Levit. (*o*)

XV.

(a) *Levit.* XI. 89. (b) XI. 29. (c) XI. 34.
(d) XV. 2. (e) XIII. 2. (f) XIII. 2.
(g) *Ibidem* 47. (h) XIV. 35. (i) XV. 2.
(k) XV. 16. (l) *Ibid. verſ.* 25. (m) XIX. 14.
(n) XV. 16. (o) XIV. 2.

XV. Ut leproſus die ſeptima radat omnem capitis ſui pilam (*a*).

XVI. Ut leproſus non compareat, nec prodeat in publicum, niſi cum ſignis ex quibus dignoſcitur lepra. Levit. (*b*).

XVII. Ut vacca rufa comburatur, juxta præſcriptum legis. Num. (*c*) (18).

(18) *Neminem ego opinor futiles has leges dicturum, quicumque animadverterit & quantopere munditiei cura humanitati conferat, & quantum erant id temporis Judæi rudes, agreſteſque. Sed & curandum erat, ne Ægyptiorum quibuſdam moribus ſueti, minus homines viderentur, ſi ii omnes antiquarentur. Verum decima ſeptima hujus domus lex nimis illa ſuperſtitioſa iis videtur, qui veterum rerum ſunt incurioſi. Interim ſi ad ſuperſtitionem Ægyptiacam, a qua lege hac rituali Judæos abſtrahere Moſes ſtudebat, animum adjiciamus, perſpicuam ejus rationem reperiemus. Inter animantia, quæ Ægyptii ſtulte colebant, vaccæ erant.. Docet id Herodotus lib.* II. τας βυς τας θηλιας Αιγυπτιοι παντες ομοιως σεβονται, Boves fœminas Ægyptii omnes ex æquo colunt. *Solos boves maſculos* (ταυρυς *idcirco* ιερυς), *mactabant, præſertim rufos, ut Diodor. lib.* I. *& Plutarch.* de Iſide & Oſiride *tradiderunt. Ei igitur ſuperſtitioni ut adverſus iretur juvencam rufam tanto apparatu mactandam præcepit Moſes. Vide Spencerum* de legibus Ritualibus *lib.* II. *cap.* 15. *& Marshamum in* Canone Ægyptiaco.

XVIII. Aquas Vaccæ rufæ cinere reſperſas, ideſt *aquas ſeparationis*, mundare, & immundare (*d*).

Domus quinta præceptorum affirmativorum, quæ eſt Domus eleemoſynarum, & decimarum, & XXXII. *præcepta continet.*

I. UT pauperibus eleemoſynæ dentur: juxta illud Deut. (*e*) *aperiendo aperies manum tuam pauperi.*

II. Ut qui pretium, ſive æſtimationem hominis vovet, vel promittit, eam pendat, aut ſolvat: Levit. (*f*) (19).

(19) *Lex Ciceronianæ Reip.* CAUTE VOTA REDDUNTO. *Leges pœnales, œconomicæ, tributariæ.*

III. Ut qui pretium animalis quadrupedis immundi vovet, id pendat, juxta æſtimationem Sacerdotis: Levit. (*g*).

IV.

(a) *Ibid. ver.* 9. (b) XIII. 45. (c) XIX. 2.
(d) *Ibidem verſu* 19. (e) XV. 8.
(f) XXVII. 2. (g) XXVII. 11.

IV. Ut qui pretium domus ſuæ vovet, id ſolvat juxta æſtimationem Sacerdotis, cum quinta inſuper æſtimati pretii parte. Levit. (*a*).

V. Ut qui agri, aut campi pretium vovet, id pendat juxta æſtimationem lege definitam. Levit. (*b*).

VI. Ut qui per errorem culpam falſi commiſerit, quintam partem ultra rem falſatam ſolvat. Levit. (*c*).

VII. Ut fructus omnes anni quarti Deo ſancti ſint, & conſecrati: Levit. (*d*).

VIII. Ut agrorum extremæ oræ, ſive anguli, pauperibus metendæ, & legendæ relinquantur, Levit. (*e*).

IX. Ut pauperibus ſpicæ relinquantur, quæ tempore meſſis recidunt. Levit. (*f*).

X. Ut manipulus relinquatur pauperibus, qui per oblivionem in eo relictus eſt. Deuter. (*g*).

XI. Ut racemi in vinea relinquantur. Levit. (*h*).

XII. Ut uvarum grana, quæ ex vinea in terram deciderunt, pauperibus relinquantur. (*i*).

XIII. Ut primitiæ primitivorum fructuum terræ adducantur in ædem ſacram, ſive templum. Exod (*k*).

XIV. Ut legatur ſuper primitiis oblatis id quod in Deut. (*l*) ſcriptum exſtat.

XV. Ut ſeparetur collecta magna in uſum Sacerdotum. Deut. (*m*).

XVI. Ut decimæ ſeparentur in uſum Levitarum. Levit. (*n*), & Num. (*o*).

XVII. Ut decima ſecunda ſeparetur in uſum dominorum, ad quos fructus, frugeſque pertinent. Deut. (*p*).

XVIII. Ut Levitæ ex decimis ſuis decimam ſeparent pro Sacerdotibus: Num. (*q*).

XIX. Ut decima pauperibus, ſive in uſum pauperum ſeparetur, loco decimæ ſecundæ in tertio, & ſexto anno *Semitæ*: Deuter. (*r*).

XX. Ut confeſſio ſuper decima fiat; juxta legis verba. Deut. (*s*).

XXI.

(a) XXVII. 14. (b) XXVI. 16. (c) V. 16.
(d) XIX. 24. (e) XIX. 9. (f) XIX. 9.
(g) XXIV. 19. (h) XIX. 10. (i) *Ibidem*.
(k) XXIII. 19. (l) XXVI. 5. 6. 7. &c. (m) XVIII. 4.
(n) XXVII. 30. (o) XVIII. 21. (p). XIV. 22.
(q) XVIII. 26. (r) XIV. 28. 29. (s) XXVI. 13.

XXI. Ut tortula ſubactæ maſſæ omnis ſeparetur Domino, ideſt in uſum Sacerdotis. Num. (*a*).

XXII. Ut quicquid anno ſeptimo naſcitur, aut provenit e terra, id omne publicum, & commune ſit. Exod. (*b*).

XXIII. Ut anno ſeptimo quies, & ceſſatio detur terræ ab omni cultura. Exod. (*c*), & Levit. (*d*).

XXIV. Ut annus Jubilæus numeretur per annos, & hebdomadas, Levit. (*e*).

XXV. Ut annus Jubilæus ſanctificetur. (*f*).

XXVI. Ut decima die Tiſri buccina clangatur in anno Jubilæo (*g*).

XXVII. Ut redemtio terræ detur in anno Jubilæo: Levit. (*h*).

XXVIII. Qui domum vendiderit ſtantem in urbe muris cincta, ei jus eſto eam redimere intra unius anni ſpatium. Levit. (*i*).

XXIX. Ut debitorum remiſſio fiat anno ſeptimo. Deuter. (*k*).

XXX. Ex omnibus hoſtiis, & oblationibus, aut victimis, quæ mactantur, Sacerdoti tria cedunto, armus dexter, maxillæ, & pectuſculum, ſive ventriculus. Deuter. (*l*).

XXXI. Primitiæ tonſurarum, ſive lanarum ex ovium detonſione, Sacerdotibus dantor. Deuter. (*m*).

XXXIII. Judicia de anathematis fiant ita, ut quædam Deo, quædam Sacerdotibus cedant. Levit. (*n*).

Domus ſexta præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus ciborum, vel eduliorum, & VII. præcepta continet.

I. UT animalia tam quadrupedia, quam aves, quæ ad eſum mactantur, rite primum decollentur. Deuter. (*o*) *Leges feritati adverſantes.*

II. Ut ſanguis animalium, & avium, quæ ad eſum mactantur (vel apta ſunt) operiatur pulvere. Levit. (*p*).

III.

(a) XV. 20. (b) XXIII. 10. 11. (c) XXXIV. 21.
(d) XXV. 2. (e) XXV. 8. 9. 10. (f) *Ibid.*
(g) *Ibidem.* (h) XXV. 24. (i) XXV. 29.
(k) XV. 2. (l) XVIII. 3. (m) XVIII. 4.
(n) XXVII. 28. (o) XII. 21. (p) XVII. 13.

III. Ut mater pullis in nido incubans dimittatur libera, quando pulli eximuntur. Deut. (*a*).

IV. Ut ſigna, & τεκμηρια animalium quadrupedum mundorum diligenter obſerventur antequam comedantur. Levit. (*b*).

V. Ut ſigna etiam certa quædam in avibus obſerventur, antequam eæ in cibum uſurpentur. Deut. (*c*).

VI. Ut ſigna etiam certa obſerventur in locuſtis, antequam in cibum ſumantur: Levit. (*d*) (20).

(20) *Quum Septuaginta interpretes, tum Joſephus, Philo, atque hinc veteres omnes Græci Latinique ſcripturæ commentatores, cum Exodi locum cap. 16. v. 13. tum. Numerorum* XI. *v. 31. de coturnicibus intellexere. Sed hæc animantia in eo Numerorum loco dicuntur terram coperuiſſe ad altitudinem* duorum cubitorum, *atque per ſpatium unius circumquaque diei itineris. Tanta eorum copia, eaque accidentia, quæ factum comitantur, viros quoſdam doctos ſubegerunt, ut opinarentur hebraicam vocem* ſchalvim αττελαβυς locuſtas *ſignificare: Id magno apparatu egit Jobus Ludolphus* in hiſtor. Æthiopica *lib. 1. cap. 13. §. 96. Olaus vero Rudbekius Svecus in ea diſſertatione, quam ſuper ea re edidit, piſces volantes intelligit. Vide Clericum Comm. in Exod. & Numeros. Magnam eſſe piſcium volantium vim in mari Atlantico, eoſque naves inſilire, omnes, qui ea navigaverunt, teſtantur. Sed locuſtis etiamnum veſci maris rubri accolas teſtificatur Chardinus in itinerario Perſico. Incolas quoſdam litorum maris rubri, quum ſteriles terras incolerent, coturnicibum olim victitaſſe, earumque affatim habuiſſe, narrat Diodorus Siculus lib. 1. Bibliotheca hiſtorica.*

VII. Ut ſigna etiam certa obſerventur in piſcibus antequam in cibum præparentur. Levit. (*e*).

Domus ſeptima præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus Paſchatum, ſive Feſtorum, & xx. præcepta continent.

I. UT exacte curſus Solis, & Lunæ expendantur, ad conſtituendum rite annos, & Feſta. Deut. (*f*).

II. Ut menſes ſanctificentur per Senatum, ſive *Beth din:* Exod. (*g*).

III.

(a) XXII. 6. (b) XI. 2. & XX. 25. (c) XIV. 11. (d) XI. 21. (e) XV. 9. (f) IV. 6. (g) XII. 2.

III. Ut in Sabbatho quieſcamus. Exod. (*a*).

IV. Ut Sabbathum ſanctificetur. Exod. (*b*).

V. Ut fermentum omne tollatur, ſive extrudatur ex ædibus in Feſto *Peſah*, ſeu Paſcatis; Exod. (*c*)

VI. Ut in Paſcatis nocte prima ſermocinatio fiat de admirabili egreſſu, ſive liberatione Populi ex Ægypto. Exod. (*d*).

VII. Ut in hac ipſa nocte infermentatus panis comedatur: Exod. (*e*).

VIII. Ut primus dies Feſti *Peſah* ſit dies quietis ab omni opere.

IX. Similiter ſeptimus ejuſdem Feſti. Levit. (*f*), & Exod. (*g*).

X. Ut a meſſe *Homer* quadraginta novem dies numerentur. Levit. (*h*).

XI. Ut quies ab operibus indicatur die quinquageſima *Homer*, quæ eſt Feſtum *Sebuoth*, ſive ſeptimanarum, aut Pentecoſtes: Levit. (*i*).

XII. Ut ceſſatio fiat ab omnibus operibus prima die menſis ſeptimi: Levit. (*k*).

XIII. Ut eadem illa die *Scophar*, buccina clangatur. Num. (*l*).

XIV. Ut animam quiſque ſuam adfligat decima *die* Tiſri, ſive Septembris: Levit. (*m*).

XV. Ut ceſſatio detur ab omnibus operibus in iſta ipſa die *Kipur*: Levit. (*n*).

XVI. Ut ceſſetur ab omni opere prima die Feſti σκηνοπηγίας, ſive Paſchatis Succhoth. Levit. (*o*).

XVII. Similiter & in octava Feſti ejuſdem die: Levit. (*p*).

XVIII. Ut in tabernaculis habitetur per ſeptem dies: Levit. (*q*) (21).

(21) *Quum hoc feſtum conſideraſſet Plutarchus, nec quid ſibi illud vellet, intelligeret, ſcripſit in Sympoſiacis, & Bacchum cultum ab Hebræis. Quæ docent, quantam fidem ii mereantur, qui res aliarum gentium ſacras deſcribunt.*

XIX.

(a) XXIII. 12. (b) XX. 8. (c) XII. 15.
(d) XIII. 8. (e) XII. 18. (f) XXIII. 7.
(g) XII. 16. (h) XXIII. 15. (i) XXIII. 21.
(k) XXIII. 24. (l) XXIX. 1. (m) XXII. 27. 28. 29. & XVI. 29. 31. (n) XXIII. 32. (o) XXIII. 35.
(*p*) *verſ.* 36. (q) XXIII. 43.

XIX. Ut in prima die hujus Feſti Suchot, *Lulab*, palma geſtetur. Levit. (*a*)

XX. Ut Iſraelita omnis quotannis Deo offerat dimidium argenti ſiclum. Exod. (*b*)

Domus octava præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus gubernationis, & judicii, & XIII. *præcepta continet.*

I. UT obedientia omni Prophetæ in nomine Domini venienti præſtetur, ubique, & ſemper: ex Deut. (*c*)

II. Ut Rex populi eligatur: juxta illud Deut. (*d*) *Ponendo pones ſuper te Regem.*

III. Ut judices, & judicia ſive tribunalia, & præſides, apparitoreſque in qualibet civitate populi Iſraelitici conſtituantur: ex Deuter. (*e*)

IV. Ut in decretis, ſtatutiſque Magni Conſilii *Sanhedrin* obtemperetur: in Deut. (*f*)

V. Quando lis hæret, & in ancipiti eſt, ut majori ſuffragiorum parti accedatur: in Exod. (*g*)

VI. Ut qui judicio ad cauſſam dicendam comparent, æquo, & pari jure audiantur, & judicentur. Levit. (*h*) *In juſtitia judicabis proximum tuum.*

VII. Ut qui de re aliqua in judicio vere teſtari poſſunt, ſine ulla tergiverſatione ex conſcientia ad teſtimonium perhibendum judices conveniant: ex Levit. (*i*)

VIII. Ut teſtes rigide examinentur, & teſtimonia eorum magna cum cura expendantur. Deut. (*k*)

IX. Ut falſis teſtibus idem fiat, quod factum alii innocentibus voluerunt: Deut. (*l*) *Lex talionis.*

X. Ut vitula mactetur, quando cadaver aliquod humanum in agro projectum offenditur, incerto cædis auctore: Deut. (*m*) (22).

(22) *Lex viguit in Ægypto, ut ejuſmodi cadavera ab iis ex more condirentur, ac ſepelirentur, in quorum pago reperiebantur. Herod. lib.* 2.

(a) XXXIII. 40. (b) XXX. 13. (c) XVIII. 15.
(d) XVII. 15. (e) XVI. 18. (f) XVII. 10.
(g) XXIII. 2. (h) XIX. 15. (i) V. 1.
(k) XIII. 14. (l) XIX. 19. (m) XXI. *verſ.* 1. *&c.*

XI. Ut ſex aſyla; ſive urbes refugii conſtituantur, & itinera ad eas præparentur. Deut. (*a*)

XII. Ut Levitis dentur urbes, & ſuburbana urbium, in quibus habitent: Num. (*b*)

XIII. Ut tecta ædium peribolo circumdentur. Deut. (*c*)

Domus nona præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus doctrinæ, & xxv. præceptis conſtat.

I. UT omni modo extirpetur idololatria gentilium. (23.) Deut. (*d*)

(23) *Scilicet ut omnia fana, altaria, ſimulacra, & nemora Diis Chananæorum conſecrata diruantur, deleanturque, ut nulla ullibi eorum ſuperſint veſtigia, nullaque apud poſteros memoria. Hanc legem recentavit Muhammedes, eamque hodieque ſeveriſſime ſervant Turcæ.*

II. Ut internecioni dentur omnes cives, qui in idololatriam ſe induci paſſi ſunt, & civitas eorum incendio tota abſumatur. Deut. (*e*)

III. Ut ſeptem terræ ſanctæ populi deleantur. Deut. (*f*)

IV. Ut recordentur Iſraelitæ omni tempore eorum quæ ipſis fecit Amalecitarum Rex. Deut. (*g*)

V. Ut deleatur memoria Amalecitarum (*h*), & Exod. (*i*)

VI. Ut bellum ſuſcipiatur, ac geratur ex præſcripto legis divinæ. Deut. (*k*)

VII. Ut ex Sacerdotali familia aliquis prælii cauſſa ungatur. Deut. (*l*)

VIII. Ut quilibet in exercitu paxillum ſemper geſtet ſuper armis ſuis. Deut. (*m*)

IX. Ut locus certus deſignetur ad requiſita naturæ (*n*).

X. Ut quod furto ablatum eſt, domino reſtituatur, aut reddatur. Lev. (*o*)

XI. Ut ſervus Hebræus e ſervitute nonniſi bene muneratus exeat. Deut. (*p*)

XII. Ut pauperi atque egeno mutuum detur. Exod. (*q*)

XIII. Ut pignus reſtituatur domino ſuo. Deut. (*r*)

XIV.

(a) XIX. 2. (b) XXXV. 2. (c) XXII. 8. (d) XII. 2.
(e) XIII. *verſ.* 16. (f) XX. 16. (g) XXV. 15. 16.
(h) *Ibid.* (i) XVII. 14. (k) 20. 1., &c.
(l) *Ibid. verſ.* 2. (m) XXIII. 13. (n) *Ibid.* 12.
(o) VI. 4. (p) XV. 14. (q) XXII. 25. (r) XXIV.

XIV. Ut operario ſolvatur merces ſua præſtituta die. Deut. (*a*)

XV. Ut mercenario in vinea, arvo, aut horto laboranti ex fructibus eorum veſci detur ad ſaturitatem. Deut. (*b*)

XVI. Ut proximi jumento, ſub onere ſarcinave lapſo, in levando onere auxilium præſtetur. Exod. (*c*)

XVII. Ut proximo manum præſtemus in ſarcina jumento ejus imponenda. Deut. (*d*)

XVIII. Ut res perdita, atque inventa domino ſuo reſtituatur. Deut. (*e*)

XIX. Ut proximus peccans corripiatur. Levit. (*f*)

XX. Ut proximus diligatur. Levit. (*g*)

XXI. Ut peregrinus ametur. Deut. (*h*)

XXII. Ut menſuræ, & bilances omnes, ſive trutinæ exactiſſimæ ſint. Levit. (*i*)

XXIII. Ut honorentur divinæ legis periti, ſive ſapientes in lege Domini. Levit. (*k*)

XXIV. Ut honorentur pater, & mater. Exod. (*l*)

XXV. Ut timeantur mater, & pater. Levit. (*m*)

Domus decima præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus Matrimonii, ſive Mulierum, &
XII. præceptis conſtat.

I. Creſcite, & *multiplicamini*. Geneſ. (*n*)

Ut conjugium contrahatur cum *Keduſſim*, ideſt cum prævia diſpenſatione, ſive ut nuptias ſponſalia præcedant. Deut. (*o*)

III. Ut maritus novus ſe cum uxore ſua primo nuptiali anno exhilaret. Deut. (*p*)

IV. Ut liberi Iſraelis maſculi circumcidantur. Geneſ. (*q*), & Levit. (*r*)

V. Ut Vidua defuncti ſine liberis mariti, nubat fratri ejus. Deut. (*s*)

X 2 VI.

(a) XXIV. 15. (b) XXIII. 24. 25.
(c) XXIII. 5. (d) XXII. 4. (e) XXII. 1.
(f) XIX. 17. (g) XIX. 18. (h) X. 19.
(i) XIX. 36. (k) XIX. 32. (l) XX. 12.
(m) XIX. 3. (n) I. 28. (o) XXIV.
(p) XXIV. (q) XVII. 10. (r) XII. 3.
(s) XXV. 5.

VI. Ut qui Leviratum præſtare renuit, diſcalceationis morem, & ritum uſurpari ſinat, & ſputi ignominia adficiatur (*a*).

VII. Ut qui per vim virgini vitium obtulit, eam uxorem ducat. Deut. (*b*)

VIII. Ut qui diffamavit uxorem ſuam, eam uxorem ſibi retineat ſine ſpe repudii. Deut. (*c*)

IX. Ut qui virginem ſeduxit pellexitque ad ſtuprum, ei pendat quinquaginta ſiclos. Exod. (*d*)

X. Ut mulieri formoſæ in bello captæ fiat juxta id quod præcipitur lege. Deut. (*e*) (24)

(24) *Scilicet ſi ducere velit uxorem, domum adducat, ſtatutiſque ritibus nuptias contrahat. Si poſtquam duxerit repudiare velit, ut ne vendat.*

XI. Ut divortium fiat per dationem *Guet*, ſive ſcripti libelli repudii. Deut. (*f*)

XII. Ut cum muliere declinante, ſive de adulterio ſuſpecta, agatur ex præſcripto legis. Num. (*g*)

Domus undecima præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus judiciorum criminalium, & VIII. præceptis conſtat.

I. UT criminis non capitalis rei, flagris caſtigentur, Deut. (*h*)

II. Ut homicida involuntarius exilio mulctetur. Num. (*i*)

III. Ut ſupplicio ſtrangulationis afficiantur qui id commeriti ſunt. Levit. (*k*)

IV. Ut gladio puniantur qui id commeruerunt. Exod. (*l*).

V. Ut combuſtionis ſupplicio adficiantur qui id meriti ſunt. Levit. (*m*)

VI. Ut lapidibus obruantur qui id commeriti ſunt Deut. (*n*)

VII. Ut qui ſuſpendio digni ſunt, patibulo, aut furcæ ſuffigantur. Deut. (*o*)

VIII.

(a) *Ibidem v.* 7. (b) XXII. 29. (c) XXII. 19. (d) XXII. 16. (e) XXI. 11. (f) XXIV. 1. (g) V. 30. (h) XXV. 3. (i) XXXV. 25. (k) XX. 10. (l) XX. 21. (m) XX. 14. (n) XXII. 24. (o) XXI. 22.

VIII. Ut omnes capite mulctati ea ipſa die ſepeliantur, Deut. (*a*)

Domus duodecima præceptorum affirmativorum, quæ eſt domus Judiciorum civilium, & XVII. præceptis conſtat.

I. UT cum ſervo Hebræo agatur ex lege. Exod. (*b*)

Ut herus ſervam Hebræam ſibi, aut deſponſet aut eam nuptui det filio ſuo. Exod. (*c*)

III. Ut redimatur ſerva talis Hebræa. (*d*)

IV. Ut in ſervitutem perpetuam addicantur ſoli ſervi Chananæi, aut Pagani. Levit. (*e*)

V. Ut qui damnum intulit, damnum ſarciat mulcta pecuniaria. Exod. (*f*) Levit. (*g*). Deut. (*h*)

VI. Ut damnum ab animali bruto illatum ſarciatur ex lege. Exodi (*i*)

VII. Ut damnum ex neglecta putei munitione ſarciatur ex lege. Exod. (*k*)

VIII. Ut furti judicium fiat ex lege. Exodi (*l*)

IX. Ut damnum, ſive pauperies, quam in alieno agro animal caſtum fecit, ſarciatur: juxta legem Exodi (*m*).

X. Ut damnum ex incendio datum ſarciatur ex lege Exodi (*n*).

XI. Ut de depoſito precario facto, & gratis accepto, judicetur ſecundum legem Exodi (*o*).

XII. Ut de depoſito mercedis gratia, ſive ex conducto, aut negotiorum gerendorum ergo, judicetur ex lege Exodi (*p*).

XIII. Ut de depoſito ex commodato, judicetur ſecundum legem Exodi (*q*)

XIV. Ut caſus emtionis, venditionis judicentur ad legem Levitici (*r*).

XV. Ut actoris, & rei cauſſa judicetur ad legem Exodi (*s*)

XVI. Ut is quem perſequitur inimicus ſuus ad mortem, libe-

(a) XXI. 23. (b) XXI. 2. (c) XXI. 8.
(d) *Ibid. verſ.* 8. (e) XXV. 46. (f) XXI. 18.
(g) XXIV. 19. 20. (h) XIX. 19. *&c.* (i) XXI. 28. 29.
(k) XXI. 33. (l) XXII. 1. (m) XXII. 5.
(n) *Ibid.* (o) XXII. 6. (p) XXII. 10.
(q) *Ibid. verſ.* 14. (r) XXV. 14. (s) XXII. 9.

liberetur ex manu perſecutoris, ſi vita perſecutori adimenda ſit. Deut. (*a*) (25)

(25) *Aliud eſt in loco Deuteronomii, ad quem Rabbini appellant, ut non videamus, qui inde excudi poſſit.*

XVII. Ut jura hæreditatum definiantur ex lege Numerorum (*b*) (26)

(26) *Succeſſorum ordo hic eſt: maſculi fœminas præcedunt: ut ubi deſit maſculus, ſuccedant fœminæ: ut deficientibus ſuis in linea recta, ſuccedant fratres. Si & hi deſint, abpatrui hereditatem adibunt. Quibus deficientibus ceteri propinqui aut contribules, ſeu gentiles adeunto. Quibus ſimilia lege XII. tabularum ſanciuntur.*

Domus prima præceptorum negativorum, quæ eſt de fugiendo cultu Planetarum, & XLVII. *præcepta continet.*

I. NE alium nobis fingamus Deum, quam eum, qui *Jehova* & *Adonai* dicitur. Exod. (*c*)

II. Ne ſimulacra, ſive imagines, vel ipſi nobis faciamus, vel per alios nobis ipſis fieri curemus. (*d*) (27).

(27) *Erat videlicet perfacile ab imaginibus, & ſignis veræ alioquin Divinitatis, tractu temporis & paullatim in idololatriam ruere; quod & quæ Moſem præceſſere nationes demonſtrant, & plures, quæ poſt ea tempora ſequutæ ſunt.*

III. Ne figuram ullam, aut imaginem idololatricam pro aliis, ſive in aliorum gratiam effingamus. Levit. (*e*) (28).

(28) *Præceptum, quod Rabbini ex ſcriptura haud dubium excuderunt, tantaque religione ſervarunt Judæi, ut, ne Caii Cæſaris ſtatuam reciperent, omnia mala perpeti maluerint. Qua de re vide Joſephum lib. 1. de bello Judaico.*

IV. Ne ſimulacrum, aut imago ulla fiat ad ornatum tantum. Exod. (*f*) (29)

(29) *Et hoc præceptum Rabbinicum eſt, aut ex veteri traditione. Quanta autem ſollicitudine id Judæi ſervaverint docebit idem Joſephus l.* 1. *&* 2. *de bello Judaico.*

V. Ne incurvemur coram idolis ullis. Exod. (*g*).

VI. Ne ſerviamus iis.

VII.

(a) XXV. 12. (b) XXVII. 8. 9. 10. 11. (c) XX. 3.
(d) *Ibid.* (e) XIX. 4. (f) XX. 23.
(g) *Ibid. verſ.* 5. (h) *Ibidem.*

VII. Ne filius, aut filia Molocho per ignem traducatur. Levit. (*a*)

VIII. Ne actus *Ob* exerceatur. Levit. (*b*)

IX. Ne actus *Ideoni* exerceatur. (*c*)

X. Ne conſulatur oraculum *Ob*. Deut. (*d*)

XI. Ne conſulatur oraculum *Ideoni*. *Ibid.* (29*)

(29*) *Ob* ſpiritum, *aut dæmonem eſſe ajunt Rabbini. Eodemque cum ſenſu capiunt* Ideoni, *dæmones ſcilicet. His igitur præceptis omnis haruſpicina, & divinatio prohibetur. Nam quum Deus præſto eſſet conſulentibus prophetis, graviſſimum eſſe debuit crimen dæmones conſultum ire. Origenes contra Celſum hinc graviſſimum argumentum deducit, Deum revera Hebræis prophetis loquutum. Omnes, inquit, homines & ſecretarum rerum, & futuri ſunt curioſi: hinc apud omnes oracula, & haruſpicina. Niſi Deus manifeſtis argumentis Judæis perſuaſiſſet, ſe ad illos loqui, fieri nullo modo potuit, ut vetitis oraculis dæmonum, auguratu, extiſpiciis, haruſpicina, ſub imperio continuiſſet.*

XII. Ne reſpiciamus ad Idola. Levit. (*e*)

XIII. Ne ſtatuam erigamus. Deut. (*f*)

XIV. Ne lapis pictus conſtituatur, ut quis ſe incurvet ei. Levit. (*g*)

XV. Ne in ſanctuario plantetur ulla arbor. Deut. (*h*)

XVI. Ne juremus per falſos Deos. Exod. (*i*)

XVII. Ne quis inducat Judæos ad Idololatriam. *Ibid.*

XVIII. Ne quis incitet Judæum ullum ad Idololatriam. Deut. (*k*)

XIX. Ne amemus impoſtorem aut ſeductorem talem. Deut. (*l*)

XX. Ne odiſſe eum deſinamus. *Ibid.*

XXI. Ne in periculo mortis ei præſtolemur. *Ibid.*

XXII. Ne is quem ſeducere voluit, pro eo intercedat, aut in judicio cauſſam ejus agat. *Ibid.*

XXIII. Ne taceat quod ad eum condemnandum facere poteſt. *Ibid.*

XXIV. Ne concupiſcamus, aut in uſus noſtros convertamus ea, quibus ornantur, & veſtiuntur Idola. Deut. (*m*)

(a) 18. 2. (b) 19. 31. (c) 18. 11.
(d) 19. 4. (e) 16. 22. (f) 26. 1.
(g) 26. 21. (h) 23. 13. (i) *Ibid.*
(k) 13. 6. (l) 13. 8. (m) 7. 25.

XXV. Ne vel hilum commodi quæramus ex iis, quæ ad Idolorum cultum pertinent. Deut. (*a*)

XXVI. Ne civitas ad idolatriam ſe induci paſſa, ſemel deſtructa umquam reædificetur. Deut. (*b*)

XXVII. Ne ex ſpoliis ejus quicquam in uſus privatos convertatur. (*c*)

XXVIII. Ne quis prophetet falſo, aut mendaciter Deut. (*d*)

XXIX. Ne metuamus occidere falſum prophetam. (*e*)

XXX. Ne quis prophetet in nomine (aut per nomen) falſorum deorum. Deut. (*f*)

XXXI. Ne prophetans talis audiatur. Deut. (*g*) (30)

(30) *Hujuſmodi leges ſatis aperte demonſtrant & veros inter Judæos prophetas eſſe debuiſſe. Primum, qui damnari poteſt falſus propheta, ubi nullus eſt verus? Tum qui diſcerni poteſt falſa a vera prophetia niſi ſit vera? Ad hæc, ſi nulli fuiſſent veri prophetæ, ejuſque rei Moſes certus fuiſſet, eſſe poteſt veriſimile, virum tam ſolertem, cujus tam ſapientes ſunt leges reliquæ, nullum aliud legum ſuarum ſtatuiſſe fundamentum, præter impoſturam, quæ tandem aliquando detegi debuit?*

XXXII. Ne ambulemus in ritibus, & conſuetudinibus gentilium. Levit. (*h*)

XXXIII. Ne divini, aut divinationes inter nos inveniantur. Deut. (*i*)

XXXIV. Ne Magia exerceatur, ſive ne Magus inter nos reperiatur. Deut. (*k*)

XXXV. Ne auguria, aut omina fiant. Levit. (*l*)

XXXVI. Ne divinatores fiant per tempora, & horas. Ibid. Levit. (*m*)

XXXVII. Ne fiant incantationes, aut conjurationes: juxta legem Deut. (*n*) *Non inveniatur in te Divinans divinationes, præſtigiator, & augur, & maleficus.*

XXXVIII. Ne conſilium petatur a mortuis: juxta illud Deut. (*o*) & (non inveniatur in te) *quærens a mortuis.*

XXXIX.

(a) 7. 26. (b) 13. 16. (c) *Ibidem verſ.* 17.
(d) 18. 20. (e) *Ibid. v.* 22. (f) *Ibid. v.* 20.
(g) 13. 2. (h) 20. 23. (i) 18. 10.
(k) *Ibid.* (l) 19. 26. (m) *Ibidem.*
(n) 18. 11. (o) *Ibidem.*

XXXIX. Ne induatur mulier veſte virili.

XL. Ne induatur vir veſte muliebri: juxta legem Deut. (*a*) *Non erit inſtrumentum virile ſuper mulierem: neque induet vir veſtimentum muliebre: quia dominatio Domini Dei tui omnis faciens hæc*. (31)

(31) *Id ad pudicitiam refert. Narrat Herodotus veteres quoſdam Scythas eum morem ſectatos, ut nullo diſcrimine veſtis fœminæ a viris diſtinguerentur. Sed & ſunt hodieque inter utriuſque hemiſphærii barbaros, qui eumdem morem ſervant. Quin apud Sinenſes, cultiſſimam alioquin nationem, vix eſt ulla quod ad veſtes pertinet, marium a feminis differentia.*

XLI. Ne inſcribatur corpori ſcriptura cavata: juxta illud Levit. (*b*). *Et in inciſionem pro anima non dabitis in carne veſtra: & ſcripturam notæ non ponetis in vobis. Ego Dominus*. (32)

(32) *Hunc morem & hodie plures in utraque continente populi ſectantur. Hæ leges ejus penitiſſimam antiquitatem demonſtrant. Quum Moſes Remp. omni morum ſanctitate & cultura florentem inſtituere geſtiret, opus fuit omnia veteris barbariei veſtigia delere: quo & duæ hæ leges, & quæ ſuperius de ornatu muliebri ſanctæ ſunt, pertinent.*

XLII. Ne induatur contextura ex lana, & lino: juxta illud Deut. (*c*). *Non indues te panno mixto ex lana & lino pariter*. (33)

(33) *Hanc legem, & quæ exſtat quoque Levitici* 19. *ut & eam, qua Judæis vetatur* agrum diverſo ſeminum genere ſerere, *& quæ ſunt ejuſmodi*, ſymbolicas *eſſe contendit Clericus Comm. in hunc Levitici locum; eaſque duo vetare* I. *præpoſteram venerem*. II. *nuptias cum alienigenis. Spencerus eam litterali ſenſu accipit, & genera quædam ſuperſtitionum Arabum & Ægyptiorum prohiberi exiſtimat; ſed conjecturis ſatis levibus & futilibus. Vide de legibus Hebr. ritual. lib.* 2. *cap.* 33. *Quid ſi ad idem pertinent, quo ſuperiores? Nempe ut agreſtes mores omnes eradicent?*

XLIII. Ne in abradendo capillo rotundentur anguli capitis.

XLIV. Ne corrumpatur barba: juxta illud Levit. (*d*) *Non in circuitu attondebitis angulum capitis veſtri; & non diſſipabis angulum barbæ tuæ.*

XLV.

(a) 22. 5. (b) 19. 28.
(c) 22. 11. (d) 19. 27.

XLV. Ne unguibus ſe lacerent, (aut inciſiones faciant in cute);

XLVI. Ne avellantur capilli pro mortuo: juxta illud Deut. (a). *Non incidetis vos, neque ponetis calvitium inter oculos veſtros ſuper mortuum.* (34)

(34) *Et has ego leges ad urbanitatem pertinere cenſeo: nam ſunt hodieque agreſtes gentes, quæ id conſueſcunt. Omnia ſcilicet etiam alioquin adiaphora, quæ veſtigia eſſent agreſtium gentium, delere voluit divinus legislator. Quam ego rationem genericam eſſe ajo tot legum, quæ aut leves; aut nimis graves aliis videntur. Certe ſi ex Agreſtibus Americanis Reſp. omni morum urbanitate exculta inſtar earum, quæ in* Europa *ſunt, conſtituenda eſſet, eas ego leges omnes neceſſarias putaverim. Quid igitur neceſſarium erat Spencerum tot moleſtis perquiſitionibus, incertiſque conjecturis lectorum capita obtundere? Regula eſt* Thucydidis *(lib. 1. de bello Pelop.) ut ex præſentibus agreſtium populorum moribus veteres æſtimemus. Hæc omnia barbariei inſtituta, quæ e ſua Rep. eliminat Moſes, inter barbaros agreſteſque homines hodieque vigent: viguere ergo jam olim; ab iis igitur cavere voluit.*

XLVII. Ne ambuletur poſt cogitationes cordis, & viſum oculorum: juxta illud Numer. (b) *& non errabitis poſt cor veſtrum; & poſt oculos veſtros, poſt quos vos fornicamini.*

Domus ſecunda Præceptorum negativorum, quæ eſt de ſeparatione ab Ethnicis, & XIII. *præcepta continet.*

I. NE feriatur fœdus cum ſeptem populis: (nempe Terræ Chananeæ) juxta illud Exodi (c) *non percuties cum iis, & diis eorum, fœdus.*

II. Ne ullus e ſeptem populis ſinatur vivere; juxta illud Deut. (d). *Sed de civitatibus populorum ipſorum, quos Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem, non vivificabis omnem animam.*

III. Ne miſereat nos iſtorum Idololatrarum; juxta illud Deut. (e). *Perdendo perdes eas (gentes) non panges cum eis pactum, neque miſereberis earum.*

IV. Ne

(a) 14. 1. (b) 15. 39. (c) 23. 32.
(d) 20. 16. (e) 7. 2.

IV. Ne ſinamus eos habitare in noſtra terra: juxta illud Exod. (*a*) *non habitabunt in terra tua, ne forte peccare faciant te mihi, cum colueris Deos eorum; quia erit tibi in laqueum.*

V. Ne connubia ineant cum Ethnicis: juxta illud Deut. (*b*). *Neque te junges affinitate cum eis, Filiam tuam non dabis filio ejus, & filiam ejus non capies tuo filio.* (35)

(35) *Lex Attica*, CIVIS PEREGRE NE NUBITO. *Vide ad eam Sam. Petitum ad tit. 1. lib. 6. legum Atticarum. Hujuſmodi leges & propriorum probatorumque morum cuſtodes ſunt, & pietatem atque amicitiam civium inter ſeſe fovent.*

VI. Ne Hammonita, & Moabita matrimonium contrahat cum muliere Iſraelita: juxta illud Deut. (*c*), *non ingredietur Hammonita, & Moabita in Eccleſiam Domini. Etiam in generatione decima non ingredietur in Eccleſiam Domini uſque in ſæculum.*

VII. Ne offeratur pax Hammonitæ, & Moabitæ ſicut ceteris nationibus: juxta illud Deut. (*d*). *Non quæres pacem eorum, & bonum eorum omnibus tuis diebus in ſæculum.*

VIII. Ne ſeparent ſe a poſteris Eſau, niſi uſque in tertiam generationem.

IX. Ne ſeparent ſe ab Ægyptiis, niſi uſque in tertiam generationem: juxta illud Deut. (*e*). *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt. Non abominaberis Ægyptium, quia peregrinus fuiſti in terra ejus. Filii, qui naſcentur eis generatione tertia ingredientur in Eccleſiam Domini.*

X. Ne unquam redeant habitatum in Ægyptum; juxta illud Deuter. (*f*). *Non addetis ut revertemini per viam iſtam amplius.*

XI. Ne perdant arbores fructiferas: juxta illud Deut. (*g*) *Si obſederis civitatem diebus multis, pugnando adverſus eam, ut capias eam, non diſperdes arbores ejus, impellendo contra eas ſecurim; quia ex illis fructibus comedes, & ipſas non ſuccides.* (36)

(36) *Retinuit & hanc legem Muhammedes.*

XII. Ne timeant milites in bello: juxta illud Deuter. (*h*). *Audi Iſrael, eſtis hodie propinqui bello contra inimicos*

(a) 22. 33. (b) 7. 3. (c) 23. 3.
(d) 23. 6. (e) 23. 7. 8. (f) 17. 16.
(g) 20. 19. (h) 20. 3.

eos veſtros: ne molleſcat cor veſtrum, ne timeatis, & ne paveatis, & ne formidetis a facie eorum.

XIII. Ne obliviſcantur malorum operum Hamalec, juxta illud Deut. (*a*). *Delebis memoriam Hamalec ſub cælis: ne obliviſcaris.*

Domus tertia præceptorum negativorum, quæ de honore rebus Sacris exhibendo, & XXIX. præcepta continet.

I. NE blaſphemetur: juxta illud Exod. (*b*).. *Elohim non maledices.*

II. Ne juretur falſo: juxta illud Levit. (*c*). *Et non jurabis in nomine meo mendaciter, neque pollues nomen Dei tui.*

III. Ne juretur in vanum: juxta illud Exod. (*d*) *non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

IV. Ne profanetur nomen Domini: juxta illud Levit. (*e*). *Et non polluetis nomen ſanctitatis meæ.*

V. Ne tentetur Dominus: juxta illud Deuter. (*f*). *Non tentabitis Dominum Deum veſtrum.*

VI. Ne perdant locos ſanctos, veluti ſynagogas, & ſimiles: neque etiam deleantur nomina ſancta: juxta illud Deut. (*g*). *Et diruetis aras eorum &c. non ſic facietis Domino Deo veſtro.*

VII. Ne pernoctet ſuſpenſus in patibulo? juxta illud Deut. (*h*) *Non pernoctabit cadaver ejus (ſuſpenſi) in ligno.*

VIII. Ne ceſſet cuſtodia circa ſanctuarium: juxta illud Num. (*i*). *Et cuſtodietis cuſtodiam ſanctitatis, & cuſtodias altaris, & non erit amplius ira ſuper filios Iſrael.*

IX. Ne ingrediatur Sacerdos ſingulis horis in Sanctuarium: juxta illud Levit. (*k*): *Dixitque Dominus ad Moſem: loquere ad Aaron fratrem tuum, & non ingrediatur in omni tempore ad Sanctitatem, intra velum, coram propitiatorio, quod eſt ſupra Arcam, & non moriatur.*

X. Ne maculatus ingrediatur ad Aram: juxta illud Levit. (*l*). *Veruntamen ad velum non ingredietur, & ad altare non accedet, quia macula eſt in eo.* (37)

(37) *Lex*

(a) 25. 20. (b) 22. 27. (c) 19. 12.
(d) 20. 7. (e) 22. 32. (f) 6. 16.
(g) 12. 3. 4. (h) 21. 23. (i) 18. 5.
(k) 16. 2. (l) 21. 23.

(37) *Lex Attica*, NULLIUS DEORUM SACERDOS SORTE LEGITOR, QUI CASTUS NON SIT. *Ita vertit Petitus. Sed poſtrema verba legis diſtinctius græce ſonant*, *ȣx ovτα καθαρον το σωμα*, corpore purum immaculatumque. *Confer & Platonem lib. 6. legum.*

XI. Ne ullus maculatus ſerviat in ſanctuario. (*a*) *Loquere ad Aaron dicendo: vir de ſemine tuo in generationibus ſuis, cui fuerit macula, non accedat ad offerendum panem Dei ſui, &c.*

XII. Ne ſerviat qui per accidens, aut ad tempus maculatus eſt (*b*). *Omnis vir, cui macula, e ſemine Aaron ſacerdotis, non accedat ad offerendum oblationes ignitas Domini. Is in quo eſt macula non accedat ad panem Dei ſui offerendum.*

XIII. Non adminiſtrent Levitæ, quæ ſunt muneris Sacerdotalis, nec Sacerdotes: quæ ſunt muneris Levitici: juxta illud Num. (*c*). *Verumtamen* (Levitæ) *ad altare non appropinquabunt, & non morientur.*

XIV. Ne ille, qui bibit vinum, ingrediatur in ſanctuarium, nec doceat legem: juxta illud Levit. (*d*). *Et locutus eſt Dominus ad Aaron dicendo: vinum, & ſiceram non bibas tu, & filii tui tecum, cum intrabitis in tabernaculum Eccleſiæ, & non moriemini. Statutum ſæculi in generationes veſtras.*

XV. Ne ſerviat extraneus in ſanctuario. Num. (*e*).

XVI. Ne ſerviat Sacerdos immundus.

XVII. Ne ſerviat Sacerdos, qui laverit illa die, uſque dum noctefcat: juxta illud Levit. *Loquere ad Aaron, & ad filios ejus, & ſeparentur a ſanctitatibus filiorum Iſrael, & non polluant nomen ſanctitatis meæ, in his quæ ipſi ſanctificant mihi. Ego Dominus. Dic ad eos: in generationibus veſtris, omnis vir, qui acceperit ex omni ſemine veſtro ad ſanctificationes, quas ſanctificaverint filii Iſrael Domino, & immunditia ejus fuerit ſuper eum, & excidetur anima ipſa a faciebus meis. Ego Dominus, &c.*

XVIII. Ne intret immundus in ullam templi partem: juxta illud Numer. (*f*). *A maſculo uſque ad fœminam emittetis; extra caſtra emittetis eos* (*immundos*), *& non polluent ſua caſtra, quorum ego in medio eorum habito* (38).

(38)

(a) *Ibidem v.* 17. (b) *Ibidem v.* 21. (c) 18. 3.
(d) 10. 9. (e) 22. 2. 3. (f) 5. 3.

(38) *Et Ethnici omnes ſevere has leges in ſuis Myſteriis ſervavere, quod Græci Latinique hiſtorici copioſe docebunt.*

XIX. Ne intret immundus in caſtra Levitarum: juxta illud Deuter. (*a*). *Si fuerit in te vir, qui non fuerit mundus ab occidente noctis, & egredietur extra caſtra, non ingredietur intra caſtra &c.*

XX. Ne ædificetur ara ex lapidibus politis: juxta illud Exod. (*b*). *Et ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de lapidibus ſectis. Si malleum tuum elevaveris ſuper illud, pollues illud* (39).

(39) *In hujus legis ratione exquirenda digitos arrodunt interpretes. Rudes lapides nativa quadam puritate pulchriores eſſe cenſet Spencerus. Nugæ. Solidius & durabilius eſſe altare ex impolitis lapidibus extructum exiſtimat Clericus. Nugæ item. Sunt qui putant id factum, ne, operis pulchritudine illecti mox oculi paullatim inter idola haberent. Ac videtur nimium in huiuſmodi rebus ſumptum, luxumque non placuiſſe Deo, qui ne Templum quidem ullum priſcis Reip. temporibus extrui ſibi voluit, ne ſcilicet parietibus tanta majeſtas clauderetur, ac ne item a* λογικῷ *cultu ad corporeum delaberentur.*

XXI. Ne aſcendatur gradibus ad aram: juxta illud Exod. (*c*). *Et non aſcendes per gradus ad altare meum, ut non detegatur turpitudo tua ſuper illud.*

XXII. Ne ſacrificia offerantur ſuper altare aureo: juxta illud Exod. (*d*). Non facies aſcendere ſuper illud ſuffimentum alienum, & holocauſtum; & ſacrificium: & libamen non libabitis ſuper illud.

XXIII. Ne fiat oleum unctionis ſecundum deſcriptionem legis.

XXIV. Ne ſe ungat extraneus oleo unctionis: juxta illud Exod. (*e*). *Et ad filios Iſrael loqueris dicendo, oleum unctionis ſanctitatis erit hoc mihi in generationibus veſtris. Super carnem hominis non ungetur, & ſecundum pondus ejus non facietis ſicut illud: Sanctitas eſt, & Sanctitas erit vobis. Quiſquis confecerit unguentum ſimile, & qui poſuerit ex eo ſuper extraneum ſuccidetur e populo ſuo.* Hæc & ſequens politiam cultus ſpectant.

XXV. Ne fiat ſuffitus, ſicut ſuffitus legis: juxta illud Exod.

(*a*) 23. 10. (b) 20. 25. (c) 20. 26.
(*d*) 30. 9. (e) 30. 31. 32. 33.

Exod. (*a*) *Et ſuffimentum quod facies ſecundum pondus ejus non facietis vobis. Sanctitas tibi erit Domino: quiſquis fecerit ſicut ipſum ad odorandum illud, excidetur e populis ſuis.*

XXVI. Non extinguatur ignis altaris, juxta illud Levit. (*b*). *Et ignis ſuper altari ardebit, in eo non extinguetur* (40).

(40) *Lex Ciceronianæ civitatis*, VIRGINES VESTALES IN URBE CUSTODIUNTO IGNEM FOCI PUBLICI SEMPITERNUM. *Idem Perſis mos, plurimiſque aliis vetuſtis nationibus. Præter eam rationem quæ eſt a cultu divino, accedit ratio ſtatus civilis; quod inter ea, propter quæ barbari a cultis populis diſcernuntur, præcipuum locum obtinet* ἑστία, *focus, uſus ignis. Nam & veteres quædam ſylvicolæ gentes ac ferinæ, & plures recentes, quum in America, tum inter populos Auſtrales, omni ignis uſu carent. Conſule Diodorum lib.* I. *&* 5. *Sanchoniath. apud Euſeb. Præp. lib.* I. *Heſiod. op. v.* 50. *Lucret. lib.* 6. *v.* 953. *Virg. Georg. lib.* I. *v.* 131. *&* 135. *Vitruv. lib.* 2. *cap.* I. *Martini hiſt. Sin. tom.* I. *Hiſt. des Isles Marianes par le P. Gobien. Hiſt. gen. des voyag. tom.* 2. *Hornium de Origin. Gent. Amer. lib.* I. *cap.* 8. *& lib.* 2. *cap.* 9. *Nihil eſt in veteri, recentiorique hiſtoria teſtatius. Sed illud conſideratione dignum eſt, quod Græci veteres* ἐφέστιον *civem vocent, quaſi dicas* focum & larem ſuum habentem: *eum vero, qui incertis ſedibus vagatur:* ἀνέστιον, omni ſcilicet lari deſtitutum. *Hinc* igne & aqua interdicti *Græcis Latiniſque dicuntur, quos exulare juſſerant.*

XXVII. Ne educantur vectes ex Arca Sancta: juxta illud Exod. (*c*). *In annulis Arcæ erunt vectes: non removebuntur ab ea.*

XXVIII. Ne ſeparetur Pectorale a ſuperhumerali, juxta illud Exod. (*d*). *Et jungent Pectorale ab annulis ejus ad annulos ſuperhumeralis filo hyacinthi, ut ſit ſuper baltheum ſuperhumeralis, & non ſeparetur Pectorale a ſuperhumerali.*

XXIX. Ne frangatur pallium Sacerdotale: Exodi (*e*).

Domus

(a) 30. 37. (b) 6. 12. (c) 25. 14.
(d) 28. 28. (e) 28. 32.

Domus quarta præceptorum negativorum, quæ eſt Domus ſacrificii, & Sacerdotum & lxxxii. præcepta continet.

I. NE Sacrificia offerantur extra templum: Exſtat in Deut. (*a*).

II. Ne decolletur, ſive mactetur animal ſanctitatis extra templum: Extat in Levit. (*b*).

III. Ne ſantificetur ad aram ulla res maculata: ex Levit. (*c*).

IV. Ne mactetur ulla res maculata in Sacrificium (*d*).

V. Ne effundatur ſanguis animalis maculati ſuper altari (*e*).

VI. Ne offeratur in ſacrificium adeps, aut reliquæ partes animalium maculatorum (*f*).

VII. Ne in ſacrificium offeratur animal, in quo eſt macula aliqua accidentalis: ex Deut. (*g*).

VIII. Non offeratur in ſacrificium animal maculatum, quod acceptum fuerit e manu Ethnici: in Levit. (*h*).

IX. Ne fiat ulla macula in animalibus ſanctitatis: juxta illud Levit. (*i*) *omnis macula non erit in eo*.

X. Ne fiat oblatio ex fermento, aut ex melle:ex Levit. (*k*).

XI. Ne offeratur ſacrificium ſine ſale: in Levit. (*l*) (41).

(41) *Ita leges cultus Civitatis quoque & utilitatibus, & elegantiæ ſerviebant, nam in gelido climate, ut apud Lapones, nullus eſt ſalis uſus, ſineque eo optime carnes ſervantur: contra in calidis omnia ſine ſale marceſcunt.*

XII. Ne offeratur Domino pretium, (aut donum) meretricis, aut pretium canis: juxta illud Deuter. (*m*).

XIII. Ne mactetur mater de animali cum ipſius fœtu: Levit. (*n*).

XIV. Ne conjiciatur oleum in munus peccatoris.

XV. Neque injiciatur ei thus: in Lev. (*o*).

XVI. Non conjiciatur oleum in munus *Sotà*, ſeu mulieris declinantis.

XVII.

(a) 12. *v.* 13. 14. (b) 17. 3. 4. (c) 22. 20.
(d) *Ibid. v.* 21. 22. (e) *Ibid. v.* 24. (f) *Ibid. v.* 22.
(g) 17. 1. (h) 22. 25. (i) *Ibid. v.* 21.
(k) 2. 11. (l) 2. 13. (m) 23. 18.
(n) 22. 28. (o) 5. 11.

XVII. Neque injiciatur ei thus, ex Num. (*a*): *Et veniet faciat vir uxorem ſuam ad Sacerdotem, & offerat oblationem ejus cum ea, decimam partem ephaph farinæ hordei: Non effundit ſuper eam oleum, & non dabit ſuper eam thus: quia munus zelotypiarum eſt, munus memoriæ memorantis iniquitatem* (42).

(42) *Hæ, atque omnes eæ leges, quæ munditiem præcipiunt, duo habent objecta. I. Ut quanta cum animi puritate ad Deum accedere oporteat diſcamus, ac legum diſciplina in habitum convertamus. II. Ut ipſi inter nos ſine ulla impuritate, obſcœnitate ruſticitate vivamus: quæ & urbanitatem efficiunt, aluntque; & facram in animis civium progignunt amicitiam, quæ eſſe nequit, niſi inter homines omnis honeſtatis atque elegantiæ ſtudioſos. Hujuſmodi autem mores potius ſunt civitatis & fundamentum & vinculum. Nam nec ſine moribus quidquam leges proficiunt, ut ait Horatius noſter; nec leges ſanctioneſque civiles conſtitutæ ſunt, niſi ut eſſent amicitiæ loco, ut diſputat Ariſtoteles. Itaque huic rei efficiendæ non Moſes tantum ſtuduit, ſed veteres quoque Ægyptii, Græcique legislatores, qui olim de hominibus feris agreſtibuſque cultos urbanoſque effecerunt. Inde Orphei fabula, qui tigres, rabidoſque leones deliniebat. Quo ego magis miror, hanc legum partem fere totam a recentioribus legum conditoribus fuiſſe prætermiſſam.*

XVIII. Ne permutentur animalia ſanctitatis; juxta illud Levit. (*b*)

XIX. Ne permutetur ſacrificium unum in alterum (*c*).

XX. Ne redimatur primogenitum animalis mundi: in Num. (*d*)

XXI. Non vendantur decimæ animalium: juxta illud Levit. (*e*) *Non redimetur.*

XXII. Non vendatur ager anathematis (43).

(43) *Ideſt agri Deo conſecrati.*

XXIII. Ne redimatur (*f*): *non vendetur, neque redimetur.*

XXIV. Ne ſeparetur caput avis expiationis: juxta illud Levit. (*g*) *& adduces eos* (turtures, vel pullos columbæ) ad

(a) 5. 15. (b) 28. 32. 33.
(c) *Ibid. verſ.* 8. (d) 18. 17.
(e) 27. 33. (f) *Ibid. verſ.* 28.
(g) 5. 8.

ad Sacerdotem, & offeret eum, qui pro peccato, primum, & contorquebit caput ipſius contra cervicem ejus, & non dividet.

XXV. Ne utantur animalibus ſanctitatis.

XXVI. Ne tondeantur iſta animalia: juxta illud Deut. (*a*). *Non tondebis primogenitum pecudum tuarum.*

XXVII. Ne immoletur agnus Paſchalis cum adhuc erit fermentum: ex Exod. (*b*)

XXVIII. Ut nihil relinquatur ex agno Paſchali: in Exod. (*c*)

XXIX. Ut nihil relinquatur ex agno Paſchali ſecundi menſis: in Num. (*d*)

XXX. Ne frangatur ullum os ex agno Paſchali: in Exod. (*e*). (44)

(44) *Lex myſtica.*

XXXI. Ne frangatur ullum os ex agno Paſchali ſecundo: in Num. (*f*)

XXXII. Ne comedatur caro ipſius agni male cocta, aut elixa: in Exod. (*g*) (45)

(45) *Elegantiam morum ſpectat.*

XXXIII. Ut nihil iſtius carnis auferatur ex cœtu: in Exod. (*h*)

XXXIV. Ne comedat ex iſta carne peregrinus, nec mercenarius: in Exod. (*i*). (46)

(46) *Lex Attica*, μηδένα ξένον μύειν nullum peregrinum myſteriis initiato.

XXXV. Ne incircumciſus comedat ex iſta carne: in Exod. (*k*)

XXXVI. Ne comedat ex iſta carne Iſraelita permutatus (*l*).

XXXVII. Ne aſſervetur adeps agni Paſchalis una nocte: in Exod. (*m*)

XXXVIII. Ne aſſervetur caro manifeſtationis uſque mane: juxta illud Levit. (*n*). *Et caro ſacrificii gratiarum actionis pacificorum ejus in die oblationis ejus comedetur. Non dimittet ex eo uſque mane.*

XXXIX. Ut nihil relinquatur ex ſacrificiis Paſchatis uſque ad tertium diem: in Levit. (*o*)

XL.

(a) 15. 19. (b) 23. 18. (c) 12. 10. (d) 9. 12. (e) 12. 46. (f) 9. 12. (g) 12. 9. (h) *Ibid. v.* 46. (i) *Ibid. v.* 45. (k) *Ibid. v.* 49. (l) *Ibid. v.* 43. (m) 23. 18. (n) 7. 15. (o) *Ibid. v.* 16, 17.

XL. Ne coquantur fermentatæ reliquiæ oblationum: in Levit. (*a*)

XLI. Ne quis immundus comedat rem ſanctam: ex Levit. (*b*)

XLII. Ne comedantur ſancta, quæ ſunt contaminata: ex Levit. (*c*)

XLIII. Ne comedatur de eo, quod remanſerit ex ſacrificiis: ex Levit. (*d*)

XLIV. Ne quid abominabile comedatur juxta illud Levit. (*e*)

XLV. Ne comedat extraneus ſeparationem, (ſeu ſanctificationem.)

XLVI. Ne comedat etiam illam mercenarius Sacerdotis: ex Levit. (*f*)

XLVII. Ne comedat incircumciſus ſeparationem.

XLVIII. Ne comedat Sacerdos immundus ſeparationem: in Levit. (*g*)

XLIX. Ne illam comedat filia ſacerdotis nupta extraneo: ex Levit. (*h*)

L. Ne comedatur munus Sacerdotis: juxta illud Levit. (*i*).

LI. Ne comedatur caro expiationum, quæ intus fiunt: ex Levit. (*k*)

LII. Ne comedantur animalia ſanctitatis, data opera maculata, aut corrupta: ex Deut. (*l*)

LIII. Ne comedatur decima ſecunda frugum extra Jeruſalem.

LIV. Ne comedatur decima vini.

LV. Ne comedatur decima olei: juxta illud Deut. (*m*)

LVI. Ne comedat Sacerdos primogenitum perfectum extra Jeruſalem (*n*).

LVII. Ne comedant Sacerdotes expiationes, & peccata extra templum (*o*). *Et boves tuas, & pecudes &c.*

(a) *6.* 17. (b) 7. 20. (c) *Ibid. verſ.* 19.
(d) 19. 8. (e) 7. 18.
(f) 22. 10. (g) *Ibid. verſ.* 4.
(h) *Ibid. verſ.* 12. (i) *6.* 22.
(k) *Ibid. verſ.* 30. (l) 14. 3.
(m) 12. 17.
(n) *Ibidem.*
(o) *Ibidem.*

LVIII. Ne comedatur caro holocauſti (*a*).

LIX. Ne comedatur caro ſanctitatum leviorum, antequam effundatur ſanguis (*b*).

LX. Ne comedat Sacerdos primitias, antequam poſuerit illas in templo (*c*).

LXI. Ne comedat extraneus ſanctitatem ſanctitatum: ex Exod. (*d*)

LXII. Ne comedatur decima ſecunda in luctu.

LXIII. Ne comedatur in immunditia.

LXIV. Ne impendatur pecunia iſtius decimæ in re aliqua, quæ non comedatur, & bibatur: ex Deut. (*e*). (47)

(47) *Leges œconomicæ.*

LXV. Ne comedatur cibus, quin inde removeantur ſeparationes: ex Levit. (*f*)

LXVI. Ne pervertatur ordo decimarum, & ſeparationum: juxta illud Exod. (*g*), *Primitiæ ſementis tuæ cum fuerint maturæ, & primitias vini tui offerre non tardabis.*

LXVII. Ne differantur promiſſa: Deut. (*h*). *Si voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud.*

LXVIII. Ne eatur Jeruſalem ad Paſcha ſine ſacrificio: juxta illud Exod. (*i*). *Et non videbuntur facies meæ vacue.*

LXIX. Ne violet quiſquam promiſſa ſua, juxta illud Num. (*k*). *Cum vir voverit votum Domino, vel juraverit juramentum, ligando ligamen ſuper animam ſuam, non polluet verbum ſuum: ſecundum omne quod egreſſum eſt de ore ſuo faciet.*

LXX. Ne Sacerdos meretricem ducat in uxorem.

LXXI. Ne ducat mulierem corruptam.

LXXII. Ne ducat repudiatam ex Lev. (*l*)

LXXIII. Ne ſummus Sacerdos ducat viduam.

LXXIV. Ne cognoſcat viduam: ex Levit. (*m*) (48)

(48) *Legi heic merentur, quæ Seldenus in opere de u*xore Hebraica *copioſe commentatus eſt.*

LXXV. Ne ingrediatur Sacerdos in Sanctuarium cum longis capillis.

LXXVI.

(a) *Ibid.* (b) *Ibid.* (c) *Ibid.*
(d) 29. 33. (e) 26. 14. (f) 22. 15.
(g) *Ibid. verſ.* 29. (h) 23. 22.
(i) *Ibid. verſ.* 15. (k) 30. 3.
(l) 21. 7. (m) *Ibid. verſ.* 14. 15.

LXXVI. Ne ingrediatur cum veſtibus laceris: ex Levit. (*a*), & Levit. (*b*). (49)

(49) *Agreſtes adhuc populi ferinis his moribus, quos heic vetat lex Moſaica, utuntur.*

LXXVII. Ne exeat Sacerdos e templo in tempore, quo cultus divinus celebratur: ex Lev. (*c*)

LXXVIII. Ne Sacerdos minor contaminet ſe pro extraneis: Levit. (*d*)

LXXIX. Ne contaminet ſe ſummus Sacerdos, ne quidem pro ſuis parentibus (*e*).

LXXX. Ne ingrediatur ubi fuerit mortuus (*f*).

LXXXI. Ne tribus Levi habeat (aut capiat) partem in terra Sancta. *Lex Theocratiæ ſervandæ ſerviens.*

LXXXII. Ne capiat partem in ſpoliis belli: juxta illud Deut. (*g*). *Et hæreditas non erit ei in medio fratrum ſuorum, Dominus eſt hæreditas ejus, quemadmodum locutus eſt ei.*

Domus quinta præceptorum negativorum, quæ eſt Domus ciborum, & XXVIII. præcepta continet.

I. NE comedatur animal immundum: ex Lev. (*h*).

II. Ne comedatur piſcis immundus: ex Lev. (*i*).

III. Ne comedatur avis immunda (*k*)

IV. Ne comedatur reptile ex avibus: ex Deut. (*l*)

V. Ne comedatur reptile terreſtre: ex Levit. (*m*)

VI. Ne comedatur reptile aquaticum (*n*).

VII. Ne comedantur vermes terreſtres (*o*).

VIII. Ne comedantur vermes fructuum cum prodeunt foras (*p*). (50)

(50) *Ut in culta ac perpolita gente nihil eſſe decet quod cum cultu, ac munditiei notionibus pugnet, ita in agreſtibus populis omnia, corporis, animi, ſunt nefanda. Atque id iterum nos monet, quantopere ab iis ſit cavendum, quæ etſi naturæ non adverſa; tamen ad animos moreſque paullatim efferandos, atque ex hominibus belluas efficiendas ſunt idonea. Ser-*

(a) 10. 6. (b) 21. 10. (c) 10. 7. (d) 21. 1.
(e) *Ibid.* v. 11. (f) *Ibid.* (g) 18. 2.
(h) 11. 4. (i) *ibid.* v. 11. (k) *Ibid. verſ.* 13.
(l) 14. 19. (m) 11. 41. (n) *Ibid. verſ.* 43.
(o) *Ibid. verſ.* 44. (p) *Ibid. verſ.* 42.

pentibus, vermibus, aliiſque animantibus, quæ culta gentes averſantur, iiſque crudis plurimos veteres populos veſci ſolitos & Herodotus ſæpe, & Strabo, & Plinius, & alii memorant. Sed ſunt hodieque ejuſdem generis plures quum in America, tum inter gentes Auſtrales. Kolbi in hiſtoria Capitis Bonæ ſpei *retulit, Huttentottos inter jucundiſſima fercula pulices habere. Ab hujuſmodi ergo moribus abſtinendum erat iis, qui ita coibant, ut perfectæ Reipublicæ, omnique juſtitia, elegantia, atque humanitate excultæ exemplar eſſe debebant.*

IX. Ne comedatur morticinum: in Deut. (*a*)

X. Ne comedatur rapina: in Exod. (*b*)

XI. Ne comedatur ſanguis: in Levit. (*c*)

XII. Ne comedatur adeps (*d*).

XIII. Ne comedatur membrum animalis vivi: in Deut. (*e*)

XIV. Ne comedatur nervus contractus: ex Geneſ. (*f*)

XV. Ne coquatur caro cum lacte.

XVI. Ne comedatur caro cum lacte: ex Exod. (*g*) (51)

(51) *Plures velut ineptam, nullaque ratione ſuffultam hanc legem accuſant. Ab ea accuſatione Moſem liberare pluribus ſtuduerunt Bochartus in* Hierozoico *l.* 2. *c.* 52. & *Spencerus* de legibus ritualibus *l.* 2. *c.* 8. *Spencerus Caraitæ cujuſdam conjecturam protulit, contendentis, in more apud vicinos fuiſſe, quum fructus collegiſſent*, coquere hœdum in lacte matris ſuæ, ac deinde, ratione magica, lacte illo, adſpergere arbores, agros, hortos, pomaria, fore credentes, ut hoc more feraciora in annum ſequentem redderentur. *Hanc conjecturam plurima eruditione firmat Clericus (in Exod. 23. v. 19.). Bacchum Ægyptium fuiſſe Deum, eumdemque atque Oſiridem, ex Diodori probat libro primo. Baccho caprum veteres ſacrificaſſe tradit Virgilius Georg. lib. 2. v. 380. quod virgulta adroderet.*

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcenia ludi.

Qui idem Poëta ſcribit, hujuſmodi ſacris feraciores fieri vites. Fieri igitur potuit, *ait ille*, ut hœdos Baccho immolarent nonnulli ex Hebræorum vicinis, utque viderentur ſimul capræ pœnas (*detonſarum vitium*) ei luere, earum fœtus in matrum lacte coquerent, & Bacchum exiſtimarent iis ſacris atque epulis placari, & vineas fœcundiores fieri.

XVII.

(a) 14. 21. (b) 22. 31. (c) 7. 26. (d) *Ibid. v.* 23. (e) 12. 23. (f) 32. 33. (g) 23. 19.

XVII. Ne comedatur caro bovis lapidati: in Exod. (*a*)

XVIII. Ne comedatur panis novus, donec oblatum fuerit numus *Homer*.

XIX. Ne comedatur triticum toſtum, &c.

XX. Ne comedatur triticum in ſpica, &c. juxta illud Levit. (*b*), *& ſpicam teneram non comedetis &c.* (52)

(52) *Et hi aggreſtium ſunt nationum mores etiamnum in America, & ad Septemtriones Aſiæ, atque Europæ.*

XXI. Ne comedatur fructus arboris junioris, donec tranſierint tres anni: Levit. (*c*) (53)

(53) *Lex œconomica.*

XXII. Ne comedatur mixtura vineæ: juxta illud Deut. (*d*). *Non ſeras vineam tuam mixturis.*

XXIII. Ne bibatur vinum *Neſſech*, libaminis Planetarum: juxta illud Deut. (*e*) *qui adipem ſacrificiorum eorum comedunt, bibunt vinum libaminis eorum.*

XXIV. Ne comedatur aut bibatur inſtar guloſi, & ebrioſi: In Lev. (*f*) (54)

(54) *Agreſtes populi vorant potius, quam comedunt.*

XXV. Ne comedatur in die jejunii *chipur*: juxta illud Levit. (*g*): *& affligetis animas veſtras.*

XXVI. Ne comedatur fermentum in Paſchate: juxta illud Exod. (*h*)

XXVII. Ne comedatur mixtura fermenti (*i*). *Omne fermentatum non comedetis.*

XXVIII. Ne comedatur fermentum veſpera Paſchatis a medio die: in Deut. (*k*)

XXIX. Ne inveniatur fermentum in veſtris domibus: juxta illud Exodi (*l*) *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris.*

XXX. Ne appareat fermentum in veſtra Juriſdictione: juxta illud Exod. (*m*) *Infermentata comedentur ſeptem diebus, & non conſpicietur tibi fermentatum, & non conſpicietur fermentum in omni termino tuo.* (55)

(55) *Leges myſticæ, quibus & memoria ſervaretur adeptæ libertatis; & majora adumbrarentur. Sunt ejuſmodi aliæ, quas*

(a) 21. 28. (b) 23. 14. (c) 19. 23.
(d) 22. 10. (e) 32. 38. (f) 19. 26.
(g) 23. 27. 28. (h) 12. 15.
(i) *Ibid.* v. 20. (k) 16. 3.
(l) 12. 19. (m) 13. 7.

quas quivit ipſe per ſe dignoverit; quas ii tantum criminari poſſunt, qui non animadvertunt, quantopere referat magnarum rerum memoriam habere vigilem. Sed & ſunt ejus generis exempla plurima in hiſtoria profana, ac etiamnum inter nos idem ſervatur mos, ut quotannis memoriam illuſtrium factorum celebremus. Vide Laſiteau De moribus agreſtium populorum.

XXXI. Ne bibat Nazaræus vinum, nec quicquam quod ex eo procedat.

XXXII. Ne comedat uvas virides.

XXXIII. Ne comedat uvas paſſas.

XXXIV. Ne comedat nucelos acinorum.

XXXV. Ne comedat cutim acinorum: in Num. (*a*)

XXXVI. Ne Nazaræus radat capillos (*b*).

XXXVII. Ne contaminet ſe Nazaræus pro mortuo.

XXXVIII. Ne ingrediatur domum defuncti (*c*). (56)

(56) *Vide apud eumdem Laſiteau mores eorum agreſtium Americanorum, qui peculiari modo Diis ſacrantur: & ſacerdotum Ægyptiorum apud Herodotum.*

Domus ſexta præceptorum negativorum, quæ eſt domus agrorum, & meſſium, & XVIII. *præcepta continet.*

I. NE demetatur totus campus.

II. Ne colligantur ſpicæ, quæ cadunt in metendo.

III. Ne relictæ a vindemiatoribus uvæ legantur.

IV. Ne acini uvarum colligantur: in Levit. (*d*)

V. Ne redeant ad ſumendum manipulum per oblivionem relictum: Deut. (*e*)

VI. Ne ferantur ſimul duo ſemina mixta: in Lev. (*f*)

VII. Ne plantentur in vinea propagines diverſarum ſpecierum (*g*), & Deut. (*h*)

VIII. Ne fiat mixtura animalium: juxta illud Levit. (*i*) *Animal tuum non facias coire cum altera ſpecie.*

IX. Ne aretur cum bove, & jumento (ſeu aſino) junctis: juxta illud Deut. (*k*) (57)

(57) *Hujuſmodi leges ſymbolicas habet Clericus, Vide adnotata ſuperius. Ego partim œconomicas, partim τῆς παιδείας Judæorum.*

X. Ne

(a) *6. 2. 3.* (b) *Ib. v. 5.* (c) *Ib.* (d) 19. 9. 10. (e) 24 (f) 19. 19. (g) *Ib.* (h) 22. 10. (i) 19. 19. (k) 22. 11.

X. Ne obturetur os animalis cum laborat in re aliqua, quæ editur: juxta illud Deut. (*a*) *Non obturabis os bovis eo triturante*.

XI. Ne aretur terra anno ſeptimo.

XII. Ne colantur arbores.

XIII. Ne demetantur ſponte nata, ſicut reliquis annis.

XIV. Ne colligantur fructus iſtius anni, ſicut in reliquis: juxta illud Levit. (*b*).

XV. Ne colatur terra in Jubilæo.

XVI. Ne demetantur ſponte nata.

XVII. Ne colligantur fructus Jubilæi (*c*).

XVIII. Ne vendatur in terra ſancta ager in perpetuum (*d*).

Domus ſeptima præceptorum negativorum, quæ eſt Domus doctrinæ, & xlv. præcepta continet (58).

I. NE derelinquantur Levitæ: in Deut. (*e*).

II. Ne mutentur agri, & ſuburbia Levitarum: in Levit. (*f*)

III. Ne exigatur debitum cum præterierit *Semitâ*, ſeu annus remiſſionis: in Deut. (*g*).

IV. Ne omittatur dare pauperi id quod indiguerit in Deut. (*h*).

V. Ne omittatur mutuum dare pauperi propter annum remiſſionis inſtantem (*i*).

VI. Ne remittatur vacuus ſervus Judæus cum exibit liber: in Deut. (*k*).

VII. Ne petatur debitum a paupere; juxta illud Exod. (*l*).

VIII. Ne pecunia detur mutuo Iſraelitæ cum uſura (aut lucro): in Levit. (*m*).

(58) *Tota hæc domus continet præcepta, quibus nihil nec juſtius, nec humanius, nec ſapientius Ægyptii, Græci, Latinique legislatores unquam excogitaverunt: quod ii diligentius oſtenderunt, qui cultorum populorum leges cum Moſaicis conferre inſtituerunt.*

IX. Ne

(a) 25. 3. (b) *Ibidem*. (c) *Ibidem v.* 11.
(d) *Ibid. v.* 23. (e) 12. 19. (f) 25. 34.
(g) 15. 2. (h) *Ibid. verſ.* 7. 8. (i) *Ibid verſ.* 9. 10.
(k) 15. 13. (l) 22. 25. (m) 25. 37.

IX. Ne accipiatur mutuo datum ab Iſraelita cum uſura: in Deut. (*a*).

X. Ne ſint ſequeſtri (ſeu proxenetæ) inter fœneratores: in Exod. (*b*).

XI. Ne differatur ſolutio mercedis mercenario debitæ: in Levit. (*c*).

XII. Ne pignus accipiatur a debitore cum violentia, aut rigore: in Deut. (*d*).

XIII. Ne retineatur pignus pauperis, qui illo indiget (*e*).

XIV. Ne accipiatur pignus a vidua (*f*).

XV. Ne in pignus accipiantur inſtrumenta rei ad ſe ſuſtentandum neceſſariæ (*g*).

XVI. Ne plagium committatur: juxta illud Exod. (*h*) *non furaberis*.

XVII. Ne furto bona ulla auferantur: juxta illud Levit. (*i*) *non furabimini*.

XVIII. Ne opprimatur proximus.

XIX. Ne per vim bona ei eripiantur (*k*).

XX. Ne quis neget, ſe habere facultates proximi.

XXI. Ne quis juret falſo, negando ſe habere facultates proximi. (*l*)

XXII. Ne coarctentur limites proximi: juxta *illud* Deut. (*m*). *Non transferes terminum proximi tui*.

XXIII. Ne decipiatur in vendendo, & emendo: juxta illud Levit. (*n*). *Et quum emeritis, &c.*

XXIV. Ne decipiatur verbis (*o*).

XXV. Ne decipiatur peregrinus verbis.

XXVI. Ne decipiatur in vendendo, & emendo: juxta illud Exod. (*p*): *& peregrinum non defraudabis, & non opprimes eum*.

XXVII. Ne affligatur orphanus, nec vidua (*q*).

XXVIII. Ne reddatur domino ſervus, qui fugerit e terra extranea in terram ſanctam.

XXIX.

(a) 23. 19. (b) 22. 25. (c) 19. 13.
(d) 24. 10. 11. (e) *Ibid. verſ.* 12. (f) *Ibid. verſ.* 17.
(g) *Ibidem verſ. 6.* (h) 20. 13.
(i) 19. 11. (k) *Ibidem verſ.* 13.
(l) *Ibidem verſ.* 11. (m) 19. 14.
(n) 25. 14. (o) *Ibidem verſ.*
(p) 22. 21. (q) *Ibidem* 14.

XXIX. Ne defraudetur iſte ſervus: juxta illud Deut. (*a*). *Non trades ſervum Domino ejus &c.*

XXX. Ne quis utatur ſervo Hebræo, tamquam mancipio.

XXXI. Ne vendatur tamquam mancipium.

XXXII. Ne exigatur ab eo ſervitium cum acerbitate.

XXXIII. Ne permittatur, ut ethnicus eum dure tractet: in Levit. (*b*)

XXXIV. Ne vendatur alteri ſerva Judæa.

XXXV. Ne omittatur dare iſti ſervæ (ſi fuerit deſponſata) tria, quæ a lege ſunt mandata: Vide Exod. (*c*)

XXXVI. Ne vendatur mulier formoſa in bello capta.

XXXVII. Ne quis utatur illa tamquam ſerva: Vide Deut. (*d*)

XXXVIII. Ne concupiſcatur: in Exod. (*e*)

XXXIX. Ne deſideretur ulla res aliena: juxta illud Deut. (*f*). *Non concupiſces domum proximi tui, &c.*

XL. Ne comedat mercenarius quamdiu laborabit in agro.

XLI. Ne mercenarius plus capiat (in agro in quo laborabit) quam id quod comedet: in Deut. (*g*)

XLII. Ne abſcondatur res amiſſa: in Deuter. (*h*) (59)

(59) *Lex erat Spartana*, Quæ non poſuiſti, ne tollas.

XLIII. Ne relinquatur animal ſub onere: juxta illud (*i*). *Non videbis aſinum fratris tui, &c.*

XLIV. Ne fraus committatur in menſuris, & ponderibus: in Levit. (*k*)

XLV. Ne habeamus domi noſtræ pondera, & menſuras falſas: in Deut. (*l*)

Domus octava præceptorum negativorum, quæ eſt domus Juſtitiæ, & xlvii. *præcepta continet.*

I. NE violetur juſtitia: juxta illud Levit. (*m*). *Non facietis iniquitatem in judicio.*

II. Ne

(a) 23. 15. (b) 25. 39.
(c) 21. 7. 8. (d) 21. 14.
(e) 20. 17. (f) 5. 21.
(g) 23. 24. (h) 22. 1. 2. 3.
(i) *Ibidem verſ.* 4. (k) 19. 35.
(l) 25. 13. 14.
(m) 19. 15.

II. Ne accipiatur munus concuſſionis (56): juxta illud Exod. (*a*). *Et munus non accipies, quia munus excæcat videntes*. (60)

(60) *Ideſt munus, quo corrumpatur judex, quo fiat, ut non recte judicet. Plato cenſuit eliminandum e Republica illud*, Munera, crede mihi, placant homineſque, deoſque, *velut quod & diis eſſet injurium, & hominibus*.

III. Ne honoretur quiſpiam in juſtitia; juxta illud Levit. (*b*). *Non honorabis faciem potentis*. (61)

(61) *Jus enim ex æquo dicendum eſt: neque enim pauperis jura minus ſunt ſua, quam quorumcumque aut divitum, aut potentum. Novemviri Attici ſolemne hoc juramentum præſtabant*, συμφυλάξω τὺς νόμυς, leges ſervabo. *Vide Petitum lib. 2. tit. 2. Ad judicia ergo arbitraria radicitus extirpanda (ſunt enim omnis iniquitatis fons) lex altera Attica ſciſcit*, MAGISTRATUS JUDICIA NE REDDUNTO SECUNDUM LEGES NON SCRIPTAS, NE ULLA QUIDEM DE RE, μηδὲ περὶ ἑνός.

IV. Ne timeatur in juſtitia ab homine malo: in Deut. (*c*).

V. Ne miſereat nos pauperis in juſtitia: juxta illud Exod. (*d*) *& pauperem non honorabis in cauſa ſua*. Vide etiam Levit. (*e*)

VI. Ne miſereat nos illius, qui commiſerit homicidium, aut aliud crimen: in Deut. (*f*)

VII. Ne violetur juſtitia impii: juxta illud Exod. (*g*), *ne pervertas judicium egeni tui in lite ejus*.

VIII. Ne violetur juſtitia peregrini, viduæ, aut orphani: in Deut. (*h*)

IX. Ne audiatur una pars in abſentia alterius: in Exod. (*i*).

X. Ne inclinetur poſt multos in cauſa animæ, cum differentia erit tantum unius.

XI. Non condemnet judex ex opinione alterius, ſed ex ſua propria: in Exod. (k)

XII.

(a) 23. 8. (b) 19. 15.
(c) 1. 17. (d) 23. 3.
(e) 19. 15. (f) *Ibid. verſ.* 13.
(g) 23. 6. (h) 24. 17.
(i) 23. 1.
(k) *Ibid. verſ.* 2.

XII. Ne eligatur in judicem ille, qui non eſt doctus in lege, etiam ſi doctus ſit in aliis rebus: in Deut. (*a*).

XIII. Ne quis teſtetur falſo: in Exod. (*b*).

XIV. Ne juſtificetur peccator: in Exod. (*c*).

XV. Ne conſanguinei teſtentur: juxta illud Deut. (*d*). *non morientur patres pro filiis, & filii non morientur pro patribus, unuſquiſque pro peccato ſuo morietur.*

XVI. Ne quis condemnetur ob unum teſtem: in Deut. (*e*).

XVII. Nemo ad mortem condemnetur ex conjecturis, indiciis, & opininone, ſed tantum per teſtes claros: in Exod. (*d*).

XVIII. Ne occidatur: juxta illud Exod. (*e*). *Non occides.*

XIX. Ne occidatur facinoroſus, donec compareat in judicio: in Num. (*f*).

XX. Ne accipiatur præmium pro vita homicidæ.

XXI. Ne accipiatur etiam pro eo, qui homicidium per errorem commiſerit (*g*).

XXII. Ne judicet in cauſa criminali, qui in eadem fuit teſtis (*h*).

XXIII. Ne quem miſereat perſecutoris: juxta illud Deut. (*i*). *Et manum ejus abſcindes.*

XXIV. Ne pœnas det, qui vim paſſus eſt: juxta illud Deut. (*k*). *Et puellæ* (vim paſſæ) *non facies quicquam.*

XXV. Ne quis ſit præſens in ſanguine proximi: in Levit. (*l*). *Non ſtabis ſuper ſanguinem proximi tui.*

XXVI. Ne relinquatur in domo offendiculum: juxta illud Deut. (*m*). *Si ædificaveris domum novam, & facies ſeptum tecto tuo, & non pones ſanguinem in domo tua, cum ceciderit cadens ex eo.*

XXVII. Ne ponatur offendiculum ante Iſraelitam: juxta illud Levit. (*n*). *Et coram cœco non dabis offendiculum.*

XXVIII.

(a) 1. 17. (b) 20. 14.
(c) 23. 1. (d) 24. 16.
(e) 19. 15. (f) 23. 7.
(g) 20. 13. (h) 35. 13.
(i) *Ibidem verſ.* 31.
(k) *Ibid. verſ.* 30.
(l) 25. 12. (m) 22. 26.
(n) 19. 16. (o) 22. 8.
(p) 19. 14.

XXVIII. Nihil adjiciatur ſupra *Malcut:* juxta illud Deut. (*a*). *Quadragies percutiet eum* (nempe judex facinoroſum). *Non addet, ne forte ſi addat cædendo ſuper eum hæc verbera multa*; *& vileſcat frater tuus in oculis tuis*.

XXIX. Ne quis calumnietur: juxta illud Levit. (*b*). *Non ibis detractor inter populus tuos*.

XXX. Ne ſervetur odium in corde adverſus proximum (*c*).

XXXI. Ne quis pudefaciat Iſralitam (*d*). *Corripiendo corripies proximum tuum, & ne feras ſuper illo peccatum.*

XXXII. Ne quis ulciſcatur proximum.

XXXIII. Ne ſervetur malevolentia (aut injuria) (*e*).

XXXIV. Ne accipiatur mater cum fœtu ſuo: in Deut. (*f*).

XXXV. Ne tondeatur capillus tineæ: juxta illud Levit. (*g*). *Et radetur* (leproſus) *ſed maculam nigram non radet.*

XXXVI. Ne tollantur ſigna lepræ: juxta illud Deut. (*h*) *Cave tibi a plaga lepræ, ut cuſtodias valde; &c.*

XXXVII. Ne colatur areola, in qua fuerit decollata juvenca: in Deut. (*i*).

XXXVIII. Ne ſinatur vivere ſortilegus: juxta illud Exod. (*k*) *Maleficam non ſinas vivere.*

XXXIX. Ne obligetur novus ſponſus in bellum proficiſci: in Deut. (*l*).

XL. Ne quis contumax ſit adverſus Senatum Hieroſolymitanum, & ejus traditionem: in Deut. (*m*).

XLI. Ut nihil addatur ad præcepta legis.

XLII. Ut nihil diminuatur ex eis: juxta illud Deut. (*n*).

XLIII. Ne maledicatur Judicij.

XLIV. Ne maledicatur Principi: in Exod. (*o*).

XLV. Ne cui domini in Iſrael maledicatur: juxta illud Levit. (*p*) *non maledices ſurdo.*

XLVI. Ne maledicatur Patri, aut Matri.

XLVII. Ne feriatur Pater, aut Mater: juxta illud Exod. (*q*) *Et maledicens patri ſuo & matri ſuæ moriendo morietur.*

Domus

(a) 25. 3. (b) 19. 16. (c) *Ibidem verſ.* 17.
(d) *Ibid.* (e) *Ibidem verſ.* 18. (f) 22. 6.
(g) 13. 33. (h) 24. 8. (i) 21. 4. (k) 22. 18.
(l) 24. 5. (m) 17. 11. (n) 4. 2. (o) 22. 28.
(p) 19. 14. (q) 21. 17.

Domus nona præceptorum negativorum, quæ eſt domus Feſtorum; & x. præcepta continet.

I. NE fiat ullum opus in Sabbatho: in Exod. (*a*).
II. Ne exeatur extra terminos civitatis in Sabbatho: in Exod. (*b*).

III. Ne executioni mandetur pœna in Sabbatho: juxta illud Exod. (*c*) *Non accendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris in die Sabbathi.*

IV. Ut nullum opus fiat in prima die Paſchatis (*62*).

(*62*) *Lex Attica vetuit die Athenienſium feſto vel concionari aliis de rebus, quam iis, quæ ad Feſtorum religionem pertinerent. Vide Samuel. Pet. ad leges Att. lib.* 1. *tit.* 1.

V. Ut nullum opus fiat in ſeptima die Paſchatis: in Levit. (*d*).

VI. Ut nullum opus fiat in feſto *Sebuhot* (ſeptimanarum) (*e*).

VII. Ut nullum opus fiat in primo die menſis ſeptimi *Roshaſanà* (*f*).

VIII. Ut nullum opus fiat in die *Chipur* (expiationis) (*g*).

IX. Ut nullum opus fiat in primo die feſto *Sucot* (tabernaculorum) (*h*).

X. Ut nullum opus fiat in octavo die Retentionis: (*i*) *Retentio eſt: Omne opus ſervile non facietis.*

Domus decima præceptorum negativorum, quæ eſt domus caſtitatis, & puritatis, & xxiv. *præcepta continet.*

I. NE reveletur nuditas matris.
II. Uxoris Patris.

III. Sororis, vel a parte patris, vel a parte matris.

IV. Filiæ uxoris Patris. Levit. (*k*).

V. Neptis filiæ filii.

VI.

(a) 20. 10. (b) 16. 29. (c) 35. 3.
(d) 23. 7. 8. (e) *Ibidem verſ.* 21.
(f) *Ibid. verſ.* 25. 26. (g) *Ibid. verſ.* 30. 31.
(h) *Ibid verſ.* 34. 35. (i) *Ibid. verſ.* 37.
(k) 18. 7. 8. 9. 11.

VI. Neptis filiæ filiæ.
VII. Filiæ propriæ. Levit. (*a*).
VIII. Mulieris cum ſua filia.
IX. Mulieris cum nepte ſua ex filio. Levit. (*b*).
X. Mulieris cum nepte ſua ex filia.
XI. Sororis patris, ſeu amitæ.
XII. Sororis matris, ſeu materteræ. Levit (*c*).
XIII. Uxoris patrui. Levit. (*d*).
XIV. Nurus. Levit. (*e*).
XV. Uxoris fratris. Levit. (*f*).
XVI. Sororis uxoris vivente illa: Levit. (*g*).
XVII. Ne cognoſcatur mulier conjugata: juxta illud Exod. (*h*) *Non mœchaberis*.
XVIII. Ne cognoſcatur mulier *Niddà*, ſeu menſtruata: in Levit. (*i*).
XIX. Ne committatur peccatum nefandum: in Levit. (*k*) *Cum maſculo non coibis*.
XX. Ne reveletur nuditas patris. Levit. (*l*).
XXI. Ne reveletur nuditas fratris patris ſui. Levit. (*m*).
XXII. Ne committatur inceſtus cum bruto.
XXIII. Ne ſubjiciat ſe mulier bruto: in Levit. (*n*).
XXIV. Ne ſumatur delectatio cum ulla muliere prohibita: in Levit. (*o*).

Domus undecima præceptorum negativorum, quæ eſt domus conjugiorum, & VIII. præcepta continet.

I. NE ducat *mamzer* (ſpurius) uxorem Iſraelitam: in Deut. (*p*).
II. Ne ducat eunuchus filiam Iſrael: in Deuter. (*q*).
III. Ne quis mas eunuchus fiat: in Levit. (*r*).

IV.

(a) *Ibid. verſ.* 10. (*b*) *Ibid. verſ.* 17.
(c) *Ibid. verſ.* 12. 13. (d) *Ibid. verſ.* 19.
(e) *Ibid. verſ.* 15. (f) *Ibid. verſ.* 16.
(g) *Ibid. verſ.* 18. (h) 20. 13. (i) 18. 19.
(k) *Ibid. verſ.* 22. (l) *Ibid. verſ.* 7.
(m) *Ibidem verſ.* 14. (n) *Ibidem verſ.* 23.
(o) *Ibid. verſ.* 6. (p) 23. 2.
(q) *Ibid. verſ.* 1. (r) 22. 24.

IV. Ne ſit proſtituta in Iſrael: in Deut. (*a*)

V. Ne qui divortium fecit cum uxore, iterum ducat eam poſtquam nupta fuerit alteri: in Deut. (*b*)

VI. Ne fratris uxor nubat cum extraneo: in Deut. (*c*)

VII. Ne divortium faciat cum uxore, qui eam diffamavit in adoleſcentia: in Deut. (*d*)

XIII. Ne qui vim intulit puellæ divortium faciat cum ea: in Deut. (*e*)

Domus duodecima præceptorum negativorum, quæ eſt domus Regni, & IV. præcepta continet.

I. NE eligatur Rex ex gente extranea: in Deut. (*f*)

II. Ne Rex multos ſibi comparet equos (*g*)

III. Ne multas ducat uxores.

IV. Ne magnam copiam argenti, & auri ſibi accumulet (*h*).

CAPUT XVIII.

De Moſaicarum legum præſtantia, & ſanctitate.

QUI legum Moſaicarum præſtantiam & ſanctitatem eſt ponderaturus, is non ſolum naturæ civitatis, atque humanorum jurium, quod eſt in ceteris legum lationibus neceſſarium, callentiſſimus eſſe debet, verum illud quoque conſiderare, internam Judaicæ Reipublicæ conſtitutionem plurimum ab omnibus aliis diſtare: ceteræ namque civitates atque Reſpublicæ, ut ſua jura ſervarent, ſibique mutuam opem præſtarent, coaluerunt: Judaica non hunc tantum ſibi finem propoſuit, ſed a ſui initio peculiari quodam modo Deo fuit mancipata; coaluitque non tam ut ſe ac ſua jura tutaretur, ſed ut ſingulare quoddam & illuſtre Dei eſſet inſtrumentum, quo ille & latius inter vicinos populos miraculis, prophetiis, omnique oſtentorum genere noſceretur, & quid demum eſſet effecturus, quum ſatis

(a) 23. 17. (b) 24. 4. (c) 25. 5.
(d) 22. 19. (e) *Ibid.* v. 29. (f) 17. 15.
(g) *Ibid. verſ.* 16.
(h) *Ibidem verſ.* 17.

ſatis illa eſſent pervulgata, portenderet (1). Eo igitur totâ Moſaica legislatio ſpectabat, eoque a philoſopho referenda eſt; nimirum ut & Deo jura ſua adſervarentur: & adſervarentur hominibus: & Judaica civitas veræ eſſet religionis & morum ſanctitatis atque elegantiæ exemplar: & dictis, factis, moribus futurum Meſſiæ Regnum præ ſe ferret. Itaque quum hæc civitas longe aliter, quàm aliæ, conſtituta primum ſit, formamque & naturam habuerit diverſam, item diverſum ab aliis regimen habere oportuit: quod ſi regimen aliud, & leges alias: quod ii non videntur ſpectaſſe, qui veluti frivolas, nulliuſque utilitatis leges ejus quaſdam traduxerunt. Quo modo quod Lacedæmoniorum Reſpublica id habuerit præcipuum, ut ad bellum tota ſpectaret; neceſſe fuit, ut magis inſtitutis militaribus, quam civilium negotiorum, vigeret. Atque inde factum eſt, ut in illis copioſus, in his admodum parcus eſſet Lycurgus. Contra Carthaginienſis Reſpublica, Athenienſis, Rhodienſis, quæ pacis artes & commercia reſpiciebant, non in milite formando occupatæ erant, ſed in civibus ad pacem, artes,

(1) Tacitus lib. v. hiſt. *Moſes, quo ſibi in poſterum gentem firmaret, novos ritus contrarioſque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos ſacra; rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta.* Erat enimvero ita faciendum. Nam quum ceteras Reſp. plurium Deorum cultu regerentur, ſola Judaica *unum numen*, idque inviſibile, incorporeum, a quo omnia ſunt facta & reguntur, colebat. Atque hæc præcipua cauſa eſt tot rituum, qui antiquarum rerum ignaris ſine ulla ratione inſtituti videntur. Eam provinciam præclara geſſit Spencerus. Sed ut hæc ſit unica cauſa legum omnium ritualium, id ei non concedo. Alteram ego, ut ſæpe dictum eſt, genericam cauſam eſſe exiſtimo, urbanitatem: erant enim adhuc, non veſtigia tantum antiqui ruris, ut ille ait, ſed magna ubique ruſticitas: adhuc pugnis & fuſtibus prope rivos & glandes certabant major ejus ætatis populorum pars. Ab ea barbarie revocandi erant Judæorum mores, atque perpoliendi, ut non ſolum religione, & juſtitia, *ſed* morum quoque elegantia *diſtinguerentur*. Eo vero plures leges rituales ſpectant. Ita Æthiopes cutem impreſſis ſtigmatibus pingebant, vide Sext. Emp. hypoth. Pyrrhon. lib. 1. quod hodieque agreſtes Americæ gentes conſueſcunt: id cultæ genti vetandum erat. Conſuevere olim barbaræ gentes ſe animantium, quæ necabant, morte & ſanguine oblectare: hinc brevis erat gradus ad inhumanitatem. Id erat averruncandum. Athenienſes vivo arieti pellem detrahenti pœnam conſtituerunt, ut retulit Plutarchus orat. 1. περισαρκοφαγιας, Vide & Porphyrium περι αποχης. Agreſtes gentes animantia viva deglutiunt: id Anſon oculis ſuis inſpexit (vide ejus iter). Hinc facile ad anthropophagiam itur. Id & Noemo vetuit Deus, & Judæis. In gentibus agreſtibus nulla nec agriculturæ, nec œconomiæ ars: erant eam docendi Judæi. Idem de ceteris judicium eſto.

artes, commercia excolendis, ut ſi quando ad malitiam animum verterint, non ex civitatis conſtitutione fecerint, ſed alieno inſtituto incœptiſque, quo ſe tutarentur, adactæ. Sunt & hodie ejus generis civitates quædam, veluti in Italia Veneta, ultra montes Batava; quum tamen Helvetiorum Reſpublicæ, quæ una militia nituntur, aliis inſtitutis legibuſque utantur.

2. Sed quo hæc ediſſeramus latius, alte res eſt repetenda. Leges juribus & ſingulorum, & totius civitatis conſervandis natæ ſunt. Jus autem eſt, quod in cujuſque eſt proprietate: nam quod in mea eſt proprietate; ita meum ac proprium eſt, ut nequeat idem ullius alterius eſſe proprium. Quæ autem in noſtra ſunt proprietate, aut nata nobiſcum ſunt, aut per ea, quæ nobiſcum ingenerantur, legitime quæſita; aut aliorum in nos ſine ullo dolo malo translata voluntate. Tota natura, atque animi corporiſque vires, doteſque, vita, corporiſque membra vitæ inſtrumenta, congenita nobiſcum ſunt; ſunt igitur natura ipſa in cujuſque proprietate. Hæc *jura primæva* nomino. Sed his juribus bona, quæ fortunæ dicuntur, acquirere plurima poſſumus: quæ ſi legitime, ac ſine ullo dolo malo, ideſt ſine ullius jurium læſione, quæſita fuerint, non minus noſtra ſunt ac propria, quam illa primæva, *Jura quæſita* hæc dicemus. Eo ſpectant uxores, liberi, munera, gloria, fundi, atque id genus alia. Poſtremo pactis conventis ſæpe alii in alios eam jurium noſtrorum partem transferimus, quæ divelli a nobis poteſt. Idque ſeu ut reliqua ſarta tecta ſervemus, ſeu ad alia acquirenda aditum nobis aperiamus. Ea quoque jura, quum ſine ullius offenſione reciprocantur, tam ſunt propria cujuſque, quam reliqua omnia. Hæc *translata jura* appellabimus.

3. Præter hæc, quæ indicavimus, quæque jura *perfecta* vocant, jus eſt *mutuæ opis poſcendæ*, ſine quo nec natura eſſe animalis poteſt, nec ullus hominum cœtus: nam & tota quanta quanta eſt natura animalis ſocialis eſt, quod id oſtendit, quod nullum animans ſine conjunctione maris & fœminæ naſcatur, nullumque ſit vitale ſine parentum tutela: & homines in primis, qui ſupra naturam animalem rationem afferunt, qua belluæ deſtituuntur, quæ una mutua commoda conciliantur. Quum igitur Deus in hanc nos vitam ediderit non natura ſolum animali inſtructos, ſed ratione quoque ſubornatos, is in mutuos cœtus nos

procreaſſe videtur. Cœtus autem ſine reciproca benevolentia qui aut coire primum poſſunt, aut poſtquam coaluerint, ſtare? Sed nec eſſe mutua poteſt benevolentia ſine mutua ope: qua ex re fit ut qui animales & ſociales naſcimur, cum jure mutuæ opis poſcendæ naſcamur. Accedit eodem, quod ita naſcimur, ut vitæ continuandæ facultas longe ſit in nobis minor, quam uſus eſt: ſunt enim ea, quibus indigemus, longe majora, quam vires. Itaque ſine mutua ope quotus hominum quiſque nativitati eſſet ſuperſtes? Natura ergo ipſa poſcere videtur, ut alii aliis auxilium feramus, quo jura quiſque ſua ſervare & tueri poſſit: Jam inchoatum hoc in natura jus pactionibus civitatis conſolidamus: neque enim alia cauſa civitates primum conſtitutæ ſunt, niſi ut imbecillitati ſingulorum velut una omnium coitione ſuccurreremus. Quare fit, ut hoc jus mutuæ defenſionis, opiſque partim natura, partim pactis habeamus. Quum vero jura noſtra, & propria ſint tam quæ nobiſcum naſcuntur, quam quæ conventionibus alii in alios tranſtulimus; hoc jus non minus proprium ac noſtrum eſt, quam cetera omnia.

4. Porro jus hoc reciprocæ humanitatis fruſtraneum eſt, niſi latis legibus hominis natura quaſi molleſcat, omnique ruſticitate ac barbarie ſpolietur: nam ruſticitas *barbarieſque* quum homines ſolitudinis amantes efficit, tum repellit ab ea humanitate, qua alii aliis opem ferre & velimus & præſto ſimus. Leges igitur, quibus urbanitati cavetur, morumque elegantiæ, omnes ad hoc mutuæ opis jus, primævum in natura, pertinent. Atque inde eſſe ego factum puto, quamobrem Minos in Cretenſi civitate, Lycurgus in Lacedæmonia, Solon in Athenienſi publica convivia ſtatuerint, quo hominum inter ſeſe ὁμιλια mutuum conciliaret amorem, foveretque. Quam ὁμιλιαν & Plato in VIII. de legibus, & Ariſtoteles in II. de Rep. libro ſummopere commendant. Jam vero cavendum quoque eſt, ne hæc omnia urbanitatis inſtrumenta nimium luxum progignant, quo nihil eſt potentius ad jus hoc, de quo diſſerimus, debilitandum: nam ut nimia ruſticitate, agreſtique vita, ita nimio luxu homines ſibi ſolis conciliantur, atque ab omni humanitate abſtrahuntur: agreſtes quidem, quod omnem vitæ commoditatem aſpernentur; luxu vero diffluentes, quod ne infinita quidem ſibi ſatis eſſe opinentur. Quare fit, ut ab optimo Reipublicæ

ſtatu

ſtatu & ruſticitas abeſſe debeat, & luxuries. Quæ ergo leges luxuriem frænant, eæ non incolumitati tantum Reipublicæ proſpiciunt, ſed jus hoc mutuæ opis continent, quantumvis illæ exiles ſint, atque minutæ.

5. Ad hæc igitur jura ſervanda natæ ſunt leges, quarum omnium hæc, quæ non hominum placitis, ſed natura ipſa conſtat, fundamentum eſt, *ut ſua cuique jura ſervemus: læſa reſarciamus*. Nam jus ſine reciproca obligatione nec eſſe poteſt ullum, nec concipi. Obligatio eſt, ut quod proprium eſt cujuſque, id ut eſt, ita eſſe proprium ſinamus, pœna talionis damnandi ſi uſurpaverimus, aut ullo modo læſerimus, aliiſque injurii fuerimus. Hinc ordienda ea eſt legislatio, quæ & cum rerum natura ſit conſenſura, & civitatis felicitatem effectura. *Qui aliter jus civile tradunt* (uſurpabo hoc Ciceronis) *non tam juſtitiæ quam litigandi tradunt vias* (*a*).

6. Quum igitur inde proficiſci legislationem oporteat: ſequitur ut inde hauriendæ ſint rationes, quibus recte, juſtæ, ſapienteſne ſint civiles alicujus Reipublicæ leges dijudicemus, an, obliquæ, iniquæ, ſtultæ. Is lapis lydius eſt, quo Solonis, Lycurgi, Decemvirorum leges probantur. Eodem leges Moſaicas explorabimus.

7. Sed ut id via ac ratione faciamus, jura ipſa ſunt & diſpeſcenda a ſubjectis, quibus inſunt, & in ordinem ſuum quaſi cogenda. Sunt jura Deo: ſunt hominibus: atque in his quædam perſonarum, alia familiarum, alia totius civitatis, eorumque, qui civitati præſunt; atque hæc aut juſtitiæ, aut benevolentiæ, ſeu congenita, ſeu legitime quæſita, ſeu mutua voluntate translata. His juribus ſervandis leges ferri debent. Prima autem ac potiſſima in iis conſideratio eſſe debet jurium divinorum; ſine quibus ne noſtra quidem eſſe poſſunt. Secundum locum obtinent civitatis totius ac imperantium jura quippe quibus debilitatis; nulli nec perſonæ, nec familiæ ſua jura in tuto eſſe poſſunt. Poſtremum locum privata jura obtinent, etſi ea jurium civitatis ſint fundamentum.

8. Quibus conſtitutis primum ego argumentum divinæ Moſis legislationis hinc capio, quod in fundamento legum conſtituendo, Deo nempe Deique cultu, Deoque ſuis juribus

(a) *Lib. I. de Legibus*.

ribus adſerendis, ſingularis fuerit ejus œconomia, nullaque in alia Republica nec perſpecta, nec adhibita. Deus ei eſt mens æterna, ipſa per ſe ſubſiſtens, rerum ceterarum effectrix, & gubernatrix: nutu omnia efficit moderaturque. Nullum præter illud eſt aliud in univerſo numen: nihil igitur aliud colendum: unicus eſt, & ſolus Deus: omnes igitur adſcititii Dii, ſuperi, infimi, medii, patellarii, ut ait Plautus, velut maligni genii averruncandi. Singularis, ut dixi, in eo cultu ſtatuendo fuit Moſes. Nam ejus ævi Ægyptii plures divos colebant: colebant Arabes, Phœnices, Aſſyrii, Aſiæque minoris Græci, ſive Jones. Quin tot Gentium ſuprema divinitas Ζεὺς *hominum divumque pater*, ut ſæpe vocat Homerus, ſol erat, quem ab iis omnibus nefandis quandoque ſacrificiis cultum tota pagana vetuſtas teſtificatur. Quis homuncio in tam agreſti imperitaque gente, interque tam fœdas ſuperſtitiones adulta, tam audax conſilium ſuſcepiſſet? Id inde patet, quod ne præſtantiſſimi quidem legislatores Minos, Lycurgus, Solon, Numa publicum cultum ad unum & ſummum Jovem conferre auſi fuerunt: nec auſi fuerunt Philoſophi, qui Reſpublicas deſcripſerunt, Plato, Ariſtoteles, Cicero, aliique. Quin ſanxerunt, ut *nihil de* tanta ac tam ſtulta Deorum, Dearumque turba demeretur. Hæc ut Moſes arbitrio tantum ſuo decreverit, vix ego ulli credibile eſſe puto.

9. His accedit, quod vetuſti illi & illuſtres legislatores, quorum adhuc ſupereſt memoria, quum intellexiſſent, totam vim legum a Deo eſſe hauriendam; tamen omnes commentitios Deos legum ſuarum auctores fecere; aut verum Numen ignorantes; aut non auſi in publicum efferre, ne ſuſceptæ ſemel religiones everterentur. Ac Minos quidem Jovem legum ſuarum auctorem fecit, quem Plato pro ſummo Jove accepiſſe videtur: ſed ſimilius vero eſt Cretenſem Jovem e Titanum fuiſſe familia: alioquin qui in Creta eductum vetus Græcorum traditio tanta conſenſione detuliſſet? Mneves Ægypti legislator a Mercurio leges accepiſſe vulgabat (*a*): Lycurgus ab Apolline (*b*): Zaleucus qui Locrenſibus leges tulit, a Minerva (*c*): Zathrauſtes Arimaſpum legislator ab eo nationis Genio, quem illi cole-

(a) *Diodorus l.* 1. (b) *Diod. ibid. Strabo lib.* 16.
(c) *Diod. ibid. Valer. Max. l.* 1. *c.* 1. *Plutarch. in Numa.*

colebant (*a*): Zamolxis Getarum a Dea Veſta (*b*): Numa Romanorum a Dea Egeria (*c*): ceteri eumdem in modum. Id longe abeſt a Moſe: nam nec verum Deum ignorabat, nec quidquam vetitus eſt ab eo leges auſpicari.

10. Alterum argumentum inde ego ſuſcipio, quod in ceteris populis vetuſti legislatores divinitatis honores conſecuti ſint, ut in Ægypto Oſiris, & Iſis: in Aſſyria Belus: in Græcia Titanes: in Italia Romulus, ſeu Pater Quirinus, alibique alii. Satis enim conſtat ex veteri hiſtoria primos humanitatis fundatores merito virtutum inter Deos translatos fuiſſe, cujus rei Evehemerus copioſam, doctamque admodum hiſtoriam conſcripſerat. Quin idem uſuveniſſe apud Sinas, aliaſque Orientis gentes, idem apud Peruanos & Mexicanos recentes hiſtoriæ dubitare nos prohibent. Nihil tamen ejuſmodi unquam in Judaica gente factitatum eſt. Erat igitur ei nationi perſuaſum, Moſem non fuiſſe, niſi Dei interpretem: alioquin, quis vetuiſſet Judæos id efficere, quod notum eſt, omnes reliquos populos feciſſe?

11. Tertium argumentum eſt, quod nihil profanum, nihil cum ſupremis Dei juribus pugnans, nihil parum tantæ majeſtati decorum, nihil, quod homines a virtute avertere poſſit, nihil joculare in religioſo cultu ſtatuit Moyſes: quum contra pleraque aut profana ſint, aut cum Dei natura pugnantia, aut minime decora, aut vitam humanam depravantia, aut perridicula in eorum deorum cultu, quem, non dicam barbari, ſed cultiſſimæ in primis nationes, aut inſtitutis, aut legibus, ſibi conſtituere; qua de re dictum eſt copioſe in ſch. cor. 1. prop. 34. hujus partis. Eo ſpectant proſtitutiones mulierum in Deorum templis, ſacrificia humana, commeſſationes & ebrietates ſacræ, tripudia, circumcurſationes circum aras, aut ſtatuas, & quæ ſunt ejus generis infinita. Babylone ſe in Templo Beli proſtituebant virgines, quod pluribus deſcribit Herodotus. Quanta cum obſcœnitate, ingluvie, petulantia feſtum Dianæ Bubaſtæ in Ægypto celebraretur, ne Herodotus quidem plene enarrare eſt auſus. Sidone, & Carthagine victimæ humanæ Saturno cædebantur, Romæ Jovi Latiali: Lacædemone feſtis diebus nudæ virgines cum nudis adoleſcentulis luctaban-

(a) *Did. ibid.* (b) *Diod. ibid. Strabo lib.* 16.
(c) *Dionyſ. Hal. lib.* 2. *Plutarch. in Numa.*

bantur, quod bilem comi alioquin Platoni movit. Romæ Floralia vel corruptiſſimis nauſeam faciebant. Itaque Plutarchus ob ea aut impie, aut profane facta natum eſſe Atheiſmum ſcribit (*a*); quod ſcilicet præſtet, nullos eſſe deos, quam talia probantes. Hæc & ſeveris legibus vetuit Moſes, nec umquam in Judaicam Rempublicam irrepſere. Id vim legum divinam oſtendit.

12. Quartum argumentum a juribus humanis omnibus, ideſt ab æquitate, humanitate, honeſtate, urbanitate legum Moſaicarum deſumo. Nihil eſt in illis, quod aut cum juribus hominum pugnet, aut cum humanitate, aut cum honeſtate, atque urbanitate: quin & juribus cujuſque ſervandis cautiſſime perſpectum eſt, & humanitati, urbanitati, morum elegantiæ, omnique honeſtati in hominum animis inſtillandis. Quanta in pauperes, ægros, pupillos, viduas, ſervos, peregrinos caritas? Sed & alieni aviditas omnino cohibita: nemini enim inferre bellum licebat, niſi laceſſito; nec aliena occupare regnandi libidine: nec ad arma Moſaicæ leges ſpectabant, ſed ad pacem, vitamque quietam a Martis negotiis. At in ceteris ferme omnibus veteribus rebus publicis contraria conſtituta legimus. Ut a bello exordiar, veteres Romanorum leges, Cretenſium, Lacedæmonum, Athenienſium bona pars, militarem continent inſtitutionem: ut ita ſcilicet educatione ipſa aut alieni cupiditas, aut imperii libido aleretur. Quod ſi nihil tam eſt iniquum, quam homines hominibus aut excindendis, aut in ſervitutem redigendis ſtudere: educationem iſtam militarem velut iniquitatum omnium officinam exſecrari atque deteſtari oportet. Ac vero Ariſtoteles ipſe (*b*) & Plato (*c*) eam inſtitutionem reprehendunt. Veteres Græci in hoſtibus habebant omnes eos populos, quibuſcum nullum adhuc ictum eſſet fœdus; quod etiamnum agreſtes nationes conſueſcunt. Romanis ipſis, qui humanitati ferendæ nati ſibi videbantur, idem antiquitus fuit *hoſtis* & *peregrinus*: inde crudum illud decemvirale, ADVERSUS HOSTES ÆTERNA AUCTORITAS ESTO. Itaque latrocinia, incendia, vaſtationes, licita in exteros: adeo ut Ariſtoteles inter modos acquirendi dominii & hæc cenſuerit. Inde *jus belli*; quod nihil eſt

(a) *De Atheiſmo & ſuperſtitione.*
(b) *Lib.* 2. *Polit.*
(c) *De legibus lib.* 1. *& ſæpe alias.*

eſt aliud, niſi vis potentioris adverſus imbellem, quam tota naturæ lex exſecratur. Sed & privata inter cives ipſos furta, modo clandeſtina, conceſſa Lacedæmoniis, & Ægyptiis (*a*). Apud Ægyptios, unde, velut ex Pelago emerſerant Judæi, liberi nulla alendi parentes neceſſitate adſtringebantur, quo nihil nec ab humanitate magis alienum, nec magis iniquum (1). Quid vero fœdius, quam cum beſtiis comedere (2)? Apud Indos ſenes viri cremabantur: apud Cæos vero ſexagenarii aconito vitam finire cogebantur, quo aliis cibaria ſufficerent. Hæc omnia humana jura evertunt, demonſtrantque, eos, qui ejuſmodi leges ſanxere, aut rerum humanarum imperitos fuiſſe, aut, ut cetera turba, depravatos mortales.

13. Sed quid ego dicam de iis fœditatibus, quæ non naturæ tantum adverſantur, ſed omnem pudorem excutiunt? Uxores liberorum procreandorum gratia valentioribus commodare lege ſtatuit Lycurgus (*b*). Plato, divinus, ut perhibetur, communes voluit. Sed hæc honeſta ſunt, ſi cum lege prædeœraſtiæ Cretenſis Jovis conferantur. Minos veritus, ne Creta nimis excreſcentem prolem nequiret alere, quo juvenes maritos ab uxoribus diſtingeret, ire in maſculos ſanxit, atque *infrugiferos*, ut eleganter ait Plato (*c*), *colere agros*, aut *in lapides ſerere* (3). Id, tacite licet, probavere Lace-

---

(a) *Vide ut multis id probat Pufendorf.*

(b) *Plutarch. Ariſt. Plato &c.*

(c) *In* VIII. *de legibus*.

(1) Herodoti verba heic ponam, ne tam atrocia me quis effinxiſſe exſiſtimet. Τρεφειν τυς τοκεας τοισι παισι υδεμιη αναγκη μη βυλομενοισι, *alere parentes nulla nolentibus liberis neceſſitas*. Lib. II. Huic lege perbellam Atticam opponamus, ο τυς γονεας τυπτων, η μη τρεφων, η μη παρεχων οικησιν, και ι τα επιτηδεια, ατιμος εςω. Quam ſic latine fecit Petitus: *Si quis parentes pulſaverit, aut neceſſaria non præbuerit, ignominioſus eſto*: ſenſum nempe, ut aſſolet, ſectatus. Integra itaque lex eſt, *qui parentes percuſſerit, aut non aluerit, aut eis domum aliaque* (vitæ) *idonea non præbuerit, ignominioſus eſto*. Hujuſmodi liberi lapidibus obruebantur, nempe ut merentur, ex lege Moſaica. Deut. cap. XXI. 18.

(2) Idem ibidem: Αιγυπτιοισι δε ομου θηριοισι η διαιτα εςι. *Ægyptiis cum beſtiis communis menſa eſt*. Contra quanta gravitas, morumque elegantia in Moſaicis inſtitutis, quum ne iis quidem animantibus veſci liceret, in quibus vitium eſſet ullum? Quin intra caſtra ventrem exonerare vetitum: idcirco ſinguli Judæi paxillos geſtabant, quibus terram defoderent. Deut. XXIII. 13.

(3) Scio hæc alioverſum detorſiſſe Maximum Tyrium Diſſert. x. & in-

Lacedæmonii. Hæc ego infrunita capitula ſapientiam populos docuiſſe dicam? Sed eæ Reſpublicæ, quæ & ipſæ nimiam prolificationem timebant, nec tantam improbitatem legibus ſtatuere auſæ ſunt, ut infantes exponerentur, curavere. Ariſtoteles & expoſitionem, & abortum ſuaſit (*a*); ſcilicet Macedonice.

14. Quintum argumentum ſuppeditat Judæorum in iis legibus ſervandis incredibilis conſtantia: neque enim earum ulla aut

---

(a) *Lib.* VII. *de Rep. ſive* *περι των πολιτικων*. & inde Potterum in Archæologia Græca lib. IV. cap. 9. Sed nugas, ut ego quidem opinor, agunt: nam id diſerte teſtantur Athenæus Deipnoſophiſtarum lib. XIII. Strabo lib. X. Geographiæ, quo in loco copioſe deſcribit, quæ ſint *ερωτος νομιμα*, Ariſtoteles lib. II. Politicorum cap. 10. Plato lib. VIII. de legibus, aliique Græci Auctores, ut ne quid dicam de Latinis. Ac Strabo quidem, præfatus hoc *ιδιον δε αυτοις το περι τυς ερωτας νομιμον*, *iis* (Cretenſibus) *peculiaris eſt amoris* (nec vero *φιλιας* dixit) *mos*, tum minute totum pædeſterias apparatum deſcribit: nam ut apud Romanos nuptæ olim ſolemni ritu rapiebantur, ita apud Cretenſes pueri, qui infando connubio jungebantur: *ου γαρ πειθοι κατεργαζονται τυς ερωμενυς, αλλ' αρπαγη*, *non enim perſuadendo amaſios ſibi faciunt, ſed raptu*. Porro morem amaſios rapiendi omnem exponit, ac munera, quibus mox acceptis, pueri ab amatoribus demittebantur. Ariſtoteles aperte, ſineque ulla circumitione id a Minoe conſtitutum dicit *ινα μη πολυτεκνωσι*, *ne ſcilicet nimis prolificent:* additque, *non eſſe ibi locum* expendendi *bene*, an *male* (*φαυλως, η μη φαυλως*) Cretenſis legislator fecerit, qui *την προς τυς αρρενας ποιησας ομιλιαν*, *commercium cum maſculis induxit*. Plato poſtremo magna, ut ſolet, cum urbanitate atque circumitione ad id narrandum aggreditur, haud tamen obſcure. Ait enim ad Megillum & Cliniam, alterum Cretenſem, Lacedæmonium alterum, ſe, quum plura utilia, ac præclara a Cretenſi & Lacedæmonia civitate in latis ſuperius legibus accepiſſet, volentem nunc leges ſancire adverſus amorum fœditatem, cogi ab illis diſcedere; quia hæ civitates *περι δε των ερωτων* (*αυτοι γαρ εσμεν*) *εναντιυνται παντατασιν*, *quod ad leges amorum omnino nobis adverſantur*. Quo in loco urbanitas illa Platonis *αυτοι γαρ εσμεν*, *ſoli enim ſumus*, adnotanda eſt: videbatur enim magnum illis, quippe cum natura *pugnans*, vitium improperare: itaque quaſi excuſationis loco, *ſoli*, inquit, *ſumus*; ut periculo non ſit, ne exteri nos exſibilent, quod ille, ut eſt urbaniſſimus, ſæpe alias efficit. Tum vero pergit leges ſtatuere, quibus tantum crimen, quodque tantas radices jecerat, eradicari poſſe exiſtimat. Sed illud præterea conſiderandum in eo Platonis loco, quod ait, ante Lai tempora pæderaſtiam vetitam: quo ex loco facile colligas poſt Laium permiſſam fuiſſe; quod alioquin inſcite Lai tempora memoraſſet Plato, quodque ea ſit *enunciationum*, ut ajunt Dialectici, *definitivarum* & *inceptivarum* natura, ut una alteri ſemper connexa ſit. Itaque *ὑγιες συνημμενον*, *bonum connexum* vocare poſſis cum Stoicis, quod ſi quid aliquando defiit, neceſſe eſt id non amplius fuiſſe, poſtquam nempe defierit eſſe. Vide ut prœmia *ευριπρωκτων* falſe derideat Ariſtoph. in Nubib. Act. III. ſc. 3. extr.

aut mutata unquam fuit, aut antiquata, idque per tot ſæcula, quibus ea reſpublica viguit, atque in tot calamitatibus, quibus ſæpe percuſſa fuit. Quin turmatim potius cædi brutorum in morem, quam ſuilla carne veſci voluere tamque exiguum præceptum vitæ ſervandæ gratia violare. Quum contra præclariſſimarum Rerumpublicarum inſtituta & leges perpetuæ mutationi obnoxiæ fuerint, ut Plato poeta veteris comœdiæ apud Sext. Emp. adv. Rhet. II. feſtive dixerit, eum, qui vel tres menſes peregre fuerit, haud amplius agniturum civitatem. Quod in Athenienſes jactum, ad omnes veteres pertinet Reſpublicas. Ut igitur hoc hominum ingenium ſapit; ita illa & legum perpetuitas, & civium in obſervandis fortitudo, ac conſtantia divinæ fuiſſe illas originis demonſtrat.

15. Sextum argumentum, idque omnium illuſtre, eſt hujuſmodi. Nullla tam culta aut fuit unquam, aut hodie eſt Reſpublica, cujus leges ſimul ac ſemel extiterint, tamquam de cælo lapſæ. Ægyptiorum, qui totius Europeæ humanitatis fuiſſe parentes dicuntur, primæ leges nihil fuere aliud niſi mores, proxime ad naturam, ac vitæ neceſſitates expreſſi: mox leges cultus divini criminumque latæ, nec ſimul omnes, ſed paullatim, ac prout occaſio tulit: deinde jus privatum conſtitutum, idque varium pro temporibus, regum ingeniis, morum inconſtantia: poſtremo excogitatæ leges decoris, urbanitatis, atque elegantiæ. Id Herodotus, Diodorus Siculus, aliique veteres auctores docent. Idipſum factitatum in Græcia, atque Romæ. Primis earum nationum incunabulis non aliæ leges, quam mores, nequedum ſcriptæ. Hinc Græcis idem vocabulum νομος & leges & mores ſonat: quo pertinet illud, quod ſuperius laudavimus, Pindari dictum, *νομος των απαντων βασιλεα ειναι, morem omnium rerum regem eſſe*. Tum ſequutæ ſunt leges ad jus publicum pertinentes: mox ceteræ privatum jus, atque omnem civilitatem ſpectantes. Ipſæ Minois, Lycurgi, Solonis, qui prudentiæ inter Græcos civilis ſummi parentes habentur, & correctione indiguerunt, & mantiſſa. Indiguerunt & leges Decemvirales. Scilicet negatum eſt hominibus ad ſumma ire, niſi per gradus. Hæc ſatis conſtat. At in Judaica Republica hæc omnia ſtatim extitere, eaque ab initio perfecta; nulla earum legum lata aut longa Patrum contentione; aut plebis ſeceſſione, diſcidioque; aut ab eventu; quaſi uno ictu Moſaicarum legum codex de cælo

ceci-

cecidit. Id humanarum rerum ingenium non ſapit, quæ primo parvæ, agreſteſque eſſe ſolent omnes, nec niſi longa ſæculorum experientia augentur, atque perpoliuntur.

16. Sed operæ pretium eſt Joſephum heic audire de Moſaicæ legis præſtantia & divinitate docte ac copioſe diſſerentem: qui locus, etſi longiuſculus, rerum tamen gravitate longitudinem compenſat. *Quod autem in ea legum ſuarum informatione fructum etiam fuerit longe, quam ceteri, majorem ſequutus, eo maxime factum eſt, quod non religionem virtutis partem aliquam fecerit, ſed religionis potius alias partes eſſe quaſdam, & viderit, & vero ſtatuerit: juſtitiam, patientiam, ac mutuam civium inter ſe rebus in omnibus conjunctionenem. Quippe quod actionum, ſtudiorum, ac ſermonum omnium rationes ex una divini muneris religione ſuſpenſas habere nos oporteat: cum nihil penitus, aut non expenſum, aut non definitum conſtitutumque reliquerit. Nam cum duæ omnino ſint cujuſvis diſciplinæ, ac morum inſtituendorum viæ; quarum altera præceptis, altera conformatione vitæ continetur: ceteri quidem legislatores, diſſidentium opinionum varietate diſtracti, atque alterutram ſuo quiſque ſenſu viam ſequuti, alteram omiſere. Ita enim Lacedæmonii ſimul, & Cretenſes moribus ipſis docebant, non præceptis: Athenienſes autem, Græcique propemodum univerſi, quid agendum eſſet, quidque fugendum, legibus edicebant, ſuos tamen ad utrumque rebus ipſis conſuefacere negligebant.*

At legislator hic noſter præcipuo quodam ſtudio ambo iſta conjunxit, dum neque mutuam vitæ morumque conformationem reliquit, neque legis præcepta operum ſocietate carere permiſit: ſed jam inde ab ipſomet alimenti genere, & domeſtica ſingulorum victus ratione auſpicatus ne minutiſſimum quidem aliquid eorum, qui illis uterentur, poteſtatis, & arbitrii facere voluit. Imo quibus abſtinendum cibis, quibus item veſci liceat, quinam in victus communionem, ac ſocietatem vocandi, quam in operibus contentionem adhibere, quem in otio tenere modum oporteat, certis quaſi legis finibus, reguliſque deſcripſit: uti ſub ejus tanquam parentis cujuſdam, aut dominæ imperio, nutuque viventes, nihil omnino vel malitia, vel ignoratione peccemus. Ita ne ignoratione illam, velut aliquam deprecandæ pœnæ ſpeciem relinqueret, longe pulcherrimum nobis, maximeque neceſſarium diſciplinæ genus, legem ipſam eſſe voluit: nec ſatis id futurum putavit, ut ſemel iterum, aut ſæpius eam audiviſſemus, niſi hebdomadis quoque ſingulis,

lis, ab alio quolibet opere feriatos omnes, ad illam dum recitaretur audiendam, animoque penitus informandam convenire juberet. Id quod ab reliquis omnibus legislatoribus prætermiſſum videmus.

Quare plerique mortalium a vita ſuarum ex legum præceptis inſtituenda tantum abſunt, ut in ſumma fere illorum ignoratione verſentur, atque ubi peccaverint, eas tum demum ab ſe violatas ex aliis intelligant. Quam ignorantiam ſummi quoque, & principes eorum magiſtratus confitentur, dum eos rerum adminiſtrationi praeeſſe potiſſimum, ac ſibi aſſidere volunt, qui præcipuam quandam legum peritiam præ ſe ferant. At ex noſtris, quemcumque de legum noſtrarum capitibus interroges, univerſas facilius, quam ſuum ipſe nomen ediſſeret. Quippe, quas jam uſque ab ea qua primum aliquid ſentire cœpimus ætate, hauſtas, mentibus deinceps inuſtas quodammodo impreſſaſque teneamus. Ita, & rari admodum ſunt, qui eas violent, & qui violarit, nulla prorſus ei deprecandæ pœnæ ratio ſupereſt.

Atque hic admirabilis inter nos animorum conſenſionis fons eſt præcipuus. Nam & idem omnes de Deo ſentire, & nullo vitæ morumque diſſidio laborare, id vero pulcherimam, ac jucundiſſimam hominibus animorum, ſtudiorumque conjunctionem afferre ſolet. Enim vero, ſoli omnino ſumus, apud quos neque diſcrepantes unquam de Deo ſententias audies, quod apud alios frequentiſſimum eſt: (nec enim vulgaris tantum, at plebejus quilibet, prout peculiaris animi ſenſus impulerit, de Deo loquitur: ſed hoc temeritatis vitium ad nonnullos etiam Philoſophos permanavit, quorum alii omnem Dei naturam funditus exterminare conati ſunt, alii eumdem omni hominum cura, providentiaque ſpoliarunt) nec ullum in vitæ rationibus diſſidium videbis. Imo vero cum ſumma quadam apud nos omnium ſit operum functionumque communio conjunctioque, tum vitu ſimiliter eadem, & cum ipſa lege de Deo conſentiens, quæ omnia divini oculi ſapientia regi profitetur. Quin etiam quod ad vitæ inſtituta ſpectat, ex ipſis quoque mulierculis, ac mancipiis intelliges, nihil non ex ceteris ad unum religionis finem eſſe referendam. Lib. II. contr. Apionem ex editione Avercampi.

17. Poſtremum argumentum hiſtoria legum ſuppeditat: tota enim hæc res, & Judæorum ex Ægypto ſeceſſio, & Chananitidis occupatio, & latio legum, Theocraticæque Reipublicæ conſtitutio, perpetuis acta eſt miraculis, ſine quibus

quis ſibi perſuadeat, in tam rudi obſtipoque populo tantam morum vitæque totius commutationem fieri potuiſſe? Sed operæ pretium erit hoc loco de Moſis factis paullo copioſius diſſerere. Quum enim revelatio Moſi facta ſit velut fundamentum totius Religionis noſtræ, accurate illa eſt adverſus impios defendenda. Nec id melius, mea ſaltem ſententia, fieri poteſt, quam aſſerta Moſaicorum miraculorum divinitate.

18. Deuteronomii 34. 10. 11. 12. hoc Moſi teſtimonium redditur: *Et non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem in omnibus ſignis, atque portentis, quæ miſit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus ſervis ejus, univerſæque terræ illius, & cunctam manum robuſtam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyſes coram univerſo Iſrael*. Hic locus & miracula deſignat generatim, & eas miraculorum circumſtantias, ex quibus intelligitur revera ea miracula facta fuiſſe; appellatur enim teſtis miraculorum Moſaicorum tota Ægyptus, totaque Hebræorum Reſpublica, coram quibus edita ſunt, ut qui ea inficiari velit, is omnem hiſtoriæ fidem deneget, neceſſe eſt. Accedit, quod ea miracula ſæpe quoque aut memorantur in poſterioribus Hebræorum libris, aut ad ea certe alluditur, quod hiſtoriæ veritatem extra omne *dubium* ponit. Siquidem eam hiſtoriam, quæ eodem modo narratur a coævis ſcriptoribus, ac deinceps ab iis, qui conſequuti ſunt, cujuſque integræ nationes teſtes ſunt, conſtat inter omnes eſſe veram. Præterea, quæ ratio afferri poteſt, cur non ſit credendum, miracula illa revera facta eſſe? De hiſtoriæ enim cujuſque fide dubitare ſine ulla ratione non eſt dubitare, ut alias diximus, ſed dubitare velle: ſcilicet id non intellectus eſt, ſed voluntatis. Ad hæc, teſtimoniis quoque exoticorum conſtat Moſem miracula patraſſe. Luculentum eſt illud Numenii apud Euſebium (a). *Deinceps* (verba ſunt Numenii) *Joannes, & Jambres, ſcribæ rerum ſacrarum Ægypti, quo tempore Ægypti finibus ejecti Judæi ſunt, claruere, viri omnium judicio rerum magicarum ſcientia nemini concedentes: quippe ambo quidem communi Ægyptiorum conſenſu delecti ſunt, qui Muſæo Duci Judæorum, cujus apud Deum potentiſſimæ preces erant, ſeſe opponerent: adeoque graviſſimas quaſ-*

(a) *Lib. 9. præpar. Evang. cap*

quaſque calamitates a Muſæo in Ægyptum invectas omnium in oculis diſſolvere potuerunt. Quibus ex Numenio relatis recte ſubjicit Euſebius: *quibus ſane verbis Numenius quum editorum a Moſe miraculorum, tum divini erga ipſum amoris conſignatam fidem ac teſtatam reliquit*. Plinius quoque dum (*a*) Moſem inter Magos Judæos refert, id profecto ex hiſtoria miraculorum Moſaicorum facit. Scitum enim eſt Gentiles inter magos eos adnumeraſſe, qui miracula ederent. Plurima alia congeſſit Huetius (*b*), & Heduardus Stillingfleetus in originibus ſacris (*c*), quo in loco miraculorum Moſaicorum veritatem adſerit. Tandem ut alia deſint omnia argumenta illud *αποδικτικον* eſt, quod ex ipſa Judæorum in Patriis inſtitutis retinendis conſtantia depromitur. Nam ſi quæratur, quæ ſit cauſa, quamobrem judaica Religio in Hebraicorum omnium animis tantas egerit radices, ut evelli nequeat, nulla poterit alia afferri, aut fingi; quam quod qui nunc ſunt a ſuis parentibus, & illi rurſum a ſuis, atque ita porro, donec ad eos veniatur, qui Moſis ætate vixerunt, certa, ac conſtanti traditione acceperint ea miracula, quæ tum alias, tum maxime in ipſo Ægypti exitu, atque itinere, & Chananææ ingreſſu contigerunt.

19. Videamus nunc quæ & qualia fuerint Moſis miracula. Non dubitamus, miracula Moſis quoad modum inferiora eſſe miraculis Jeſu Chriſti Domini noſtri: in illis fere ſemper precatio ad Deum intervenit; Jeſus ex ſe & natura ſua illa effundit. Qui igitur utraque contulerit, & facillime quantum inter ea diſtet, intelliget, & ſtolidiſſime Rabbinos illa ſupra miracula Chriſti efferre. Sed fuere tamen talia, ex quibus facile deprehenditur facta fuiſſe ejus vi, qui imperium in naturam habet ſummum. Rerum enim naturas, & formas commutare, ſtatas, & perennes naturæ leges mechanicas cohibere, aut alio flectere, qualitates corporum naturales in nihilum redigere, aliaſque inducere, idque in inſtante, ejus certe eſt, cui rerum natura ad nutum pareat, ideſt Dei. Præterea hujuſmodi miracula confidentiſſime & eo tempore edere, quo ſunt promiſſa, idque conſtanter ſine ulla hæſitatione, nemo poteſt, niſi qui conſcius

(a) *Lib.* 30. *hiſt. natural. cap.* 1.
(b) *Demonſtr. Evang. prop.* 4.
(c) *Lib.* 2. *cap.* 3.

ſcius. fit, ſibi non deeſſe, qui ſummum habeat in rerum naturam imperium, quamque moderetur ſola ſua voluntate: Talia autem fuere Moſis miracula. Ad ejus imperium aquæ in ſanguinem convertuntur, enaſcuntur e pulvere ciniphes, ex lacubus immenſa ranarum copia, emoriuntur primogeniti, tenebræ fiunt in tota Ægypto palpabiles, mare ſcinditur, &c. promittit, exequitur, nec quidquam præparat: voluntatis igitur & vis divinæ certus erat.

20. Sed accuratius unum, aut alterum conſideremus. Tribus diebus tenebræ factæ ſunt in tota Ægypto, ita palpabiles, ut juxta ſe poſiti homines ſeſe non conſpicerent: interim in terra Geſſen, quo in loco Hebræi commorabantur, lux erat pura. Si dicamus activitatem lucis ſolaris impeditam fuiſſe quominus Ægyptum illuſtraret, uno miraculo plura continentur. I. Cohibiti radii contra eorum naturam. II. In ſola Ægypto. III. Illuſtrata interim terra Geſſen. Id is poteſt, cui motus radiorum Solis, ac conſequenter natura pareat ad nutum. Si vero aſſeramus id factum craſſiori nebula, habebimus alia. I. Nulla naturalis nebula in eam craſſitiem naturæ vi coaleſcere poteſt: vetat enim id vis aeris, qua ſuſtinetur, ut tyrones in phyſicis norunt. II. Fieri naturaliter non potuit, ut *undique* tam craſſa circumſiſteret, nec regionem terræ *Geſſe* pervaderet III. Ea ad hominis nutum nec coaleſcere ſtatim, nec ſtatim ceſſare potuit. Si dicatur fuiſſe fumum ſubtiliorem & denſum, conſtituendum ſimul eſt, unde emanaverit. Deinde cum gravitatione aeris aut diſſipetur, aut elevetur, producenda eſt cauſa, qua fuerit cohibitus. Tum iterum, danda alia cauſa, cur ſola terra Geſſen non fuerit eo fumo adumbrata. Niſi igitur dicatur *divino digito* id factum, nugæ ſunt omnia.

21. Apertius idipſum demonſtrat ſciſſio maris Rubri. Nugas agit Joſephus, qui reciprocatione æſtus marini id factum contendit: tota refragatur hiſtoria Moſaica: ait enim: *& ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus a dextra eorum, & læva* (a). Hoc demonſtrat non per littora ab aquis deſerta tranſiſſe Hebræos, ſed per medium aquarum. Id autem ut fieret, neceſſarium fuit leges omne hydroſtaticas cohiberi. I. Ut divi-

(a) *Exod.* 14. 22.

dividerentur atque. II. Ut ſubſiſterent inſtar murorum. III. Ut ſubſtratæ (neque enim per arenoſum & udum fundum tranſire potuerunt Iſraelitæ) ſuſtinerent ſuperpoſita corpora. Tam autem portentoſum fuit hoc miraculum, ut ejus memoriam diu apud Ægyptios duraverit. Veterum enim Ægyptiorum traditionem, quam retulit Diodorus Siculus, quondam mare Rubrum penitus fuiſſe exſiccatum, ad Moſis miraculum iſtud pertinere, præclare obſervatum habet Rollinus in hiſtoria Ægyptiaca. Artapani ejuſdem rei narrationem (*a*) leges is apud Euſebium.

CAPUT XIX.

Præcipuæ objectiones, quas adverſus legem & doctrinam Moſis a Deiſtis ingeruntur; enarrantur, & refelluntur.

1. POrro ut revelatæ religionis hoſtes audiamus, neceſſe eſt. Ajunt autem primo, nihil eſſe in lege Moſaica, ſi legem Sabbathi colendi excipias, quod, ait Celſus, non e naturæ ratione hauriri poſſit, quodque aliarum gentium philoſophi, atque legislatores non docuerint. Nam Deum eſſe incorporeum, eſſeque animo colendum præcipiunt Platonici. Cicero idipſum ſæpe tradit, atque item, ut ceteri legislatores, a Dei notione & cultu leges ſuas exorditur. Quid eſt igitur, quod eas ob res Moyſi gratias agamus? Præſertim quum is totam eam philoſophiam in Ægypto didicerit, ubi natus atque eductus erat, atque literis & ſecretiori ſapientia excultus. Quin quum hæc ſint, nequit ille ab impoſtura ſeſe tueri; quippe qui quum hæc ſapientibus omnibus nota, & e naturæ fonte manantia Judæis traderet, magno rerum apparatu longaque ſcena iis perſuaſit, ſibi eſſe a Deo in monte revelata.

2. Sed non eſt difficile huic objectioni reſpondere. Principio ſi Moſis lex e naturæ, ut ajunt, fontibus eſt hauſta, vera eſſe debet & divina: conſtat enim & totam rerum naturam, & ejus leges eſſe a Deo. Lex igitur ipſa in tuto eſt, ut nullis queat Deiſtarum machinis de ſua majeſtate deturbari. Sed enim fuerant hæc ab Ægyptiorum philoſophia depromta. Demus hæc tantiſper; quod inde conficiet profanum genus? Nempe, ſi ſuo argumento conſtare ve-

(a) *Præparat. Evang. lib. 9. cap. 29.*

velint, nihil aliud, niſi divinam quoque ex ſenſu Ægyptiorum fuiſſe legem, ſeu illam e natura hauſerint, ſeu a Noemi filiis diſciplina acceperint. Deinde ab omni vero abhorret, & tam perfectam fuiſſe Ægyptiorum ſapientiam, & inde Moſem leges ſuas hauſiſſe. Nam ut concedamus naturalis erga homines juſtitiæ atque humanitatis regulas fuiſſe illis notas; tamen quod caput legis eſt, unum agnoſcere numen, ſolaque mente complectendum: nulla illi nec ſigna, nec picturas figere: legem non tam ad corpus formandum, quam ad animi pietatem ac virtutem ſpectare: in eo Ægyptios peccaſſe tota vetuſtas tradit. Qui igitur inde legem ſuam derivare potuit Moſes? Adde ritualem Moyſis legem e diametro cum Ægyptiorum inſtitutis pugnare, quod illam Deiſtarum hypotheſin funditus evertit. Scio eam Ægyptiorum profanitatem ita excuſare poſterioris ævi ſcriptores, ut allegorice eſſe omnia illa bruta numina capienda contendant: allegorice ritus. Quod quamquam per ſe ipſum abſurdum eſt; tamen ſi eſſet, qui potuiſſet Moſes tam ſevere illa vetare, ac tantis curis cavere, ne ea ſuperſtitione Judæus populus fœdaretur? Præterquam quod nullus eſt tam gravis cultus religioſi *teſtis*, quam perpetua populi diſciplina: nequit enim aliud *theorica* docere, aliud totius gentis praxis. At depravatiſſima erat Ægyptiaci populi religioſa diſciplina; ex quo fit, ut fuerit & theorica. Quare hujuſmodi interpretamenta commentitia ſunt.

3. At enim, cur tantam Moſes ſcenam adornavit, quo rem communi hominum rationi perviam ſe a Deo novo miracula accepiſſe barbaræ nationi perſuaderet? Huic ego objectioni id primum reſpondeo, etiamſi verum non fuiſſet, quod ille ſimulabat; tamen tantum abeſſe, ut velut impoſtor traduci queat, ut omni potius ſapientum laude dignus ſit, qui id fecerit. Ecquis enim velut impoſtores habeat homines, qui tantopere adlaborent, ut genus humanum naturæ convenienter vivat, ut pietatem colat, ut omni virtutum genere celebretur? Nam id vocabulum hominem ſignificat, qui falſa deludificatione alios utilitatis ſuæ cauſa decipit, non qui fictis alioquin imaginibus in vero inſtruit. Itaque nec Poeta impoſtor eſt habendus, nec qui Apologos recitat, nec Medici, qui *pueris abſynthia tetra* daturi.

... *prius*

.... prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur.

Atque utinam ita natura comparatum eſſet, ut frequentiores hujuſmodi eſſent impoſtores. Quis ambigat tum plene nos beatos futuros? Quoniam igitur conſtat, non alia id ratione feciſſe, (ex Deiſtarum hypotheſi loquor) niſi ſola virtutis & felicitatis publicæ cauſa, eique rei totum ſe tradidiſſe, nec vero commenta & fallacias, ſed veram pietatem, juſtitiam, humanitatem docuiſſe, quis eas ob res impoſturæ eum redarguerit? Qua in re ſic exiſtimo, & Archimedes, quo ſua theoremata exciperentur avidius, magna conſtantia aſſeveraſſet, tot ſublimes ac utiles veritates, quas ille e rationis penu deprompſit, a Deo ſibi fuiſſe detectas, edictumque ut homines doceret, ſtultos fore, qui eum idcirco velut impoſtorem haberent: omnis enim veritas eſt aliquo modo a Deo, a quo primum minores mentes procreatæ ſunt.

4. Sed hæc ex ſuperabundantibus, ut ajunt. Nunc oſtendam, quo major fuit illa, quam ſcænam vocant, eo minus potuiſſe eum fingere; adeoque non aſtuti legislatoris fuiſſe commenta, ſed vera facta. Ac principio, qui tam ſeveram legem docuit, qui Dei numine, ac jurejurando abuti vetuit, qui omne mendacium exſecratur, eoſque, qui in has leges peccant, capitali ſupplicio puniendos decernit, eum eſt qui credat, tam ſolemnia mentitum? Præterea, quo major ille fuit portentorum apparatus, minor locus impoſturæ ſuſpicioni relinquitur. Qui enim potuiſſet tot confictis miraculis, ac tamdiu Ægyptios juxta, & Judæos deludificare? Quæ ars tot oculis occulta fuiſſet? Quibus comitibus, inſtrumentis, artificibus ea in monte Sina edidiſſet miracula, quæ nemo ſolus, non dicam efficiat, ſed ne audeat cogitare quidem? Qui ſemper tanta impoſtura latuit? Nam quo major erat, eo vehementius curioſos mortalium animos explorabat, adeoque facilius vafricies pernoſci poterat. Quibus ille periculis ſe expoſuiſſet, ſi vel incertus etiam rumor tantæ audaciæ invaluiſſet? Jam qui confictis portentis tantum populum tamdiu, ac in tantis laboribus detinuiſſet? Hæc adeo ipſa per ſe ſunt perſpicua, ut hominis ſit aut omnino inverecundi, aut omni ratione deſtituti tam divinum hominem fallaciæ inſimulare. Sed de Moſis miraculis ſuperius dictum eſt.

 5. Illud

5. Illud quoque adverſus legem Moſaicam opponere ſolent, quod nec præmia pollicetur, niſi mortalia, nec pœnas, niſi præſentis vitæ, minetur. Hæc non ſatis nec Deo conſentanea ſunt, nec homini; quum hujus animus æternitatem ſpectet: ille, ut nolit æternum cruciare impios, tamen nequeat iis æternorum præmiorum aditum occludere, qui virtutem ſancte coluerint. Si ea lex a Deo eſſet, ut Moſes docuit, qui veriſimile eſt, nullam hujuſmodi rerum feciſſe mentionem?

6. Hoc ſilentium (qui poſſumus convicta rebus verbis negare? (1)) quod Deiſtis eſt offendiculo, magnum contra argumentum divinitatis legis Moſaicæ viſum eſt viro longe erudito (*a*). Videlicet qui nullis talibus machinis rudem adhuc populum ſibi ſubmiſit, atque non legi tantum naturæ, ſed tam gravi multiplicique civili atque cæremoniali ſuppoſuit, is ſecurus poteſtatis ſuæ eſſe debuit; quæ non potuit eſſe alia, niſi vis miraculorum, quo illi concuterentur. Ad hæc, Judæos deſcribit Moſes velut homines rudes, *duræ cervicis*, incerti conſilii, facile rebellantes. Hujuſmodi homines, quos præſentia atque atrociſſima ſupplicia, crucis, lapidationis, vivicomburii vix in officio continebant: quos terra lacte & melle fluens, totque *miranda* Dei beneficia nondum diliniebant; quin adhuc erant qui Ægyptum reſpectarent: hos, inquam, putemus longe ſemotis pœnis, aut præmiis coerceri, aut exſtimulari potuiſſe? *Carnalis homo*, ut ait Apoſtolus, *neſcit ea, quæ ſunt ſpiritus*. Quamquam nego ſanctionem legum Moſaicarum intra præſentis tantum vitæ ambitum coercitam fuiſſe. Pœnæ quidem ac præmia publica, eaque ſcripta, haud abnuo, temporalia fuere: æterna aut velut non ignota ſuppoſita, aut in ſecretis tradita. Nam publica erat in ea gente alterius vitæ aut beatæ, aut miſeræ perſuaſio. Id libri Machabæorum teſtantur: id diſerte ſcribit Joſephus (*b*). Id

(a) *Warburthon* Divina Moyſis miſſio.

(b) *Lib. II. contra Apionem n. 30. ex edit. Avercampii.*

(1) Non me fugit Originem in VI. Contra Celſum arbitrari in Moſis promiſſionibus diſerte vitam æternam memorari; exiſtimat enim, *terram illam bonam, ſpatioſam, lacte & melle fluentem*, quam Judæis Deus Exodi III. 8. promittit, non huic quærendam, ſed in Dei ipſius poſt hanc vitam ſocietate. Nam hæc noſtra tellus, cui olim maledixerat Deus, nihil niſi *ſpinas & tribulos* nobis propignere poteſt. Quam ego rem, ut plura alia divini alioquin hominis ingenii, Alexandrinas ſubtilitates habeo.

Id Chriſtus & ſcriptores novi Teſtamenti, Judæi & ipſi, velut publice creditum ſupponunt. Hujuſmodi doctrinæ quam in Hebraica republica epocham ſtatuemus? Dicant Deiſtæ. Nata igitur eſt cum lege ipſa: aut quum & apud Ægyptios (1) publice eſſet ſuſcepta, & communis eſſet gentium om-

---

(1) Ægyptios ejus ætatis, qua vixit Moſes, homines inter Deos retuliſſe ex Herodoto, & Diodoro ſatis eſſe poteſt manifeſtum. Quin Dii eorum animales plerique eorum hominum erant imagines, quos inter Deos retulerant, veluti bos Oſiridis, vacca Iſidis; quod & Herodotus ipſe ex Ægyptiorum ſacerdotum doctrina ſcribit, & pluribus adſtruit Plutarchus in libro *de Iſide & Oſiride*. Ac ne quis putet eſſe hujuſmodi religiones Moſe recentiores, animadvertat, & Moſis tempore Deos animales ab ea gente cultos fuiſſe, ac in primis bovem, ut ex multis Exodi locis fit perſpicuum. Hæc clare probant, doctrinam immortalitatis animorum fuiſſe inter Ægyptios Moſe antiquiorem: ecquem enim Oſiridem, ecquam Iſidem inter Deos collocaſſent, niſi ſibi perſuaſiſſent, animas humanas poſt diſſoluta corpora ſupereſſe? Cic. lib. 2. de legibus, *quod autem ex hominum genere conſecratos, ſicut Herculem & ceteros, coli lex jubet, indicat omnium quidem animos immortales eſſe: fortium bonorumque divinos*. Itaque hæc opinio, atque cum ea doctrina beatarum ſedium & infernarum pœnarum, non heri aut nudius tertius inter eos populos excogitata eſt, ut ſuſpicari videtur Diodorus; ſed tam eſſe debet antiqua, quam ipſa gens. Poterat hoc ignorare Moſes in regiis ædibus eductus? Sed ne populus quidem Hebræus ignorare potuit. Si Judæorum Legiſlator falſam reputaſſet, id cum ea feciſſet, quod cum reliqua Ægyptiaca ſuperſtitione fecit: ſtuduiſſet nimirum eam ex Judæorum animis eradicare; prætertim ne tractu temporis idem Judæi facerent, quod fecerant Ægyptii. Adde ab eo prohibitum fuiſſe, ne animæ mortuorum invocarentur; cur non addidit, nihil eſſe ejuſmodi animas? Hæc me cogunt ut exiſtimem, eum nihil hac de re monuiſſe, quod ſatis id & publice Hebræis perſuaſum eſſet. Id & Græci, Latinique Legiſlatores faciunt.

Sed plura ſunt in ipſo Pentateucho, quæ demonſtrant, hanc doctrinam non fuiſſe tribui Abrahamitidi ignotam. Principio ea doctrina antiquiſſima fuit inter Aſſyrios, quod fragmenta Chaldaicæ philoſophiæ oſtendunt. Tum quæ tanta mortuorum cura? Tanta ſepulcri? oſſium? Cur tanta ac tam celebris memoria majorum? Cur Deus dici ſe amabat, *Deum Abrahami, Deum Iſaaci, Deum &c. non enim mortuorum eſt Deus, ſed viventium*.

Jam quid illud eſt, quod Deut. XXVII. tot *maledictiones* in eos congerit, qui occulta & gravia crimina admiſerint? Hujuſmodi *maledictiones* iis formulis reſpondent, quæ apud Latinos fuere, *diis devovere, ſacrum eſſe*: & græce θεοῖς εὔχεσθαι ut eſt in lege Attica lib. III. tit. 1. Adde, quod non videntur nec Angeli Judæis ignoti fuiſſe, nec cacodæmones. Perſuaſio erat inter eos publica *legem adminiſtratam fuiſſe per Angelos*: & Angelorum Abrahæ apparitio, Lotho, Jacobo id ſatis probat. Deutoronomio XXXIII. in Moſis cantico memorantur שדים *ſchedim*, quos LXX vertunt δαιμονίοις, vulgata, *dæmonia*, pleriſque κακοδαίμονας, &c.

Hæc demonſtrant alteram vitam iis ignotam non fuiſſe.

omnium, velut in anteceſſum nota, neceſſarium non eſſe copioſius commemorare cenſuit divinus Legislator. Poſtremo hujuſmodi præmia ac pœnas eodem modo lege rituali adumbratas ajo, quo Meſſiæ regnum. Ac conſtat veteribus Judæis fuiſſe perſuaſum, magna eorum rituum parte Meſſiam deſignari. Regnum autem Meſſiæ utrumque illud dogma complectitur, præmiorum videlicet, & pœnarum alterius vitæ. Quid igitur ſibi repromittebant ii Judæi, qui ſancte leges ſervando Meſſiam exſpectabant? Regnum ajo Meſſiæ: vitam nempe æternam. Quid vero ſibi timebant, qui leges violando ab eo regno extorres futuros ignorare non poterant? Pœnas ajo æternas.

7. Celſus apud Origenem (*a*) ait, Moſis legem cum lege Chriſti pugnare: ſi hæc eſt divina, falſa ſit illa neceſſe eſt: & ſi illa eſt divina, humanum hæc erit commentum. Pugnare autem ita probat. *Moſes*, inquit, *jubet divitias parare, dominari, terram implere, hoſtes internecioni dare, ac nemini vel impuberi parcere .....* Jeſus autem docet, *omnem ad patrem aditum præcluſum iri diviti, amanti dominationem, ſapientiam, gloriam: hominibus non magis, quam corvis cibum & penus cura eſſe debere: non magis eos curam oportere habere de veſtitu, quam habeant lilia: ei, qui ſemel percuſſit, rurſus ſe percutiendum tradere oportere. Uter, Moſes*, inquit, *an Jeſus mentitur? num Pater mittens illum oblitus erat, quæ Moſi mandaverat?*

8. Dupliciter huic argumento reſpondet Origenes. Principio veteres illas Moſis leges allegorice interpretandas eſſe contendit: nec quid ſibi Deus velit ab iis intelligi, qui in cortice ſcripturarum hærent. Hoc ut alioquin verum, at Celſi argutationes non evertit: nullus enim heic allegoriæ locus eſt. Deinde (quæ vera ratio eſt) longe aliam eſſe debere rationem legum Moſaicarum, ac Chriſti: Moſes enim Rempublicam conſtituit; cui propterea eas omnes leges ferre debuit, quibus illa domi militiæque tum præſtaret: ad artes quoque præſenti vitæ neceſſarias inſtruere cives debuit: loco, climati, peculiari Judæorum genio aliquid tribuere. At Chriſtus non Rempublicam, ſed in Rep. ſcholam inſtituit: neque hanc ſcholam in hac, aut illa Republica, ſed quacumque patet tellus eſſe voluit: *euntes*, inquit, *docete evangelium omnem creaturam*. Itaque abeſſe

ab hac

(*a*) *Lib.* VII. *n.* 18. *ex edit. Benedict. S. Mauri.*

ab hac debuere leges dominationis: abeſſe leges Reipublicæ commoda importandi; quæ regimini politico conſtituendæ relinquebantur. Præterea erat huic ſcholæ omnis humanitatis & patientiæ lex indicenda; non quo homines ſuis juribus ſpoliarentur, aut omnibus præſentis vitæ commodis vale dicerent, ſed ne his tantum, obliti cæleſtium, ſeſe manciparent.

9. His jam addunt, Moſem nec de Deo ſatis digne honorificeque loqui, nec de Angelis: eſſe in Pentatheuco plura, quæ nequeat non reſpuere ſumma Dei majeſtas, ac ſimmplicitas, quæque ſunt apertum inditium, non eſſe a Deo ipſo accepta, ſed humano ingenio confiĉta. Hujuſmodi ſunt inter alia,

I. Moſes Deum inducit ſex dierum ſpatio mundum fabricatum eſſe, & die ſeptimo requieviſſe; quod non eſt Dei majeſtate dignum, qui pro ſua omnipotentia quidquid efficit, in inſtante perficere debet, quippe qui voluntate, non ullis phyſicis inſtrumentis, operatur; quæ vero voluntate fiunt omnipotente, in inſtanti fiant, neceſſe eſt, ut ne fieri quidem poſſint ſucceſſive. Certe ſcholæ philoſophi creationem eſſe ajunt momentariam actionem; quia videlicet ex nihilo nihil niſi momento temporis fieri poteſt. Cui illud accedit, quod quum quarto demum die creatum dicat Solem, cujus vertigine dies atque nox fit, qui eſſe potuere tres priores dies? eſt id αυνυποςατον ut ajunt, *pugnans*.

II. Scribit Deum pœnituiſſe, quod hominem feciſſet, *tactum dolore cordis intrinſecus*: id alibi quoque memorant Hebraici ſcriptores: quod Dei præſcientiæ juxta & immutabilitati adverſatur.

III. Scribit, Angelos cum fœminis concubuiſſe, & genuiſſe gigantes, quod & Græcas fabulas ſapit, quorum Deorum Dearumque cum hominibus connubia celebrant ſæpe Poetæ; & pugnat cum ſpirituum natura, qui nec generari, nec generare poſſunt.

IV. Deum gaudere ſacrificiis animantium, & odorari *odorem ſuaviſſimum holocauſtorum*, quod item & paganum eſt, & repugnat Dei incorporabilitati, naturæque longe ab humanis rebus ſemotæ.

V. Deum deſcendiſſe de cælo, ambulaſſe ad diei auram captandam, & quæ ſunt hujuſmodi, quæ ejus immenſitati contraria ſunt.

VI. Deum iraſci, & placari, quæ iterum evertunt ejus immutabilitatem.

VII. Facit Deum omnibus membris humanis, & affectibus præditum.

VIII. Sententiæ, & cogitata, quæ leguntur in Pentatheuco, non tantum nihil ſapiunt mentis divinæ, ideſt ſapientiſſimæ, ſed humiles ſunt, & vulgares, nec ſupra orientalium ejus ætatis nationum genium ſeſe extollunt; quæ idcirco ſpiritum humanum Auctoris arguunt.

IX. Jehova Moſis non videtur mens eſſe ſuprema, ſed unus ex minoribus Diis, quorum ſe caput efficit: nam & *Deus Deorum dicitur*, & cum iis de ſingulis rebus deliberat, prorſus, ut Homericus Ζεύς; & quum ait initio Geneſeos, *ecce Adam factus eſt unus ex nobis*, is ejuſdem generis ſe eſſe profitetur, ac quam ceteri minores Dei.

Ex his ita concludunt. Quum Pentatheucus humanum ſapiat ingenium, fit, ut non ſit divinus, nec proinde divini erunt alii libri veteris Teſtamenti, qui omnes in Pentatheuco, velut in communi fundamento, inædificati ſunt.

10. Numquam ego alias ſummam Deiſtarum noſtrorum imperitiam ſum expertus, quam quum his argutiolis tantam libri hujus majeſtatem impetunt. Oportebat *enim* omnium primum & Moſaici operis finem habere perſpectum, & linguæ, qua ſcriptum eſt, indolem pernoſcere, & τὸ πρέπον (*decorum*) quod in hujuſmodi operibus eſt in primis conſiderandum. Quarum rerum omnium ignorantiſſimos ſe Moſis criminatores profitentur. Sed ut via & ratione iis omnibus reſpondeamus, omnium primum obſervandum eſt, ſtilum eſſe Scripturarum ſacrarum perpetuum, res divinas humanarum rerum ideis, vocabulis, phraſibus, emphaſi explicare: loqui de Deo ejuſque operibus ἀνθρωποπαθῶς ideſt *humanum in morem*, & humana lingua. Ejus ſtili ea eſt ratio, quod *omnis ſcriptura ad hominis inſtitutionem data ſit*, ut docet Paullus (*a*). Ergo ea debet eſſe talis, ut ab hominibus facile intelligatur; quod non fit, ſi Deus ex æternis ſuis ideis, non ex humanis, & lingua divina, non lingua filiorum hominum (inquit eleganter Maimonides) homines alloquatur. Agit igitur Deus cum hominibus, quemadmodum ſapientes homines cum infantibus, atque idiotis, a quibus ut intelligantur, linguam idiotarum loquun-

(a) *Ad Romanos* 15.

loquuntur. Quod ſi Rhetores monent, ut Oratores, qui intelligi poſſint, ſimilitudinibus utantur ex iis artibus, profeſſione, vita, rebus, quibus utuntur ii, apud quos dicunt, par eſt, ut idipſum cum hominibus efficiat Deus, ſi quidem ab illis intelligi vult, quod profecto vult; alioquin nihil eſſet, cur loqueretur. Qua in re ſic cenſeo, ſi Deus Canadenſes, aut Huttentottos in vitæ beatæ negotiis inſtruere vellet, oportere illum eumdem in modum, quo eæ gentes, frendere, aut coaxare: quomodo cum Græcis rotundo ore loqui, bleſo cum Gallis. Cur hæc blandicelli noſtri Dialectici non animadverterunt? Itaque præclare pronunciat Auguſtinus (*a*), *Sanctæ Scripturæ non temerarios, & ſuperbos accuſatores, ſed diligentes, & pios lectores deſiderant*. Non igitur impia tantum, ſed tota ineptiſſima eſt Auctoris libri *Examen Religionis*, qui ſuperioribus annis apud Batavos prodiit gallice, argumentatio, qua ex Scripturarum ſtilo earum divinitatem impetit.

11. Quibus poſitis facile hiſce objectionibus reſpondetur, quas quum Fauſtus Manichæus apud Auguſtinum evomuiſſet, Deiſtæ ruminant. Ad primam: Deum omnia quidem ſimul facere potuiſſe, ſi voluiſſet, quam clariſſimis argumentis oſtendit: nam ut dixit: *Fiat lux, & facta eſt lux* (*b*), ita potuit dicere, *fiant univerſa*, & repente univerſa exſtitiſſent: rationes autem cur noluit, & plures eſſe potuerunt, & noſtra non intereſt curioſius inveſtigare. Quid ſi dicamus libertatem ſuam in creatione rerum & creandi modo oſtendere voluiſſe? Sed, inquiunt, quæ ſola voluntate fiunt nullis externis inſtrumentis adhibitis, ut in inſtante fiant, neceſſe eſt. Verum id quidem, dum res per puram creationem fiunt: itaque mundana materia in inſtanti a Deo creata eſt, quemadmodum Theologi omnes conſentiunt: item in inſtante creatæ mentes. Contra vero, quum res ex creata materia mechanicis legibus educuntur, id non neceſſario obtinet; ſcilicet tunc nihil vetat ſucceſſione quadam educi, ſi id auctori placeat. Qui vero dies extiterint, priuſquam creatus eſſet ſol, non erat admodum difficile intelligere; quum & lux primo die creata eſſet. Id ſi ita fieri mundi Auctori placuit, quod nec ἀδύνατον eſt, nec ἄπρεπον, quid aliud nobis ſupereſt, quam factum venerari?

12. Quod

(a) *In lib. contra Adimantum Manichæum*.
(b) *Geneſ*. 1.

12. Quod ſpectat ad ſecundam objectionem, eo in loco loquitur Moſes humanum in morem. Verbis ergo illis, *pœnitet me feciſſe*, *&c.* mutatio rerum ſignificatur, immutabili præſcientia divina manente. Vide Auguſtinum (*a*). Egregia quoque ſunt, & lectu perneceſſaria, quæ idem vir ſummus ea de re alibi ſcribit (*b*), Ponam ejus verba quæ ſunt elegantiſſima, & pulcherrima. *Divinæ*, inquit, *Scripturæ a terreno & humano ſenſu ad divinum & cæleſtem nos erigentes, uſque ad ea verba deſcenderunt, quibus inter ſe ſtultiſſimorum etiam utitur conſuetudo. Itaque earum etiam affectionum nomina, quas animus noſter patitur, quaſque longiſſime a Deo eſſe ſejunctas jam qui melius ſapit intelliget, non dubitaverunt illi viri, per quos locutus eſt Spiritus Sanctus, opportuniſſime in libris ponere: uti v. g. quoniam difficillimum eſt, ut aliquid homo vindicet ſine ira, vindictam Dei, quæ omnino ſine ulla perturbatione fit, iram tamen vocandam judicaverunt. Item quia conjugis caſtitatem zelando viri cuſtodire conſueverunt, illam Dei providentiam, per quam præcipitur, atque agitur, ne anima corrumpatur, & Deos alios, atque alios ſequens quodammodo meretricetur, zelum Dei appellaverunt: ſic & manuum Dei vim, qua operatur: & pedes Dei vim, qua in omnia cuſtodienda, & gubernanda pertendit: & aures Dei, vel oculos Dei vim, qua omnia percipit, atque intelligit: & faciem Dei vim qua ſe manifeſtat, atque dignoſcitur: & cetera in hunc modum. Propterea ſcilicet, quia ad quos ſermo fit, & manibus ſolemus operari, & pedibus incedere, & quo fert animus pervenire, & auribus atque oculis, ceteriſque ſenſibus corporis corporalia percipere, & facie innoteſcere, & ſi quid aliud ad hanc tamquam regulam pertinet. Hoc modo igitur, quoniam mutare cœptum aliquod, & in aliud transferre non facile ſolemus niſi pœnitendo, quamquam divina providentia ſerena mente intuentibus appareat, cuncta certiſſimo ordine adminiſtrare, accommodatiſſime tamen ad humilem humanam intelligentiam, quæ incipiunt eſſe, neque perſeverant, quantum perſeveratura ſperata ſunt, quaſi per pœnitentiam dicuntur ablata*. O præclara!

13. Quæ ſequuntur objectiones uſque ad nonam imperitiem eorum ſatis demonſtrant, qui Scripturas ſacras criminantur. Nam tertia nata eſt ex errore amanuenſium, aut librariorum illapſo in quibuſdam codicibus verſionis τῶν ſeptuaginta: in iis enim pro υιοι θεȣ Filii Dei, irrepſit Αγγελοι θεȣ Angeli Dei. Inde quidam vetuſti Chriſtiani dece-

(a) *De Civit.* 17. 17. (b) Lib. 83. *qq.* *q.* 52.

decepti ſabulam illam vulgaverunt de connubio Angelorum, & fœminarum (1). Ceterum filii Dei in eo Moſis loco ii ſunt, qui de ſtirpe erant Seth, ideſt pii homines, quum filii hominum dicerentur Cainitæ. Vide S. Auguſtinum (*a*), & Calmet in eum Geneſis locum. Itaque S. Joannes Chryſoſtomus (*b*), priorem illam opinionem fabulam inconſiderate loquentium vocat, abſurdam vero & blaſphemam vocat Cyrillus Alexandrinus (*c*): *quo pacto*, inquit, *non ſtultitiæ proximum ſit dicere, ſpiritus carne ſuperiores, ab eaque ſemotos carnalium amore tangi?* Prolata deinde eorum conjectura, qui cenſent dæmones ope alieni ſeminis gignere poſſe, concludit *abſurdam, ac ignorantiæ plenam eſſe eorum ſententiam*. Theodoretus (*d*), *Quidam*, inquit, *nimis ſtupidi & ſtolidi exiſtimaverunt eos Angelos eſſe, putantes ſuæ forſan intemperatiæ patrocinium ſe habituros, ſi Angelos ejuſdem criminis reos tenerent*. Tandem Philaſtrius, ut eſt ille paullo ferventior (*e*), inter hæreſes eam opinionem recenſet. Ac nollem eam opinionem tantum inter Philoſophos, theologoſque ſuperioris ætatis reperiiſſe patrocinium. Inter alios enim Franciſcus Valdeſius in eo libro, quem perſcripſit *de ſacra philoſophia* (*f*), Filios illos Dei dæmones malos habet, eoſque generaſſe applicando, ut ſcholæ ajunt *activa paſſivis* conjicit. Qui nec Scripturæ ſe valde peritum oſtendit, & in phyſicis plane plumbei eſt ingenii. Nam ut Scripturarum omittam, cujus aptiſſima eſt ſententia, ſi conſequentia cum antecedentibus conferantur; notum eſt gigni homines non poſſe naturaliter, niſi humano ſemine. Fabulæ enim ſunt ſemine aliorum animantium aliquando fœminas concepiſſe, quum id ne in brutis quidem effici potuerit, ut duæ diverſæque ſpecies inter ſe mixtæ generarent, quod copioſe oſtendit Buffon in

(a) *De Civit.* 15. 23.
(b) *Homil.* 20. *in Geneſim*.
(c) *Lib.* 2. *in Geneſim*.
(d) *Interrog.* 47. *in Geneſ.*
(e) *De hæreſib. cap.* 59. (f) *Cap.* 8.

(1) Origenes ei in primis opinioni adhæſit, quod ſyſtemati ſuo περι αρχων eſſet accomodatiſſima. Exiſtimabat enim mentes a Deo creatas identidem ab ea, qua cum eo fruuntur, beatitudine, deſciſcere, ſeu negligentia, ſeu improbitate, ac per gradus ſenſimque ad ima & viliſſima uſque corpora deſcendere; hinc pœnitentia paullatim atque item per gradus ad ſublimia tendere, quouſque Deo jungantur. Qua de re ejus libri *de Principiis* legendi ſunt.

in hiſtoria natura. Quo magis fabulæ erunt vi concipere poſſe dæmonum, qui aut nullum corpus habent, quod cenſeo, aut non tale habent, ut ſemen jacere poſſint animale. Minus quoque veriſimile eſt alienum ſemen tranſplantatum ſatis habere efficaciæ ad gignendum. Sed nolo hæc nimium ad vivum reſecare, quæ neſcio quid intemperantiæ habent. Credidiſſe igitur ea & heroicæ ætatis poetas, genteſque, & romanenſes apud nos ſcriptores barbariſſimo ſæculo vulgaſſe, nemini mirum eſſe debet, quum alia magis quoque portentoſa ſibi facile perſuaſiſſent. Illud vero & mihi, & aliis fortaſſe incredibile videbitur, eſſe adhuc tam levis ſincipitis homines, qui minime ea de re dubitent.

14. Quarta jam, quinta, ſexta, ac ſeptima objectiones ſtilo ſcripturarum humano inædificantur, adeoque ex iis, quæ dicta ſunt in §. 8. facillime refelluntur. Nam quod ait ſcriptor divinus, *odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis*, idipſum eſt, quod Latini dicere conſueſcunt; *Dii approbant*; quodque ait ſæpe Homerus τȣ δ' εκλυε. Cetera ſunt, ejus generis, de quo Auguſtinum differentem ſupra audivimus.

15. Ex ſuperioribus refellitur & octava, in qua *potiſſimum* recentes Deiſtæ triumphare ſibi videntur. Et vero omnium mortalium imperitiſſimus in ea objectione mihi videtur Spinoza. Divinæ Scripturæ finis eſt hominem ad vitam æternam inſtituere, uti ex Apoſtolo paſſim eſt adnotatum. Inſtituere autem aliquem eſt ei eam doctrinam, & ſapientiam communicare, cujus eſt ille capax. Itaque præclare ac ſapienter cum diſcipulis agunt magiſtri, dum ætati, idoli, capacitati eorum ſeſe aptant; dum ea, quæ ignorant, eorum, quæ ſciunt, notionibus explicant: dum ſimilitudinibus iis utuntur, quæ magis ſunt auditoribus familiares, veluti e mari deſumtis cum nautis, ex agris cum paganis hominibus. Geometræ facile quidpiam, quod ille ignorat, exemplo geometrico indideris: Juriſperito exemplo Juris-prudentiæ. Quoniam ergo Deus intelligi volebat ab hominibus, quos alloquebatur, alioquin nulla fuiſſet cauſa, quamobrem loqueretur, aptare ſe voluit hominum capacitati, indoli, moribus, notionibus. Quinimmo quum agreſtes eſſent Judæi, & rudes, tanto ille magis ſe demiſit, & ad ſenſum humanum deſcendit. Fac illum linguam æternam locutum eſſe, perinde fuiſſet, ac ſi nunquam

eſſet

eſſet locutus. Huc ſpectat Paulli Apoſtoli admonitio, *oportet fieri omnia omnibus*. Et quemadmodum, inquit ſæpe & præclare Chryſoſtomus, non omnes piſces eodem hamo, aut rete capiuntur, ita non iiſdem omnes homines probationibus, & ſententiis. Debuiſſet igitur profanus hic homo divinæ providentiæ œconomiam admirari potius, & commendare, quam ſtultiſſime calumniari. Præclare hæc & ſæpe diſſerit vir divini ingenii Origenes *adverſus Celſum*.

16. Quæ nono loco poſita eſt profani generis argumentatio, haud eſt illa melioris furfuris. Veteres quidam Patres exiſtimavere, non cum Angelis eos a Deo ſeri ſermones, ſed cum æterno λογῳ, & πνευματι: quo modo tota illa argutatio ipſa per ſe concidit. Sed ut cum Angelis ſit loquutus, quid habet id aut indecori, aut abſurdi? Nec enim cum Angelis ſolum familiariter loquitur Deus, ſed cum ipſis quoque hominibus. Nam ſi nulla, ut ait Plato, fuit Deo alia creandi mundi cauſa, niſi, ut ſuam bonitatem rebus a ſe creatis participaret; iis profecto largius participare debet, qui rationis ſunt participes; qui & ejus gerunt expreſſam animo imaginem, & filii Dei emphatice dicuntur. Quibus idcirco familiariter utatur Deus, neceſſe eſt, quo eos beatos efficiat. Quid ſi ejuſmodi alloquutiones non id, quod Deus dixit, ſed quod ille mente agitabat, humanum tamen in morem, nos docent? Nam & ſic accipit Clericus, idque alias in ſcripturis uſuvenit. Poſtremo tam certum eſt iis loquendi modis non id innuere divinum ſcriptorem, quod illi inde invidioſe excudunt, quam certiſſimum, eadem prorſus ratione, ne quid nunc dicam de Homero, Deum a Platone in Timæo minores Deos adloquentem induci, licet eum unum ex minoribus non habuerit, quorum *opificem* & *patrem* vocat.

17. Quæretur autem hoc in loco, quid cauſſæ fuerit, cur ſpiritus divinus, qui loquebatur per prophetas, ad humilia quandoque, nec majeſtate divina digna, nec ad mores & Dei cultum pertinentia, ſeſe demiſerit. Id videntur indignari Deiſtarum quidam; nec tamen animadvertunt, ſe œconomiæ Gentis Judaicæ plane oſtendere imperitos. Eſt omnibus velut congenitum futuri deſiderium: inde factum ut id tot inter veteres nationes excitaverit falſos vates, qui eo lubentius audiebantur, quod non de religione modo prædicebant, ſed de vitæ quoque negotiis reſpondebant. Inter eas, & quidem ſuperſtitioſiſſimas, diu verſati erant & innutri-

nutriti Judæi. Itaque difficile erat cultum illis religioſum dare, qui nihil divinationis haberet: aſpernati continuo fuiſſent veluti minimi divinum, ac, quod ob leviores alias cauſas faciebant ſæpe & ſtultiſſime, tranſiſſent in vicinarum gentium religiones. Quare ut in obſequium continerentur non ſermones tantum de moribus & religione divinos, ſed de vitæ quoque rebus prophetis ſpiritus ille Dei dictabat. Quocirca reperies & de Aſinabus Saulis reſpondiſſe Samulem, & de rebus aliis exigui momenti Prophetas ceteros. Eſt hoc & Origenis præclare obſervatum in 1. contra Celſum cap. 9. pag. 28. edit. Spenceri.

CAPUT XX.

Divinitas librorum veteris Teſtamenti demonſtratur a prophetiis.

1. COLLATIS iis omnibus, quæ in Scholio prop.... diſputata ſunt, de verorum & falſorum prophetarum characteribus, facile demonſtrari poteſt, prophetas omnes Veteris Teſtamenti a Deo fuiſſe miſſos. Ac demus vetuſtis illis libris non aliam heic fidem, quam quæ ſinceris hiſtoricis tribuitur; neque enim eo impudentiæ Deiſtæ evadere poſſunt; ut tot libros, tantæ inter ſe concordiæ, tam miræ ſimplicitatis, inter romanenſes fabulas amandent: omnem humanum ſenſum oportet prius eos exuere, qui eum in modum aut ineptire, aut furere velint. Quoniam ergo ea fides illis negare nequit, re vera facta eſſe oportet ea, quibus omiſſionem ſuam populo comprobarunt, veramque fuiſſe vitæ ſanctitatem, qua illis exemplo erant, quos ad ſimilem adhortabantur. Ac proinde ſecundum, & quartum Prophetarum ſigna in illis inveniuntur. Invenitur & tertium, tota enim eorum doctrina unum ſupremum Deum, ejuſque potentiam, ſapientiam, providentiam, bonitatem, juſtitiam prædicat; tota cultum ejus Numinis ſanctiſſimum, & vitæ humanæ honeſtatem ſpectat. Qua de re is dubitare poteſt, qui libros illos ne fando quidem audiverit. Primum ſi acceſſerit ſignum, tum vero amens eſt qui de eorum divinitate dubitat. Itaque hoc demonſtrandum ſupereſt, eorum prædictiones ita contigiſſe, ut dictæ erant.

2. Quoniam autem tripartita reperiuntur vaticinia prophetarum:

tarum: *ſiquidem* (verba ſunt Auguſtini (*a*)) *aliqua ſunt ad terrenam Hieruſalem ſpectantia, aliqua ad cæleſtem, nonnulla ad utramque, ideſt ad ancillam proprie, & liberam figurate*, ne longiores æquo ſimus, paucas tantum utriuſque generis, eaſque per ſumma capita attingemus. Alioquin integro opere opus eſſet, ſi ſingulas comprehendere vellemus. Primum dico ex tota ſerie hiſtoriæ Judaicæ intelligi ſine ulla hæſitatione, in una hac gente ſpiritum prophetiæ ab Abrahamo ad Templum ſecundum perennem fuiſſe in perpetua ſerie prophatarum, ut non ſolum divino ſpiritu percitus, ſed etiam ex fide hiſtorica veriſſime dicere potuerit Pſalmiſta: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Qui attente hiſtoriam Judaicam legerit, ejuſque ſimplicitatem ab omni impoſturæ ſuſpicione abhorrentem obſervaverit, ac veteres prophetias cum recentioribus factis, etiam ab hiſtoria profana enarratis, contulerit, is quod dico, quantumvis refractarius, nullo negotio ſibi perſuadebit. Luculenter id quoque nuper oſtenderunt & Boſſuet (*b*), & Prideaux (*c*).

3. Deinde eventus ipſi id comprobant. Clariores ſeligam, ne quid mutiant profani. Noemus prophetici ſpiritus plenus; *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Sem: ſit Chanaan ſervus ejus* (*d*). Id dictum octingentos ſupra annos, quam evenerit, quum nihil dum eſtaret, ex quo tot nationum conditio præſciri poſſet. Contigit autem ut dictum erat: nam Chananæi, qui eo in loco indigitantur, a Chanaan oriundi, a Semitis ſubjugati ſunt. Sed & opere illud aliud completum, quod ſequitur verſ. 27. *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſervus ejus*. Primum pars Aſiæ ſeptentrionalis, quæ Japheto origine debet, ut Bochartus copioſe demonſtrat in Phalegio; deinceps Europæi quoque in Semi tabernaculis habitavere, & Chananæos ſubjugarunt. Ita qui loca, & hiſtorias veteres probe didicit, narrari videt velut facta, quæ tot poſt ſæculis evenere.

4. Geneſeos 12. 2. 3. *Faciam te in gentem magnam & be-*

(a) *Lib.* 17. *de Civit. cap.* 3.
(b) *In Hiſt. univerſ. p. II. & III.*
(c) *In Hiſt. Judæor.*
(d) *Geneſ.* 9. 26.

& benedicam tibi & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus; benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur univerſæ cognationes terræ. Illuſtris in primis & nulli exceptioni obnoxia prophetia, cujus ut eventum intelligamus, obſervandum eſt duo in illa contineri promiſſa, quorum alterum terrenam civitatem, alterum divinum Chriſti regnum ſpectat. *Advertendum eſt*, ſunt verba Auguſtini (*a*), *duas res promiſſas Abrahæ, unam ſcilicet, quod terram Chanaan poſſeſſurum fuerat ſemen ejus ... aliam vero longe præſtantiorem, non de carnali, ſed de ſpirituali ſemine, per quod Pater eſt, non unius gentis Iſraeliticæ, ſed omnium gentium, quæ fidei ejus veſtigia conſequuntur.* Utraque autem promiſſio plene impleta eſt. Nam & Abrahamidæ poſt 430. annos Chananitidem pleno jure poſſederunt, & ex ſemine Abrahami natus eſt Jeſus Chriſtus Dominus noſter, *in quo omnes gentes benedicuntur*, per quem ſcilicet unum vita, non hæc temporaria, ſed æterna altera, & feliciſſima inducta eſt. Nam quod Hebræi quidam hoc ita intelligunt, quaſi omnes nationes Hebraico imperio ſubmittendæ eſſent, nemo non videt, quam id perabſurdum ſit. Quæ enim iſthæc eſt nationum benedictio, qua illis non bona promittuntur, ſed ſervitus? præſertim quum Scriptura, cui benedicit, imperium promittit, cui maledicit, ſervitutem minatur, uti ex infinitis locis colligi poteſt. Sed eſt quod adverſus primam promiſſionem opponunt, non ſemini tantum Abrahæ, ſed Abrahæ ipſi promiſſam Chananitidem, quam tamen Abraham non poſſederit. Reſpondeo recte dici parentibus dari, quod liberis, & poſteris eorum datur parentum ergo. Is præterea eſt ſtilus Scripturæ, ut parentibus dicat datum, quod non poſſedere niſi filii in gratiam parentum, ut quum dicitur eadem Chananitis data Jacobo, Iſaaco, Abrahamo, quæ data erat nepotibus in gratiam parentum illorum. Quo modo poſteritas David vocatur David (*b*). Accedit quod Abrahamo primum datum ſit jus in Chananitidem, cujus juris vi poſteri Chananitidem petierunt. Itaque & quod dicit, *dabo tibi*, præſens jus ſpectat, nec promiſſio, eſt, ſed datio: quod addit, *ſemini tuo*, poſſeſſionem ſignificat, eaque promiſſio eſt, eaque impleri cœpta ſub Moſe.

5. Ac-

(*a*) *Lib.* 16. *de Civit. cap.* 16.
(*b*) *Jerem.* 33. 17.

5. Accedunt duæ aliæ promiſſiones eidem Abrahamo factæ, quarum altera terrenam tantum civitatem, altera terrenam & cæleſtem ſpectat. Quum dixiſſet Abraham Deo in viſione prophetica (*a*), *Ego vadam abſque liberis, & filius procuratoris domus meæ iſte Damaſcus Eliezer erit hæres meus*: ſtatim Deus, *non erit hic hæres tuus, ſed qui egredietur de utero tuo, ipſum habebis hæredem*. Quod & in provectiſſima Abrahami, & Saræ ſenecta, quo tempore omnes naturæ rationes prohibebant liberos expectare, factum eſt. Sed & illud Deus addidit. *Aſpice cælum, & numera ſtellas ſi potes: ſic erit ſemen tuum*. Id ad utramque civitatem pertinet. Nam ex Abrahamo non gens modo Judaica, quæ populoſiſſima fuit, ſed per Iſmaelem Agareni, ſeu Saraceni provenere. Quumque duodecim Iſmael habuiſſet liberos (*b*), a quibus totidem tribus Arabum exortæ, inde infinita illa multitudo pullulavit, quæ a mari Rubro uſque ad Babylonem, & ſinum Perſicum vaſtas ſolitudines, & arenoſa deſerta, non tam occupavit, quam implevit. Præterea magis quoque populoſus alter credentium populus, quorum ille eo fœdere conſtitutus fuit pater, in Abrahæ lumbis continebatur: *mihi*, inquit Auguſtinus, *magis videtur promiſſa poſteritas cæleſti felicitate ſublimis* (*c*). Dum Abramo diſtinctius explicat, quæ futura eſſet liberorum, & nepotum ſuorum conditio, ac quando demum poſſeſſuri Chananitidem, *Scito*, inquit, (*d*) *prænoſcens quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & affligent quadringentis annis: verumtamen gentem, cui ſervituri ſunt, ego judicabo, & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia*. Quæ ita, ut prædicta erant, eveniſſe ex conſequenti hiſtoria diſcimus.

6. Eamdem familiaritatem cum Deo, & participationem divinorum conſiliorum habuit Iſaac Abrahæ filius, & utriuſque fœderis terreni, & cæleſtis hæres: *Eroque tecum*, inquit Deus (*e*), *& benedicam tibi*. Confirmatæ eædem promiſſiones: *tibi enim & ſemini tuo dabo univerſas regiones has... & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli... benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*. Spiritu quoque prophetico Jacobo benedictionem lar-

(a) *Geneſ.* 15. (b) *Geneſ.* 16.
(c) *De Civit. lib.* 16. 23. (d) *Ibid.* 10. 13.
(e) *Gen.* 26. 3.

gitur: *De rore cæli, & de pinguedine terræ: eſto*, inquit, *Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii Matris tuæ* (*a*). Quod ex ſequente hiſtoria eveniſſe, perſpicuum eſt: nam præter abundantiam bonorum telluris, in qua fuere Iſraelitæ in Chananitide, imperium quoque extenderunt in bonam partem ſtirpis Eſau. Nam Idumæi, quæ gens a mari Rubro ad Mediterraneum, & ſinum Perſicum, late protendebatur, quæque ab Eſau originem trahit, magna ex parte ſub Davide per Joabum ſubacti ſunt deletis omnibus maſculis (*b*).

7. Idem porro ſpiritus propheticus perpetuatus in Jacob, ejuſque filio Joſepho. Et Jacobus quidem non modo revelationes propheticas frequentiſſimas habuit in tota vita, verum morti proximus fata ſingulorum filiorum diſtincte enumeravit (*c*): *Vocavit Jacob filios ſuos, & ait illis: congregamini, ut annunciem, quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis*. Noviſſima, ideſt diſtantiſſima tempora ſpectat, ne qua ſuſpicio oriatur, conjicere eum futura ex præſentibus. Ne per ſingula divager, hoc uno exemplo contentus ero. *Judas te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum. Catulus leonis Juda. Ad prædam, fili mi, aſcendiſti... non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium*, ideſt; erit in *quo benedicentur omnes gentes*, quod Abrahæ, & Iſaaco divino fœdere promiſſum. Duo in his verbis tribu Judæ promittuntur, imperium in totam Jacobi progeniem, & Sciloch, ſeu is, in quo gentes omnes eſſent benedicendæ. Poſterius promiſſum duo quoque continet; Meſſiam ex ea ſtirpe naſciturum, & lineam Judæ nunquam defuturam ad Meſſiam uſque, quod diſertis deinde verbis Davidi promiſit, ut poſtea videbimus. Ea omnia pleniſſime impleta cernimus. I. ſub Davide, Salomone, & eorum poſteris imperium in Chananitidem Tribus Judæ obtinuit. II. Numquam ſtirps Judæ, ac Davidis defecit ad Meſſiam uſque III. Ex ea ſtirpe natus eſt Jeſus Chriſtus, *expectatio gentium*, ſeu in quo gentes omnes benedicuntur. De ſpiritu Joſephi prophetico. *Vide cap.* 41. *Geneſ.*

8. Con-

(a) *Gen.* 27. 28. 29.
(b) 3. *Reg.* 11. 15.
(c) *Gen.* 49.

8. Continuatus, atque uberius, & præſtantiori modo, ſpiritus propheticus in Moſe Republicæ Hebraicæ primo ductore. Id conſtat ex perpetua hiſtoria quatur reliquorum Pentateuchi librorum. Quinimmo gradus propheticus Moſaicus maximus fuit omnium eorum, qui in veteri Teſtamento obtinuerunt, uti patet ex iis, quæ ſupra diximus, traditurque diſertis verbis in Deuteronomio (*a*).

9. Quum vim Moſis propheticam ſatis demonſtrent ea facta, quibus ſuam miſſionem confirmavit, deque iis copioſe ſuperius diſputatum ſit, ſuperſedeo heic a peculiaribus ejus prophetiis efferendis. Sed illa ut præterirem, quæ de ultimis Judaicæ Reipublicæ rebus ac fortuna vaticinatus eſt in eo Cantico, quod ad calcem eſt Deuteronomii, impetrare ab animo meo non potui. Nam animo vir divinus præſenſerat Judæos tandem aliquando cæleſtes leges deſerturos, omnemque & divinum cultum, & juſtitiam fœdaturos. Itaque quæ illis eas ob res eventura eſſent, non per ambages, ſed perſpicuis verbis ſenſibuſque in anteceſſum ob oculos poſuit. Hæc ſunt talia, ut fere nulla ſit ex iis calamitatibus, quæ iis acciderunt, quaſque longo opere enarravit Joſephus *de Bello Judaico*, quam ille non totidem verbis prædixit. Scio Joannem Clericum, alioſque criticos ſuſpicari eſſe eas comminationes legislatoris. Sed qui utraque contulerit, & quæ Moſes minatur, & quæ Joſephus narrat, quæque poſt Joſephi ætatem ad nos uſque contigerunt, is, ne ſi obſtipo quidem ſit animo, aliud audebit judicare, quam quod res per ſe ipſa docet. Præcipuæ prædictiones ſunt hujuſmodi. (*b*)

10. Quum commemoraſſet Dei in Judæos vetera ac recentia beneficia, ingratumque adverſus ea ferocientis populi animum, ſubdit. (*c*)

Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis. Conſumentur fame, & devorabunt eos aves morſu amariſſimo (1). *Dentes beſtiarum immittam in eos cum furore*

(a) *Deut.* 34. 10. (b) *Deut.*
(c) *Deut. XXXII.* 23.

(1) Eſt huic Moſaici carminis loco tam ſimilis alter Homeri initio Iliadis A, ut non ſit, quod ait Plautinus Soſia, lacti tam lac ſimile. In utroque iratum numen, ac ſagittæ iræ inſtrumentum; in utroque ſagittarum clangor: in utroque fames: memorati in utroque aves. Itaque ſuſpicari quis poſſet non ignotum Homero fuiſſe Canticum hoc Moſis.

rore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium. Foris vaſtabit eos gladius, & intus pavor; juvenem ſimul ac virginem, lactentem cum homine ſene. Dixi ubinam ſunt? Ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.

11. Horum pleraque ante etiam, quam Hieroſolyma vaſtarentur perpeſſi fuere Judæi: omnia poſt Judææ everſionem. Qui, ut dixi, Joſephi *de bello Judaico*, hiſtoriam legerit, is in hoc Moſis loco quaſi ejus Synopſin & argumentum leget, adeo omnium malorum, quæ Hebræis acciderunt, ſemina eo continentur.

12. Idem ſpiritus propheticus fuit in Joſue Moſis ſucceſſore. Deum enim cum eo fuiſſe, quod (*a*) illi promiſerat, miracula, quæ edidit, demonſtrant, veluti tranſitus Jordanis, excidium urbis Jericho, Epocha Solis, &c. Primum miraculum hunc in modum deſcribitur (*b*). *Ingreſſiſque eis Jordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Jordanis autem ripas alvei ſui tempore Meſſis impleverat) ſteterunt aquæ deſcendentes in loco uno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab urbe, quæ vocatur Adom, uſque ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum, deſcenderunt, uſquequo omnino deficerent... omniſque populus per arenam alveum tranſibat.* Qui gravitatem aquæ aeris gravitate ſpecifice majorem noverit, qui ejus fluiditatem animo reputaverit, qui fluidorum preſſionem undequaque obſervaverit, is complicata in hoc uno miracula nullo negotio intelliget, agnoſcetque hoc miraculum ejus vi factum, cui Natura rerum obſecundet. Ignoro autem quo conſilio Joſephus (*c*) miraculum hoc extenuet, quaſi imminutis acquis, per alveum tranſierint Iſraelitæ: id enim narrationi ſcriptoris divini contrarium eſt. Nec ſine peculiari Dei cura divinum Scriptorem addidiſſe cenſeo, Jordanem id temporis ripas prætervectum, ne ſcilicet quemquam alterum frigida illa Joſephi ſuſpicio incederet. Similia obſervare licet in expugnatione Jerichuntis.

13. Sed miracula omnia excedit ſolis Εποχη. Hoc enim miraculum fieri non potuiſſe, niſi a Deo, qui totum ſyſtema mundanum voluntate ſua moderatur, vel tironibus Aſtronomiæ perſpicuum eſt. Nec nunc diſputo, ſol ne ſte-

(a) *Deuteron.* 31. 23. (b) *Joſ. cap.* 3. 15.
(c) *Lib.* 5. *antiq.* Judaic. *cap.* 1.

ſteterit, an tellus: ei controverſiæ heic non eſt locus. Id aſſero, ſeu ſol, quod veteres putant, ſeu tellus, ut recentes Aſtronomi contendunt, ſtetit, idem *ſubſtantia* eſſe miraculum. Miraculum autem præſtantiſſimum. Motus ſolis cum motibus aliorum ſyſtematis planetarii corporum harmoniam facit, ut non poſſit ſol conſiſtere, quin ceterorum conſiſtat; alioquin incredibilis totius ſyſtematis perturbatio oriatur neceſſe eſt. Itaque primum miraculum fuit cohibere planetarum omnium hujus ſyſtematis motum. Conſtat hic motus temperatione virium centripetarum, & centrifugarum, ut patet: utrumque ergo cohibere neceſſe fuit, ac corpora omnia hujus ſyſtematis ad primam ſui originem revocare. Deinde quum ſuapte natura nullum corpus a motu ad quietem tranſire poſſit, eadem vi, qua primum mundana corpora ad motum impulſa ſunt, iterum impelli oportuit, eademque ſapientia utraque vis temperari, ut harmonice conſpirarent. Ita hoc factum mihi par creationi mundanæ videtur, nec minus, quam illa fuit, omnem humani intellectus cogitationem excedens.

14. Non ſum ignarus, quot ſunt commenti homines profani ad hoc miraculum diluendum. Grotius ad hunc locum ſcribit, fieri potuiſſe, ut poſt ſolis occaſum ſpecies ejus in nube ſupra horizontem exſtante per repercurſum oſtenderetur, ideſt fuiſſe *parhelium*, ut Phyſici vocant. In eadem ſententia verſatur fabulator Præadamita Peyrera (*a*). In eamdem inclinavit & Clericus (*b*). Sed primum Hiſtoriæ Sacræ apertum bellum faciunt Auctores iſti: ſcriptor divinus habet: *Stetit ſol in medio cæli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei* (*c*). Idemque alibi repetitur (*d*). *An non in iracundia ejus impeditus eſt ſol, & una dies facta eſt quaſi duo?* Parhelii autem, & quidem interdiu, vix quatuor horarum ſpatio perdurant, uti conſtat ex obſervationibus Hevelii, Hugenii, Caſſini, aliorumque Philoſophorum: occidente autem ſole brevius durent neceſſe eſt: generantur enim in atmoſphera aerea non procul a tellure, ut inde conſtat manifeſto, quod vix in duobus locis, quamvis parum diſſitis, ſimul conſpiciantur. Nam parhelii, in-

(a) *Par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 5.
(b) *Ad Joſue cap.* 12. 13.
(c) *Joſue* 10.
(d) *Eccleſ.* 46. 5.

quit Muſſchembroechius (*a*), qui Harlemii, anno 1734. Februarii 12. viſi ſunt, nequaquam apparuerunt Ultrajecti, ut & paraſelenæ conſpectæ Leydæ inconſpicuæ fuere Ultrajecti. Itaque vicini telluri pinguntur parhelii, ac proinde ſtatim poſt occaſum ſolis diluantur oportet: tantum abeſt, ut ullo modo per integrum diem durare poſſint. Deinde parhelii, & paraſelenæ locis, ac temporibus frigidis conſpiciuntur, quum ſcilicet nubes denſiores ſunt, & aptæ reflectendæ eorum Aſtrorum imagini: at nec locus, qualis eſt Palæſtina, nec tempus, quod erat meſſis, ideſt æſtas heic congruunt. Nec dicatur præceſſiſſe grandinem, qua ad internecionem uſque quinque regum exercitus deletus eſt: fuit enim grando miraculoſa, quod exinde conſtat, quod nulla in parte exercitum Joſue læſit, qui poſtremum hoſtium agmen inſequebatur. Præterquam quod ſolet æſtate magnis grandinibus pluere: nihil tamen hucuſque ejuſmodi cum parheliis naturæ hiſtoria docuit. Tum parhelii, & paraſelenæ eodem tempore naturaliter contingere nequeunt, potiſſimum interdiu: lunæ enim radii imbecilliores ſunt, quam ut interdiu ita e nubibus reflecti poſſint, ut paraſelenem faciant, quum luna ipſa vix radiis directis alto ſole conſpiciatur. At ex narratione *Joſue* conſtat, lunam æque ac ſolem conſtitiſſe. Plura alia obſervari poſſent, quæ brevitatis gratia omitto. Intelligitur hinc naturalium rerum ſcientiæ imperitiſſimos ſe prodere, qui ad parhelios, & paraſelenas confugiunt.

15. Sub Judicibus a Joſue ad Samuelem idem in Iſraelitas perſtitit Dei favor, eadem peculiaris cura. Fuere & viri Theopheuſti, & miracula ingentia patrantes, quod in hiſtoria Judicum accurate deſcriptum eſt. In Samuele vero uberior ſe ſpiritus propheticus manifeſtavit. Principium ejus revelationum minæ fuere in Heli, ac domum ejus (*b*), quæ ita omnes completæ ſunt (*c*), ut tum de hac, tum de omnibus Samuelis prophetiis ſcribatur, *& non cecidit, ex omnibus verbis ejus in terram* (*d*). Claritas ſpiritus prophetici Samuelis eſt inſignis: futura contingentia prædicit, tamquam qui facta, aut præſentia narrat. Minutiſſimas

(a) *Elem. phyſ.* §. 1297.
(b) 1. *Reg.* 3. 11. *& ſeqq.*
(c) *Ibid. cap.* 4.
(d) *Ibid. cap.* 3. 19.

mas circumſtantias attingit, & quas vix, quum contingunt, oculi cernant (*a*).

16. Jam ſub Davide nobiliſſimi celebrantur Prophetæ, quin in Regum libris memorantur, & ex quorum ſcriptis ut ſupra diximus, libri Regum collecti videntur. David ipſe omnium celeberrimus extitit Propheta. Ejus prophetiæ de Meſſia plures ſunt, & memorabiles. Totus Pſalmus ſecundus propheticus eſt, quod Apoſtoli agnoſcunt (*b*). Nam & perſecutionem Principum adverſus Chriſtum, ejuſque doctrinam graphice deſcribit: *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Chriſtum ejus:* & æternam Meſſiæ generationem: *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodi genui te*: & regnum ejus in omnes gentes: *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ* (*c*). Nugas autem agunt, qui Davidi ipſi hæc omnia aptare conantur; eſt enim cothurnos Herculis, ut dicitur, aptare infanti. Sunt ejuſdem generis alii plures, ut CIX. in quo Jeſu Chriſti regnum & ſacerdotium deſcribuntur, uti conſtat ex teſtificatione Novi Teſtamenti (*d*), in quo Chriſti paſſio prædicitur, ac quaſi narratur facta, cujus verſiculi aliquot citantur ab Evangeliſtis (*e*).

17. Sed & ſub Davide, & Salomne præclari plures fuere prophetæ, quorum ſcripta perierunt, ut Nathan, & alii. Ipſe Salomon inter Prophetas, adnumerari jure debet, ſi Prophetæ, ut dixi, nomine accipiamus eos omnes, ad quos verbum Dei factum eſt. Nam Salomoni ſub initium regni *apparuit Dominus per ſomnium nocte* (*f*). Quo eodem loco dicitur *datum Salomoni cor ſapiens, & intelligens, in tantum ut nullus ante eum ſimilis fuerit ei, nec poſt eum ſurrecturus eſſet*. Idipſum probant ejus libri, qui inter divinos ab Hebræis ſemper ſunt habiti. Ejus canticum

---

(a) *Legatur cap.* 10. *libri ejuſdem* 1. *Reg. a verſ.* 1. *ad* 7.

(b) *Act.* 4. *ad Hebr.* 1. *&* 5.

(c) *Vide Orig. in* 1. *c. Celſ.*

(d) *Matth.* 22. *Act.* 2. *ad Corinth.* 1. *cap.* 15. *Ad Hebr.* 1. 5. 7. 10. *& Pſalm.* LXVIII.

(e) *Joann.* 2. 15. 17. 25. 29. *Act.* 1. 2. 20.

(f) 3. *Reg.* 3. 5.

eum totum eſt propheticum, quod Patres accuratiſſime demonſtrarunt. Res eſſet operis prope infiniti huc omnia conferre. Unum addo, Ethnicis ipſis Scriptoribus celebratiſſimam fuiſſe Salomonis ſapientiam. Joſephus (*a*) contra Apionem locum inſignem profert Dii hiſtorici Phœnicii, ex quo conſtat ænigmata ſublimis ſapientiæ inter Salomonem, & Hiromum miſſitata, victore Salomone. Memorat eamdem utriuſque regis contentionem Menander Epheſius, qui res tum Barbarorum, tum Græcorum Regum præſcripſit, cujuſque illuſtrem locum idem profert Joſephus at contractius Theophilus Antiochænus (*b*): ejuſdem rei plures alios hiſtoricos memorant Tertullianus (*c*) & Clemen Alexandrinus (*d*): ut, quum Auctores iſti eo ſcripſerint tempore, quo nondum tot veteres codices perierant, de re nullo modo dubitare poſſint profani homines.

18. A Salomone ad captivitatem Babylonicam ſolutam tota illa prophetarum copia, quorum ſcripta recenſuimus, ac habemus in Judæorum & Chriſtianorum Canone, floruere. Eorum vero prophetiæ, quum quæ ſpectant terrenam civitatem, tum præſertim quæ cæleſtem, inſignes ſunt, & illuſtres, ac tales, ut ex ipſa profana hiſtoria earum eventum comprobentur, quod in ſua Judæorum, *vicinarumque* nationum hiſtoria copioſe agit, quem ſæpius *citavimus*, Humfredus Priduaux. Affirmare confidenter poſſumus nunquam alias ſpiritum propheticum in gente Hebræa tantum fuiſſe familiarem, quam toto hoc temporis intervallo. Prophetiarum pauca exempli loco proferam. Captivitatem Babylonicam omnes ferme prædixere, ac excidium utriuſque regni Samariæ, & Judæ, alibi quidem generatim, alibi vero diſtincte, minutiſſimas quoque circumſtantias deſignantes, ut qui totam hanc Hebraicæ hiſtoriæ periodum penſiculate examinaverit, ac cum Ægyptiorum, Syriorum, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum hiſtoriæ id temporis fragmentis, quæ ex Ethnicis ſuperſunt, contulerit, non poſſit non manifeſte intelligere, quod in divinis libris ſcriptum eſt, & *nullam nationem habuiſſe Deos, tam appropinquantes ſibi*, quam fuit verus Deus Hebræis, & Deum *nulli alteri nationi feciſſe ſimiliter, ac judicia ſua eis manifeſtaſſe*. Hæc tantum hiſtoriæ Judaicæ periodus refractarios

(a) *Lib.* 1. (b) *Lib. ad Autolic.* 3.
(c) *In Apologet. cap.* 19. (d) *In* 1. *ſtrom.*

rios & contumaces omnes, ſi ſerio animum advertant, plene convincere poteſt.

19. Memoremus autem quædam diſtinctius. Quum Jeroboam Rex Iſrael ſacrificaret in altare, quod erexerat in Bethel: *Ecce vir Dei* (ideſt Propheta) *venit de Juda, & exclamavit contra altare in ſermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur Domui David, Joſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes Excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet* (a), quod trecentis poſt annis completum eſt, quum Joſia rex ſapientiſſimus Judæam a veteris ſuperſtitionis monumentis repurgavit (b). Quum duo reges Damaſci Reſin, & Samariæ Phare conjuraſſent adverſus Achaz regem Judæ „ Iſaias Propheta ad Achazum mittitur, qui „ ei diceret, noli timere, & cor tuum ne formidet a „ duabus caudis titionum fumigantium iſtorum ... Hæc „ dicit Dominus Deus, non ſtabit, & non erit iſtud, ſed „ caput Syriæ Damaſcus, & caput Damaſci Reſin, & „ adhuc ſexaginta & quinque anni & deſinet Ephraim eſſe populus (c), quod exacte contigit vigeſimo ſecundo anno regni Manaſſis regis Judæ ſub Aſſaradone Aſſyriæ, & Babyloniæ rege. Pluribus hæc deducit Pridaux (d) ad annum 677. ante Chriſtum. Everſionem Ninivis, quæ caput erat imperii Aſſyrii, tres Prophetæ Jonas (e), Nahum (f), & Sophonia (g) diſerte prædixerant. Quadraginta dies everſioni conſtituerat Jonas: ſed ea dilata fuit ob pœnitentiam Aſſyriorum. Nahum ruina Ninives ſigillatim indigitat, deinde concludit v. 7. *& erit omnis qui viderit te, reſiliet a te, & dicet, vaſtata eſt Ninive.* Id contigit viceſimonono anno Joſiæ regis Judæ, & viceſimo tertio Ciaxaris regis Medorum. Conjunctis enim armis Aſtyages filius Ciaxaris, & Nabopolaſſar Rex Babyloniorum captam Niniven ſolo æquarunt, ac Saracum interfecerunt (h): qua de re legatur Stabo (i). Alexander Polyhiſt. apud Syncell. (k). Euſebius (l). Prophetavit autem Nahum ſub

---

(a) 3. *Reg.* 13. 1. *& ſeqq.* (b) 3. *Reg.* 13. 1.
(c) *Iſa.* 7. (d) 1. *p. lib.* 1. (e) *Cap.* 3.
(f) *Cap.* 2. *&* 3. (g) *Cap.* 2. *&* 13. (h) *Lib.* 1.
(i) *Lib.* 16. (k) *Pag.* 210. (l) *In Chron. pag.* 124.

ſub Manaſſe, quod conſtat ex perpetua Hebræorum traditione, & proinde quinquaginta circiter annis ante Ninives everſionem prædixit, quo tempore nihil tale ſuſpicari homines poſſent a Babyloniis, quum utrumque regnum, Babylonis, & Ninivis ſub eodem imperio eſſet.

20. Sub Joachim Joſiæ filio perditiſſimo Principe, Jeremia, Ozia, Habacuc, Sophonia everſionem regni Judææ imminentem prædicare cœperunt. Habacuc, & Jeremia addunt Chaldæos futuros iræ divinæ adminiſtros (*a*). Sed & eam addit Jeremia circumſtantiam: ſeptuaginta annis Judæorum captivitatem duraturam (*b*). Proferamus Dei verba: *Pro eo quod non audiſtis verba mea, ecce ego mittam, & aſſumam univerſas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor regem Babylonis ſervum meum, & adducam eum ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores ejus, & ſuper omnes nationes, quæ in circuitu illius ſunt ...., & erit univerſa terra hæc in ſolitudinem, & in ſtuporem, & ſervient omnes gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuaginta annis. Quumque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & ſuper terram Chaldæorum, & ponam illas in ſolitudines ſempiternas.* Quæ ſuo omnia tempore plene evenerunt. Haud enim multo poſt Nabuchodonoſor Jeroſolymam occupavit, & Regem quidem tributarium reliquit, ſed nobiles primos cum magno gentis numero Babylonem captivos duxit. Quum vero tantum abeſſet ut Joacim reſipiſceret, ut potius ſceleſtior in diem evaderet, Prophetaſque Jeremiam, & Baruc, quod non deſiſterent imminentes ruinas prædicere, ad internecionem quæreret, tandem Babyloniorum armis Jeroſolymis obſeſſus anno regni ſui undecimo interfectus eſt. Jechonias ejus filius, quum adhuc Jeroſolymorum obſidio ferveret, creatus Rex, paternorum ſcelerum imitator, catenis onuſtus Babylonem captivus ductus eſt cum magna populi parte. Reliquus populus Sedeciam regem conſtituit filius Joſiæ. Non is meliore ingenio fuit: itaque unedcimo ejus regni anno tandem Jeroſolyma, & templum incenſa fuere, quum minutiſſima quæque,

---

(a) *Habacuc.* 1. 6. *Jeremia pluries.*
(b) *Jeremia* 25.

que, quæ evenerunt, diſtinctiſſime prædixiſſet Jeremias. Tunc elapſis ſeptuaginta annis ſub Cyro reliquæ duæ prophetiæ partes impletæ ſunt: Judæi nempe ad patrios lares redierunt, & regnum Babyloniorum everſum eſt, omnia ſubigente Cyro. Qui attente totam hanc hiſtoriam cum prophetiis Jeremiæ confert, is nequit non videre, quam clare omnia divino ſpiritui pateant, quam ille res diſtincte per Prophetas ſuos prædixerit, an non totam hanc Prophetarum ſeriem venerari.

21. Jam eadem obſervari poſſunt in Danielis prophetia. Ejus prædictiones id peculiaris quoque habent, quod tempora diſtinctius, quam ceteri Prophetæ, deſignent. Series monarchiarum, earumque præcipua facta eo ordine in Danielis prophetia prædicuntur, ut diſtinctius Hiſtorici coævi, & qui ſecuti ſunt, numquam narrarint. Id Prophyrius ipſe infenſiſſimus Chriſtianis agnovit, uti B. Hieronymus (*a*) adnotavit. Is enim perſuadere ſibi non potuit prædictiones illas eſſe, ac non hiſtorias geſtarum rerum. Quod utcumque abſurdum, quoniam Hebræi *capſarii* noſtri, ut Tertullianus vocat, Babylonica captivitate Danielis librum circumgeſtant; tamen hoc demonſtrat, quanta cum claritate, & diſtinctione futura Prophetæ huic innotuerint. Elementorum anguſtiæ prohibent me eſſe longiorem: ac vereor ne paucis his exemplis faſtidium longitudinis delicatioribus creaverim. Sat igitur ſit ad fontem digitum intendiſſe. Omitto præterea prophetias quæ cæleſtem tantum civitatem ſpectant, & quod infinito pene ſunt numero, & quod ordine digeſtæ ab Huetio, & a nobis in V. tandem Elementorum Chriſtianæ Theologiæ libro, ſi ea ſtudia, a quibus odia theologica me dudum abalienaverunt, repetere iterum incedat cupido, proferentur; Patet vero hinc, niſi toto cælo aberro, ſpiritum propheticum perenniter verſatum eſſe inter Hebræos; ac proinde, aut eſſe ſtupidos, qui divinitatem librorum veteris Teſtamenti negant, aut refractarios, & contumaces.

CONCLUSIO.

PRopoſ. LII. Religio Chriſtiana vera eſt & divina.
D. Religio Chriſtiana libris continetur veteris & novi

(a) *Præfat. in Danielem.*

novi Teſtamenti: ſunt autem ii libri veri & divini (ex ſup.); Eſt ergo Religio Chriſtiana vera, & divina.

Coroll. Maxima Religionis Chriſtianæ ſupra vulgares gentium ſuperſtitiones præſtantia in hoc præcipue eſt poſita, quod eſt religio ſpiritualis, cultumque omnem externum, non ut apud Ethnicos per ſe ac ſui ipſius, ſed interioris ergo præcipiat. Paucis id verbis Chriſtus Servator noſter docuit apud Joannem: *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant illum, oportet in ſpirtu, & veritate adorare:* id quod ratio quoque ipſa naturæ præſcribit. Itaque huic veritati Philoſophi etiam quidam teſtimonium perhibuerunt. Cicero (*a*) hanc ſtatuit religionis legem: *ad divos adeunto caſte: pietatem adhibento.* Ovidius quoque (*b*)

Non bove mactato cæleſtia numina gaudent,
Sed quæ præſtanda eſt, & ſine teſte, fide.

Publ. Mimus:

Puras Deus, non plenas accipit manus.

Perſius item (*c*)

Quin damus id ſuperis, de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago,
Compoſitum jus, faſque animo, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto?

Plurimis quoque idipſum docet Seneca (*d*) in epiſtolis. Ibi inter alia ſcribit: *Vis Deos propitiare? bonus eſto: ſatis illos coluit, qui imitatus eſt.* Et (*e*); *nec in victimis quidem, licet opimæ ſint, auroque perfulgeant, Deorum eſt honor, ſed in pia, ac recta voluntate venerantium.*

FINIS TOMI SECUNDI.

(a) *In lib.* II. *de Legibus.*
(b) *Epiſt.* XVIII.
(c) *Satyr.* II. *verſ.* 81.
(d) *Epiſt.* 95.
(e) *In* I. *Lib.* de Benef. cap. VI.

DO NOT CIRCULATE

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 05987 8119